SOCIETÀ NAPOLETANA

DI

STORIA PATRIA

MONUMENTI STORICI

SERIE PRIMA

CRONACHE

T. I.



NAPOLI 1881.

Esemplare N.° 88.

MONUMENTA

AD

NEAPOLITANI

DUCATUS

HISTORIAM PERTINENTIA

quae partim nunc primum, partim iterum typis vulgantur

CURA ET STUDIO

BARTHOLOMAEI CAPASSO

cum ejusdem notis ac dissertationibus

TOMUS PRIMUS

NEAPOLI

EX REGIO TYPOGRAPHAEO EQU. FRANCISCI GIANNINI

Mdccclxxxj



LECTORI
BARTHOLOMAEUS CAPASSO
S.

Quandoquidem in praefationibus, quibus unamquamque huius operis partem instruxi, de omnibus et singulis monumentis inibi collectis speciatim disserui, heic satis esse mihi videtur de studiis illorum, qui in idem argumentum antea incubuerunt ac de ratione, quam ego in ipso opere conficiendo habui, pauca praefari. Ut enim de meo labore aequo animo quis judicet, atque etiam ipse per quos profecerim fatear, praestat, quae hucusque ab aliis collecta sive adnotata fuerint, et quae ego post illos ad rem contulerim, cognoscere.

Qui igitur primi omnium post renatas litteras, sive de singulari Neapolitanae urbis, sive de universa totius regni Apuliae historia ab antiquis usque deducta temporibus scripserunt, hi aut ducum Neapolis facta pene omnino praetermiserunt, aut ea crebris lacunis interrupta et pluribus erroribus fabulisque referta prodiderunt. Sic Collenutius (1539) et Carafa (1572), qui rem vix primoribus

labiis attigerunt; sic SUMMONTIUS (1601), qui ducum seriem ab Augusti imperio ad Rogerii I regnum instruens, alios eorum omnino fabulosos, alios, et numero quidem plures, vel nomine, vel successione, vel aetate falsos adnotavit; quae vero certiora dedit, ea ex PAULI DIACONI *Historia Langobardorum*, ex ANASTASII BIBLIOTHECARII libro, qui inscribitur *Vitae PP.*, ex *Chronica Casinensi* et sanctorum Neapolis patronorum *Officio*, omnia tunc typis vulgata, vel ab ERCHEMPERTO seu *Chronico anonymi Salernitani*, tunc nondum editis, atque a quibusdam monumentis, quorum aliqua vel integre vel summatim transcripsit, eruta sunt. Neque aliter quidem de Nicolao Antonio DENTICE, qui, ut TUTINIUS (*Dei Seggi di Napoli* p. 13) testatur, specialem ducum Neapolis historiam conscripsit, dicendum est; nam, si ex fabuloso Urso duce ab eo et a Tutinio post eum memorato arguere licet, nec ipse quidem Summontio accuratior habendus est, nec ejusdem historiae jactura prorsus dolenda. Post hos CAPACIUS (1607), quem pene omnino sequitur DE PIETRI (1634), quaedam aliquando meliora ex Johannis Diaconi *Chronico*, cuius exemplum e Vaticano cod. acceperat, et ex anecdotis monumentis addidit; alia item et CHIOCCARELLIUS (1644). At maximam huic argumento symbolam tunc temporis contulere praecipue Camillus TUTINIUS et Carolus DE LELLIS, viri de re Neapolitanorum historica benemerentissimi, qui etsi nullum ad rem librum ediderint, multa tamen ex urbis nostrae monasteriorum piorumque locorum tabulariis subsidia, magno quidem posteris futura commodo, pararunt. Cum enim membranas sive chartas, quas jam olim s. Patritiae, Ss. Severini et Sossii, Ss. Marcellini et Petri atque S. Gaudiosi et S. Gregorii Armeni monasteria, nec non S. Sebastiani asceterium, in quo superioribus temporibus antiquissima S. Salvatoris in insula maris, Ss. Sergii et Bacchi, atque S. Petri ad Castellum coenobia congregata fuerunt, servabant, omnes evolvendas et qua integre, qua summatim exscribendas susceperint, monumentorum ad Neapolitanum ducatum pertinentium, quorum pleraque ob edacitatem

temporis vel hominum incuriam nunc desiderantur, sive exempla, sive *Summaria* et *Notamenta* haud parvo labore collegerunt, et nobis reliquerunt. Ea vero nunc vel in bibliotheca Brancacciana, vel alibi servata adhuc inedita supersunt. Saeculo insequenti usque ad medium nil novi prodiit, praeter *Chronicon episcoporum Neapolitanorum*, quod in R. I. S. a MURATORIO (1723) primum typis vulgatum fuit. Neque tunc JANNONIUS (1724) et TROYLUS (1748) in hac re aliquid nota dignum praestiterunt; ducum enim nostrorum seriem et facta ex notitiis ab aliis, qui praecesserant, iam allatis, plane exposuerunt. At a. 1751 Franciscus Maria PRATILLIUS inter alia, quibus novam *Historiae principum Langobardorum* a Camillo PEREGRINIO congestae editionem locupletare conatus est, quoddam *Chronicon ducum Neapolis*, nuper, ut ipse dixit, inventum, primitus typis vulgavit atque in praefatione, de ducatus origine, vicibus, extensione et abolitione, nec non de ipsius Chronici auctore et codicis, quem TAFURIUS habebat, conditione quaedam disputavit; sibi gratulatus quod ex eo non parum utilitatis aut commodi patriae historiae cultoribus accederet. Chronicon initio et fine, ac post Athanasium episcopum et ducem atque alibi quandoque mutilum, a Johanne duce (a. 717) ad Pandulphum principem Capuanum, qui biennio fere Neapolim urbem occupavit (a. 1027), ducum nostrorum successiones et gesta tradit. Auctor eiusdem ad a. 867 dicitur quidam UBALDUS de Neapoli monachus, in monasterio, ut ex alio loco elicitur, Ss. Severini et Sossii, degens. Pratillius vero in notis, et duces qui dictum Johannem antecesserunt et eos qui post Pandulphum in ducatus regimine subsecuti sunt, ex aliis sive historicis sive diplomaticis monumentis supplevit. Per ea tempora SABBATINIUS (1744-68) quaedam Neapolitana documenta ex Cavensi praesertim tabulario edidit, plurimorum quoque notitiam CLARITIUS (1772) dedit, de quo hoc unum jure doleo quod ipsa documenta semper detruncata et saepissime notis chronologicis aut falsis aut male exscriptis designata protulerit. Interea Chronicon ducum a Pratillio editum quam-

vis ab Assemanio et a Mazochio (1752) in iis, quibus ab Johanne Diacono dissentit, posthabitum sit, tamen fidenter et grate ab omnibus exceptum est, et a Spinellio (1762) atque Cestario (1783) sine ulla dubitatione probatum. Quin immo p. Alexander Di Meo (1785-1810), acerrimi ingenii vir, cui Neapolitana historia plurimum debet, ita Ubaldum in conficienda ducum nostrorum serie et in eorum gestis tradendis *fidelem* ducem habuit, ut ne latum quidem unguem ab eo discedere ausus sit. Ipse praeterea omnes alios fontes sive historicos, sive diplomaticos excussit ac ducum successiones, annos quibus imperarunt et res gestas omnibus, qui praecesserant, plenius atque accuratius, si quae ex Ubaldi inventis usurpavit detrahas, exhibuit. Ita se res habuit usque fere ad saeculi praesentis medietatem, cum nova monumentorum, eaque maximi momenti, nobis subsidia accesserunt. Nam a. 1839 clarus vir Pertzius inter *Monumenta Germaniae Historica* quoddam *Chronicon ducum et principum Beneventi, Salerni, et Capuae, ac ducum Neapolis* primus vulgavit, in quo a Basilio, qui a. 661 primus in Neapolitana urbe dux ab imperatore Byzantino constitutus fuit usque ad Johannem III, qui a. 964 in vivis agebat, omnium, qui ducatum Neapolitanum tenuerunt, successiones et anni imperii habentur. Paulo post ipse et Köpke cuncta, quae Pratillius edidit, monumenta historica ad trutinam revocantes, etiam Ubaldi fidem pluribus argumentis profligare conati sunt. Neque enim, quae de codicis inventione et vicibus Tafurius possessor et Pratillius editor vicissim asseruerunt, inter se constare, nec narrationes aliquid novi in rem afferre, neque denique dictionis formam et stilum veteris ac genuini fontis indolem praeseferre docti viri animadverterunt. Eodem fere tempore omnia instrumenta et diplomata, quae ex supra memoratorum monasteriorum tabulariis in unum magnum totius Neapolitani regni archivum sub huius saeculi initium invecta fuere, optimo et numquam satis laudando consilio ab a. 1845 ad a. 1861 in lucem prolata sunt.

Haec itaque monumentorum ad Neapolitanum ducatum pertinentium cognitio, hic studiorum de eius historia status erat, cum ego ad id animum adverti. Mirabar sane chronicon ducum a Pertzio vulgatum, pretiosum utique monumentum, fere a nemine adhuc notatum, a nostris omnino neglectum. Dolebam praeterea illam Neapolitanae historiae aetatem, qua nulla unquam rerum gestarum magnitudine praestantior, nulla unquam gloriosior, nulla cognitu jucundior, ubi Neapolitanorum virtus et constantia, quarum defectus saepe eis deinceps exprobratus, nec tanta, nec tamdiu unquam enituit, apud nostrates et exteros, multis tenebris obductam atque iniuriosa oblivione pene sepultam esse. Quae cum sedulo pluries animadvertissem, id unum in mentem habui, ut hanc spartam illustrandam susciperem et patriae famae ac decori pro virili parte consulerem. Hac itaque ratione ductus opus laboriosum sane atque haud parvi momenti adgressus sum. Et primo Ubaldi chronicon cum anonymi chronico conferre constitui, plerumque enim alterum alteri ita repugnat, ut necessario alterutrum falsitatis vitio laborare dicendum sit. Cum autem omnia et singula amborum dicta ad criticae severioris amussim exegissem, paucis doctorum Germanicorum virorum argumentis, alia ex aliis, eaque quidem graviora, undique accessere; ita ut liquido pateret Ubaldi chronicon falsum esse et post annum 1723-1748, nescio an ab ipso Pratillio aut ab alio confictum, qui, ut fidem fraudi faceret, voces, phrases et periodos integras ex chronicis a Muratorio collectis ac vulgatis compilavit, et sermoni suo, ubi occasio incideret, inepte accommodavit. Argumenta ipsa quae in hanc sententiam me impulerunt, omnia in dissertatione anno 1854 a me edita, si qui forte velit, invenire poterit. Profligato igitur Pratilliano figmento, monumenta, quae extabant genuina et certa, colligenda et expendenda suscepi. Et primo, quae in libris editis ad rem inveniuntur, omnia adnotavi, bibliothecas publicas et privatas, quascumque potui, excutiens. Postea cum eo tempore Borbonici principatus eversio et novi Italici regni constitutio

magni Neapolitani archivi et publicarum bibliothecarum, quoad codd. mss. attinet, thesauros, qui antehac nobis impervii et inaccessi erant, omnibus aperuisset, atque anecdota nedum evolvendi sed etiam exscribendi, quod prius omnino nefas erat, facultas libere data fuisset, ego non sine magna animi mei satisfactione documenta aliqua e bibliotheca Brancacciana, ubi Camilli Tutinii opera manuscripta servantur et chartas quasdam ab a. 1130 ad a. 1139 e magno Neapolitano archivo, quae in collectione monumentorum eiusdem omissae fuerant, exscribere potui. His accessere membranarum illarum exempla, quarum notitiam Di Meo olim in suis *Annalibus* dederat, ex Cavensi tabulario p. d. Bernardi Caietani, qui tunc eidem praeerat, beneficio accepta, et singulare quoddam ex Casinensi archivo documentum, Sergii postremi Neapolitanae reipublicae ducis ac Caietanorum foedus continens, a Sebastiano Kalefati, beatae memoriae viro, ad me missum. Sed maximum tunc meis studiis subsidium attulerunt duo codd. mss. saeculo XVII. exarati, in quibus plusquam 300 documentorum nunc deperditorum transumpta, multo labore multaque cura ex archetypis vel eorum apographis, aut ex chartulariis apud monasteria S. Sebastiani, S. Marcellini, et S. Gregorii Armeni adservatis a Carolo de Lellis, uti mihi coniectare licuit, aut certe ab aliquo viro de patria historia optime merito exscripta habentur. Neque insuper *Summaria* et *Chartularia*, quae in magno Neapolitano archivo supersunt atque his ut plurimum fere similia sunt, neque chartas aevi sequioris, quorum ingens est numerus, sive ad praedicta sive ad alia antiquiora monasteria nostrae urbis spectantia, ubi aliquam ducum memoriam ex veteribus membranis transcriptam invenire putabam, neglexi. Opus alacriter susceptum, longo et haud parvo labore ad duodecim fere annos continuatum, interdiu aliis studiis vel adversa oculorum valetudine sive sepositum sive intermissum, tandem a. 1868 in lucem brevi proditurum programmate nunciare potui. Et iam praelo prima Neapolitani *Regesti* folia commissa erant, cum editor, vir in arte typographica ingeniosus et

sollers, ob varias causas, quas heic enumerare locus non est, ab incepto manus abstinere debuit. Mihi nec animo, nec studio, quo patriam historiam prosequor, fortuna par, ut meo sumptu librum edere possem. Contra autem ea est apud nos litteratorum hominum conditio, ut nulla de editore aliquo, qui huius generis opera typis divulganda vellet suscipere, spes superesset. At forte fortuna a. 1875 societas Neapolitana ad patriam historiam promovendam atque illustrandam, alias frustra tentata aut vix ad biennium producta, egregiis viris Hieronymo Giusso, Vincentio Volpicelli et Aloysio Riccio, quos honoris causa nomino, praecipue adnitentibus, inita, ac omnium nostrae civitatis ordinum studio summaeque etiam auctoritatis favore prosecuta, feliciter constituta fuit. Auspiciis igitur ejusdem ego iterum ad opus redii, argumentum novis etiam curis atque aliis accessionibus protuli, et, si non qua forte par erat aut amicorum desiderium optabat, festinatione, certe extra culpam vel negligentiam meam, tandem aliquando nunc fidem olim datam exsolvere et librum amico lectori sistere possum.

Quam vero in ipso opere conficiendo ordinandoque rationem habuerim sic accipe. Monumenta omnia in septem partes distributa duobus voluminibus continentur, quorum alterum tres priores, alterum quatuor sequentes comprehendit. Et in prima parte *Chronicon ducum* a Pertzio editum recudere curavi cum appendicula *Catalogi imperatorum Byzantinorum* ex cod. Casinensi eruti. Chronicon vero ipsum amplo commentario instruxi, in quo non modo epochas, successiones ac annos imperatorum Byzantinorum, unde Neapolitanorum ducum chronologia omnino pendet, exposui, variasque de re scriptorum discrepantes sententias concordare studui; sed etiam tum ducum nostrorum seriem, tum ducum et principum Beneventi, Capuae et Salerni, quorum cum Neapolitano ducatu magna sive bellorum sive foederum, sive omnis generis relationum connexio, illustrare conatus sum. Notis praeterea atque animadversionibus dissertationes quasdam et excursus

historicos interposui, in quibus de pluribus ad ipsius ducatus historiam vel corrigendam vel illustrandam pertinentibus disserui. Cum autem Chronicon ſere ad medium saeculum decimum desinat, seriem imperatorum Byzantinorum et ducum Neapolis ex eo tempore usque ad a. 1139, quo Rogerius rex Neapolim ingressus est, eadem, qua in Chronico proponitur, ratione continuavi. Subsequitur deinceps in P. II *Chronicon episcoporum Neapolitanorum* ex cod. Vaticano accuratius repetitum, quod praefatione Muratorii et notis ejusdem locupletavi, quibus etiam notas alias sive meas, sive ex Mazochii operibus excerptas adjeci. In appendicula postea, quam etiam heic apposui, *Catalogum episcoporum Neapolitanorum* primitus a Blanchinio editum iterum recudo. Seriem denique episcoporum et archiepiscoporum, qui sedem Neapolitanam ab initio saeculi X usque ad Rogerium habuerunt, in additamentis produco. In parte III utraque monumenta in praecedentibus relata excipit *Appendix monumentorum* scilicet: 1. *Epistolae pontificum romanorum*; 2. *Documenta quaedam ab a. 763 ad a. 874* quae quia pauca et interrupta in seriem, unde *Regestum* Neapolitanum conflatum est, redigi nequiverunt; 3. *Acta Sanctorum*, quae ad res Neapolitanas pertinent, et 4. *Varia*, quae, etsi parum nostris cognita, tamen nostram saec. IX et X historiam sive ecclesiasticam sive civilem apprime illustrant. Olim anceps fui an omnia Sanctorum Neapolitanorum acta, ad aevum nostrum quomodocumque pertinentia, heic ederem vel tantummodo paucis, quae maxime ad libri mei argumentum faciebant, integre repetitis, alia ex reliquis excerpta, ubi occasio fuisset, in notis insererem. Plura enim inibi mihi videbantur aut parum utilia, aut superflua, quippe quae eadem miracula, saepe inter se similia, proferrent. Qua propter quaedam ex S. Agnelli et S. Agrippini actis excerpta p. 22, ac 159 et postremum S. Agrippini miraculum p. 112 in notis vel in commentario hac ratione apposui. At postea, mutato consilio, libellos ipsos S. Agnelli et S. Agrippini pene integros, ne quid heic alicui deesse videretur, ad-

dere malui; nisi quod paucis, in quibus res, amplificandi studio ab auctore ad satietatem repetitae fastidium legentibus afferre possent, aliquando resecatis. In altero volumine *Regesta Neapolitana* quae P. IV. conficient, dabo, in quibus omnium, quotquot habere potui instrumentorum ab a. 912 ad a. 1139 summaria continentur. In praefatione de fontibus, ex quibus ea procedunt, de chronologica eorum ratione et de variis chartarum generibus vel de characterum formis tunc apud nos usurpatis, dicam. Instrumenta vero, quae adhuc extant et typis vulgata sunt, ita in compendium redegi, ut nihil quod ad historiam, chronologiam, topographiam, magistratuum atque officialium ordines, vel ad leges consuetudinesque, aut ad morum illius temporis notitiam pertineret, ne hilum quidem omitterem; quin immo ipsam linguae barbariem ac rude dicendi genus religiosissime servare studui. Quae vero nunc deperdita sunt, nec integra reperiuntur, ad fidem codicum manuscriptorum, vel aliorum librorum, qui ea referunt, exscripsi; iis tantum vel paucissimis, quae errorem librarii manifesto sapiunt, aliquando mutatis. Haec omnia ordine chronologico digessi, quae verum exscriptorum vitio vel nulla nota chronologica vel omnibus aut aliquibus tantum ita erratis adnotata sunt, ut ad annum certum adsignari nequeant, in finem operis conjeci. Ex documentis ipsis, uti par erat, *Diplomata ducum* selegi et in P. V. integra apposui. Eorum plura ex codicibus manuscriptis, unum etiam ex archetypa membrana apud heredes clari viri Josephi Fusco adservata, nunc primum in lucem prodeunt. His in P. VI. accedunt *Capitularia et pacta* a Peregrinio primum vulgata, scilicet pactum Arechis, capitulare Sichardi et pactum Gregorii ducis ex editione ipsius Peregrinii cum recenti illa Bluhmii collata et repetita. Agmen denique claudunt *Tumuli ducum Neapolis et inscriptiones* ad aevum ducale pertinentes in P. VII collectae, ubi etiam de unico Sergii VII. sigillo et de paucis Neapolitanorum ducum nummis dicetur. Ad omnia supradicta monumenta notas atque animadversiones adjeci, quibus aut perobscura quaedam

in ipsis occurrentia declarantur aut res Neapolitanae, praesertim aliarum sequioris aevi chartarum, ut plurimum ineditarum, sive compendiis sive notitia, illustrantur. Praeterea in quibusdam dissertationibus de ducatus politia et finibus, de Liburia, de hominum vel rerum tunc temporis conditione et de aliis his similibus pertractatur. Ut denique omnium horum monumentorum usus patriae historiae cultoribus facilior delectabiliorque fieret, opus multis indicibus locupletissimis et glossario vocum barbaricarum aut ad vulgare eloquium pertinentium instruxi atque tabulis aere incisis, in quibus characterum in codd. sive membranis adhibitorum ectypa ac monumentorum aliquorum imagines exhibentur, ornavi.

Haec sunt, quae de studiis illorum, qui me praecesserunt et de libri mei ratione heic dicenda habui; quod reliquum est, te, amice lector, ut meis in patriam historiam laboribus faveas, et, si quid vel a me vel a typotheta longo in opere peccatum inveneris, id, Terentiani illius memor, non incuriae sed humanitatis conditioni tribuas, rogo. Vale.



INDEX LIBRORUM ET EXPLICATIO SIGLORUM

QUI IN OPERE PRAECIPUE ADHIBENTUR.

Aa. Ss. Bollandi. — **Acta Sanctorum** quotquot toto orbe coluntur collegit, digessit, notis illustravit Ioh. Bollandus etc. Antuerp. Bruxellis et Tongerloae 1643-1794. — Continuatio 1845-1870.

Aa. Ss. o. s. B. — **Acta Sanctorum** ordinis S. Benedicti in saeculorum classes distributa. Saec. I-VI. (590-1100). Coll. Luc. d. Achery, ed. Mabillon et Ruinant. Lut. Par. 1668-1701.

Baron. Ann. Eccl. — **Baronii** Caes. Annales ecclesiastici cum critica Pagi; Accedunt animadversiones in Pagium, et apparatus ad eosdem annales cura Dom. Georgii et I. Dom. Mansi. Lucae 1739-1759.

Byz. hist. Script. — **Byzantinae historiae scriptores** in unum corpus redacti graec. et lat. Venet, 1722-1733. — *Editionem Venetam, quamvis Parisiense minus correctam, utpote pleniorem, ad manus habui.*

Caietani, Vitae Ss. — **Caietani** Octav. Vitae Sanctorum siculorum ex antiquis graecis latinisque monumentis et, ut plurimum, ex Mss. codd. nondum editis collectae. Panormi 1657.

Cod. Carol. — **Codex Carolinus** seu volumen epistolarum, quas Romani pontifices Stephanus II. Paulus I, Constantinus Antipapa, Stephanus III, et Hadrianus I miserunt ad principes et reges Francorum Carolum Martellum, Pipinum et Carolum m. in **Cenni,** Monumenta dominationis pontificiae. Romae 1763, et in Bibliotheca rerum Germanicarum t. IV, Berol. 1867.

Cod. dipl. Cav. — **Codex diplomaticus Cavensis** nunc primum in lucem editus curantibus dd. Michaele Morcaldi, Mauro Schiani, Sylvano de Stephano O. S. B. — Accedit Appendix, qua praecipua bibliothecae Mss. membranacea describuntur per d. Bernardum Caietanum de Aragonia. Neap. 1873-79. — *Usque adhuc quinque operis volumina prodiere.*

Mansi Coll. Concil. — **Mansi** I. D. Conciliorum nova et amplissima Collectio. Florent. et Venet. 1759-1765.

M. G. H. — **Monumenta Germaniae Historica** inde ab a. 500 usque ad a. 1550 auspiciis societatis aperiendis fontibus rerum Germanicarum medii aevi edidit G. H. Pertz. Hannoverae 1826, et ss.

R. I. S. — **Rerum Italicarum Scriptores** ab. a. ae. chr. 500 ad 1500, etc. L. A. Muratori etc. collegit, ordinavit et praefationibus auxit etc. Mediolani 1723-51.

R. N. A. M. — **Regii Neapolitani Archivi Monumenta** edita ac illustrata. Neap. 1845-1861.

Ado Vind. — **Ado Vindobonae** in Francia arch. (874) Chronicon ab Adamo usque ad a. 869 ap. M. G. H. Scr. t. II.

Anast. sive **Anastas. Bibl.** — Anastasii Bibliothecarii (c. 885) Historia ecclesiastica sive Chronographia tripartita (— 872). Accedunt notae Caroli Annib. Fabroti etc. Venet. 1729, in Script. Byz. Collect. t. XIX — *Opus ex libris Nicephori, Georgii Syncelli et Theophanis in latinum versis conflatum.*

Ann. Bar. v. Lup. Protosp. et Ign. Bar.

Ann. Benev. v. Chron. mon. S. Sophiae.

Ann. Bertin. seu Prudent. Trecen. — Annales Bertiniani seu Prudentii Trecensis episc. (a. 835-865.) ap. R. I. S. II. p. 495. et M. G, H. Scr. t. I.

Ann. Cav. v. Chron. Cav.

Anon. Benev. — Anonymi Beneventani fragmentum (889-896) in Peregrinio Pratilli, III. 295. M. G. H. Scr. III. p. Script. rer. Lang. et Ital. p. 495.

Attal. — Attaliotae Mich. Historia, opus a Vladim. Bruneto de Presle inventum, descriptum etc. rec. Beker. Bonn. 1853

Beda, Chron. — Beda, († 735) Chronicon (— 726) edit. Cantabr. 1722

Brienn. — Briennius Nicephorus (1137). Commentarii de rebus Byzantinis (1057-1081) gr. et lat. ed. P. Possinus. Ven. 1729 in Collect. t. VII.

Catal. Byz. I. — Catalogus Byzantinus I. seu Chronographia brevis ab Constantino ad Basilium ab Angelo Mai primum vulgata in Script. vet. nova Collect. t. I. P. 2, p. 1-38 et ex eo a Schoene in App. Eusebii, Chron. Berol. 1875 t. 1, p, 101.

Catal. Byz. II. — Catalogus Byzantinus II. seu Temporum compendiosa putatio ab Adam ad Constantinum et Romanum , ex Scaligeri Emendatione temporum et Petavii Uranologio in App. ad Chron Paschale p. 323.

Catal. Byz. III. — Catalogus Byzantinus III. seu Imperatorum Romanorum Catalogus ab Augusto ad Costantinum Monomachum ex cod. Vaticano in App. ad Chron. Pasc. p. 328.

Catal. Byz. IV. — Catalogus Byzantinus IV. seu Catal. impp. Constantinop. ex Jure Graeco-Romano Leunclavii usque ad Cpolis occupationem a Francis in libro, cui titulus: Imperium Orientale etc. opera et studio Bandurii t. I. p. 205.

Catal. Byz. V. — Catalogus Byzantinus V. seu Catal impp. Const. ex Synopsi Historiarum Mattaei Cigala usque ad captam Cpolim a Turcis in cit. Imperium Orientale t. I. p. 208.

Catal. Byz. VI. — Catalogus Byzantinus VI. seu De Annis ab orbe condito usque ad imperium Constantini Magni et de iis qui Cpoli regnarunt etc. in Codino De origine urbis Cpolitanae in Collect. t. XVII p. 60 et ss.

Catal. Benev. Anon. Salern. — Catalogus ducum et principum Beneventi praemissus Chronico Anonymi Salernitani in Peregrinio Pratilli II, 33; M. G. H. Scr. III, 470; Script. rer. Lang. et Ital. p. 493.

Catal. Benev. Casin. — Catalogus ducum et principum Beneventi ex cod. Casinensi 353 in Peregrinio Pratilli V, 27 ; in M. G. H. Scr. III, 200 ; et in Script. rer. Lang. et Ital. p. 487.

Catal. Benev. Cav. — Catalogus seu Chronicon ducum, et princ. Beneventi ex cod. Cavensi in Peregrinio Pratilli V, 33; in M. G. H. Scr. III, 301; in Script. rer. Lang. et Ital. p. 493.

Catal. Benev. S. Sophiae — Catalogus Beneventanus seu Chronicon ducum et princ. Beneventi auctore anonymo monacho S. Sophiae in Peregrinio Pratilli V. 21; M. G. H. Scr. III. p. 202.

Catal. Cap. Casin. — Catalogus comitum, et princip. Capuae ex cod. Casin. 353 seu Chronicon postremorum comitum Capuae in Peregrinio Pratilli III, p. 3.

Catal. Cap. Cav. — Catalogus comitum. et princ. Capuae ex cod. Cavensi seu Series Comitum Capuae cum auctario anonymi in Peregrinio Pratilli III, 136; in M. G. H. Scr. III. 205 ; Cod. Dipl. Cav. IV, 331; Script. rer. Lang. et Ital. p, 498.

I.

CHRONICON

DUCUM ET PRINCIPUM BENEVENTI, SALERNI ET CAPUAE ET DUCUM NEAPOLIS

DENUO RECUSUM ET COMMENTARIO

Variisque Dissertationibus illustratum

PRAEFATIO

Chronicon hoc, quo Neapolitani Ducatus monumenta aggredimur, non multis abhinc annis primitus in publicam lucem prodiit. Nam vir clarissimus G. H. Pertz, cujus singularia in historiam medii aevi, tum germanicam, tum italicam, immo etiam universam merita, nemini certe ignota sunt, illud e duobus Mss. codicibus, quorum alter Vindobonensis saeculo XI, alter Bruxellensis ineunte saeculo XII exaratus (1), *eruit, atque inter* Monumenta Germaniae historica *t. III.* Scriptorum *anno 1839 typis vulgavit. Titulum etiam, quo nunc utimur, ipse, ut rei ratio expostulabat, recte apposuit. Codices enim supra memorati, et forte etiam alius saeculi XII, qui in Parisiensi bibliotheca n.° 2321 adservatur, proprie, ut ex cl. viri Ludovici Bethmann observationibus discimus* (2), *S. Isidori* Chronicam mundi, *quae inibi* Chronica bb. Augustini et Hieronimi, *inscribitur, continent. In calce vero operis eiusdem post Diocletianum adjiciunt:* Hec sunt nomina imperatorum christianorum, qui Romam et Costantinopolim regnaverunt et regum seu principum langobardorum; *et deinde, paucis de b. Benedicto in Justino imperatore adnotatis, a Mauritio ad Constantinum porphyrogenitum (583-909) seriem ducum et principum Beneventi, Salerni, Capuae et Neapolis, prout quisque in uniuscuiusque imperatoris epocha floruit, ordinate exhibent. Chronicon igitur nostrum ex omnibus hujusmodi adnotationibus ab opere Isidoriano excerptis conflatum est; quae adnotationes, ut idem cl. Bethmann pridem suspicabatur, ex aliquibus antiquioribus ta-*

bulis effluxerunt, in quibus : ANNI DOMINI, INDICTIONES, IMPERATORES, REGES LANGOBARDORUM, PRINCIPES BENEVENTANI, SALERNITANI, CAPUANI, NEAPOLITANI *distincte, ut ex tabula casinensi in cod. 353 partim videre est, in variis columnis adnotabantur.*

Quis autem fuerit hujus chronici vel originalium notarum auctor, plane ignotum est. Verum, si coniecturis locus, cum quodammodo de b. Benedicto peculiarem et fere insolentem mentionem faciat, et byzantinorum imperatorum ac ducum Neapolis seriem, unus omnium nostrorum illius aevi scriptorum, plenius et accuratius exhibeat, recte conjici potest eum neapolitanum fuisse, et in aliquo nostrae urbis coenobio, sive fortasse Ss. Severini et Sosii, ex quo tanta et tam praeclara monumenta extremis superioris saeculi temporibus subtracta fuerunt (3), *sive in alio quocumque sub b. Benedicti regula degente monachicam vitam traxisse. At de eius aetate certiora ex chronico ipso haberi possunt. In eo enim imperator Constantinus, Landulphus beneventanus, et Gisulphus salernitanus principes, qui medio ferme saeculo X imperabant, absque ullo dominationis tempore adnotantur, Landulpho autem II, qui et* Rufus *dictus est* (4) *ac Beneventi etiam princeps fuit, sextus annus, Christi 948 scilicet, adscribitur. Quae omnia cc. vv. Pertz et Bethmann non sine ratione impulerunt, ut chronicon seu potius originariam compilationem neapolitanam ad annum illum 948 figerent. Sed alius terminus, qui ibi etiam legitur, et supra notato recentior est, annorum 37 scilicet nota in Johanne Neapolis duce apposita, doctorum virorum diligentiam effugit. Cum enim ipsorum annorum supputatio ad annum 965 nos perducat, necesse est chronici ipsius compilationem ad hanc epocam protrahere. Nec mihi difficultatem movet aetatis aliorum principum, quae iam transierat, et quidem adnotanda erat, omissio ; nam auctori chronici qui vel ex hoc se neapolitanum prodit, ducum suorum tempora certo scire oportuit; aliorum vero principum, quam ex peculiaribus laterculis ita desinentibus in suum opus transtulit, vel nescivit aetatem, vel ulterius progredi noluit.*

Haec sunt, quae de auctore, aetate et codicibus mss. huius operis habeo ; quae autem eius fidem atque gravitatem ostendunt ea in sequentibus notis atque animadversionibus quisque deprehendi facile poterit. Hic dumtaxat quaedam praemoneri utile erit, ut temporum ratio, qua auctor chronici in byzantinorum imperatorum serie exponenda usus fuit, unde omnis nostrorum ducum et principum chronologia pendet, recte intelligatur. Animadvertendum igitur est annos Christi ibi semper more Graecorum, eodem scilicet quo indictiones numerabantur, adnotatos esse, idest a prima die mensis septembris, qui annum vulgarem antecedit. Cuius supputationis modus prae aliis apud nostrates medio aevo viguit, et fere usque ad seculum XVII perduravit. Animadvertendum quoque est initium cuiusvis imperii ab initio anni graecanici, qui immediate imperatoris coronationem sequebatur, ferme perpetuo susceptum esse. Neque aliter in

chartis, instrumentisque neapolitanis, uti deinceps melius videbitur, actum est. Nam curiales sive notarii illius aevi nullam diei ac mensis, in quibus imperatores coronam acceperint, rationem in notis chronologicis habuerunt, sed epocham imperii ab initio anni proxime sequentis supputaverunt, scilicet a kalendis septembris, a qua die annus civilis graecorum et nova indictio decurrere incipiebant. Quod cum nostri scriptores minime animadverterent, inde factum est, ut aliam ac veram imperii plerisque imperatoribus epocham tribuerent, vel notas chronologicas instrumentorum erroris immerito arguerent et corrigendas esse putarent. Animadvertendum denique est aliquando, et proprie cum imperatoris ad solium evectio in primis quatuor mensibus anni civilis graecanici incidisset, auctor chronici vel falso calculo usus, vel alia, quam nescio, forsan ratione ductus, initium imperii ad praeteritas kalendas septembris retroagit, ita ut anno minus epocham imperatoris supputat, indictionibus perpetuo cum anno Christi, praeter unam vel alteram vicem, recte consentientibus.

Reliquum est ut de ratione, quam in hoc chronico edendo secutus sum, pauca dicam. Et primum lectores monitos volo me eiusdem textum integre ex Pertzii editione iterum exhibere, cum unde proferre meliora nec haberem, nec forte habere possem. Appendiculam tantum, ubi byzantinorum imperatorum series, uti in vetustioribus tabellis legitur, ex cod. casinensi 353 exscriptam, addidi, et nunc primum integram publici iuris feci. Cum autem pleraque, utpote summarie et strictim exposita, in eo subobscura vel dubia aliquibus videri possent, necessarium fore duxi omnia, et specialius ea, quae ad mei libri argumentum pertinent, amplo et accurato commentario instruere, ita ut non modo successiones et epochas ducum Neapolis usque adhuc male habitas et erroribus, refertas, ad rectam lineam reducerem, sed etiam nostri chronici fidem ac gravitatem nuper in dubium revocatam ab omni suspicione plene vindicarem. Etenim quamvis Chronicon ducum Neapolis *cuidam Ubaldo monacho tributum et saeculo superiore a Francisco Maria Pratillio, pessimo quidem neapolitanae historiae fato, evulgatum, quam plurimis ex arte critica sumptis argumentis falsum atque recentius effictum fuisse iam ego peculiari dissertatione demonstraverim* (5), *tamen cum non desint, qui umbras potius quam lucem amplecti, et pseudo-Ubaldum chronico huic nostro praeferre malint, utile prorsus mihi visum est nostri chronici affirmationes cum aliis, qui de eisdem rebus egerunt, contemporaneis testibus perpetuo conferre, ut ex his omnibus magis magisque veritas elucesceret* (6).

Notis atque animadversionibus chronologicis dissertationes vel excursus historicos interposui. In iis de neapolitanae urbis vicibus ab a. 568 ad a. 662, de origine ducatus, de Exhilarato perperam in ducum serie adscripto et de aliis ad ipsius ducatus historiam vel corrigendam vel illustrandam pertinentibus rebus disserui. Seriem deni-

que byzantinorum imperatorum a medio saeculo X, in quo chronicon desinit, usque ad a. 1139, in quo Neapolis Rogerio I regi se dedit, eadem, qua priores in Chronico proponuntur, ratione produxi, ut opportunam monumentis, quae deinceps dabo, lucem afferrem.

Haec sunt, quae te monitum, aequissime lector, volui. Tu interim his utere, et ut meis laboribus faveas, atque erroribus, si quos humanitas induxit, benigne indulgeas, rogo. Vale.

---

(1) Cod, Vindob. *Hist. eccl.* 147, nunc. 580 olim *theol. lat.* 486. membr. in forma, ut dicitur, octava, iam Johannis Sambuci Tirnaviensis; f. 151. *Chron. Augustini et Jeronimi.* V. *Archiv der Gesellschaft für alt. deutsch. Geschictskunde* t. X p. 458 — Cod. Bruxell. n. 3899. membr. in fol. *Guidonis Historiae variae;* fol. 64: *Incipit chronica s. Jeronimi et sancti Augustini. Die prima facta est lux* etc V. *Archiv* cit. t. VII. p. 537.

(2) Bethmann, *Die geschichtschreibung der langobarden* (1.ª *Ignotus neapolitanus*) in Pertz, *Arch.* cit, t. X. p. 399,

(3) Conf. Giustiniani, *Diz. geog. del r. di Nap.* t. VI p. 368— Bibliothecae neapolitanae non semel aut iterum expilatae fuerunt. Praeter codd. mss. qui Vindobonam, Carolo VI Austriaco imperante, a. 1718 delati sunt, alii plurimi vel possessorum avaritia et incuria pretio inde abducti, aut furtim subtracti alio migraverunt, vel vulgi ignorantia popularibus seditionibus direpti, pessum ivere.

(4) Ita in Chron. Mauringi apocrypho appellatur.

(5) *La Cronaca Napoletana di Ubaldo, edita dal Pratilli nel 1751, ora stampata novellamente e dimostrata un' impostura del secolo scorso.* Neap. 1855 in 8.° — Idem, ne silentio aliquid cuiquam detrahi videar, iam primum opinatus est clarus vir Köpke in *Archiv.* t. IX (1847) p. 212; sed hanc suam sententiam de Ubaldo nullis specialibus argumentis probavisse etiam fatendum est.

(6) Qui de falsitate Ubaldi plura cupit adeat supra memoratam dissertationem. Hic tantum mihi illis, quae in ea congessi, aliud ad eius falsitatem magis demonstrandam argumentum adjicere liceat. Pratillius enim, ut verbis Ubaldi, quae de Everardo tempore regis Guilielmi Abate S. Severini loquuntur, fidem faciat, chartas eiusdem Monasterii laudat, in quibus ipsum Everardum abatem a. 1173 et sequentibus usque ad a. 1179 ibi praefuisse legitur. At id quam falsum sit ex eiusdem monasterii chartis atque regestis, quae adhuc in regio neapolitano archivo adservantur, erui potest. Ibi enim, regibus Guilielmo I et II, nullus Everardus, sed Adenulfus ind. III (1155); Gregorius ind. IV-XIII (1156-1165); Petrus ind. XIV, VI-X (1166, 1173-1177); Benedictus ind. XII (1179); Rogerius ind. XV-VI (1182-1188) soli abates inveniuntur. V. Regestum saeculo XV confectum, cui nunc titulus: *Indice delle pergamene dei SS. Severino e Sossio* in R. Neap. Archivo (*IV Uffizio. Finanze*). De hoc volumine alibi plura dicam.

CHRONICON DUCUM ET PRINCIPUM BENEVENTI, SALERNI ET CAPUAE

ET DUCUM NEAPOLIS

Anno Domini 518 ind. X. Iustinus maior an. 9. m. 2. – Temporibus Iustini maioris et Iustiniani imperatorum fuit sanctus Benedictus abbas sub Ioanne papa. Tunc temporibus Theodericus rex in Italia preerat. Et a beato Benedicto usque ad Gregorium papam anni sunt 78.

583. ind. I. Mauricius a. 20. m. 3. – Huius primo anno prima indicione in Benevento primus dux factus est Zotto, qui sedit annis 20. – Et XXI. eius anno V. indicione factus est Archis dux Beneventi, qui sedit an. 50.

610. ind. XIII. Eraclius an. 30. m. 2. – Huius XXII. anno V. indicione Aio, Arichis (1) filius, dux Beneventi an. 1. m. 5. – Et XXIII. eiusdem anno, VI. ind. Rodoaldus dux Beneventi ann. 5. – Item in XXIX ipsius anno XI. indic. Grimoaldo, Rodoaldi filius an. 25.

640. ind. XIII. Constantinus, filius eius, m. 4. – Eodem anno Eraclonas, frater eius, m. 6.

641. ind. XIIII. Constans an. 27. – Huius XXI. anno IIII. indic. Basilius Neapolitanus, ab ipso ordinatus, an. 5. – Et XXII. eiusdem an. V. ind. Romoald, filius Grimoaldi, dux Beneventi an. 16. – Item in XXVII. ipsius anno X. ind. Theofilactus dux Neapolim an. 4.

668. indic. XI. Costantinus, filius eius, an. 17. – Huius quarto an. ind. XIIII. Cosma dux Neapolim an. 2. – Et sexto eiusdem anno prima indictio. Andreas dux Neapolim ann. 5. – Et XI ipsius (2) anno sexta indictio. Cesarius dux Neapolim ann. septem. – Eodem anno Grimoald, Rodoaldi filius, dux Beneventi, an. 3. – Item quartodecimo anno nona indictio. Gisolfus, filius eius, dux Beneventi an. 17.

685. ind. XIII. Iustinianus an. 10. – Huius primo anno XIII. ind. Stephanus dux Neapolis ann. 3. – Et quarto ipsius anno I. ind. Bonellus (3) dux Neapolis an. 9.

695. ind. VIII. Leontius an. tres. – Huius secundo anno IX. ind. Theodosius dux Neapolis an. 10.

698. ind. XI. Absimarus I. qui et Tiberius, an. 7. – Huius primo anno XI. ind. Romoald, Gisolphi filius, an. 26.

(1) *Ita non sine ratione correxit Pertz*, In Codd. legitur: Aloarichis.

(2) ejus. *Cod. Brux.*

(3) Donellus. *Cod. Brux.*

705. ind. III. Iustinianus iterum an. sex.–Huius secundo anno quarta ind. Cesarius dux Neapolim an. sex.

711. ind. IX. Philippicus, qui et Bardanius, an. duo.–Huius primo anno IX. ind. Iohannes dux Neapolim an. 8.

713. ind. XI. Anastasius, qui et Arthemius, an. 2.

715. ind. XIII. Theodosius an. 1.

716. ind. XIIII. Leo solus an. 3. et cum Constantino filio suo an. 22.

719. ind. XI. Constantinus Caballinus, Leoni filius, an. 57.–Huius primo anno secunda ind. Theodorus dux Neapolim an. 11.–Et in quinto ipsius anno sexta ind. Gisolphus, Romoaldi filius, an. 1. et Andelais an. 2.–Et sexto eiusdem anno septima ind. Gregorius dux Beneventi an. 7.–Et XII. ipsius anno XIII. ind. Georgius dux Neapolim an. 10.–Item XIII. ipsius anno XIIII. ind. Godescalcus dux Beneventi an. 3.–Et XVI. ipsius anno II. ind. Gisolphus Iterum, Romoaldi filius, dux Beneventi an. 17.–Iterum in ipsius XXII. anno VIII. ind. Gregorius dux Neapolim an. 15. dies 15.–Et XXXIII. eiusdem anno IIII. ind. Liudprand dux Beneventi an. 8. mens. 2. Et XXXVII. ipsius an. VIII. ind. Stephanus dux Neapolim an. 12.–Item in XXXXI. illius anno XII. ind. Arichis dux Beneventi an. 29. menses sex–Et ejusdem quadragesimonono anno V. ind. Gregorius dux Neapolim an. 27. mens. 6.

776. ind. XIIII. Leo et Constantinus an. 22. – Hujus tertiodecimo anno XI. indict. Grimoald, Arichis filius, primus princeps Beneventi an. 18. mens. 10.–Et XIX. eiusdem anno secunda ind. Stephanus dux Neapolim mens. 6.–Item in vicesimo ipsius anno tertia ind. Theophilactus dux Neapolim an. 6. m. 6.

798. ind. VI. Hirinus (4) ann. quinque.–Huius quarto anno nona ind. Antimus dux Neapolim an. 17. m. 3. (5).

803. ind. XI. Nuciforus et Stauracius ann. 9.–Huius quinto anno XV. ind. Grimoald princeps Beneventi an. undecim mens. 1. dies 10.

812. ind. V. Michahel. et Theophilactus an. 2.

814. ind. VII. Leo et Costantinus an. 8.–Huius quinto anno XI. ind. fuit Extradus in Neapolim an. 3. m. 1.–Et eodem anno Sico princeps Beneventi an. 15. m. 2.–Item in VIII. ipsius anno XIIII. ind. Stephanus dux Neapolim an. 10. m. 10.

822. ind. 15. Michahel et Theophilus an. 21.–Huius XI. an. X. ind. Bonus dux Neapolim an. 2.–Et 12. ejusdem anno XI. ind. Sicardus princeps Beneventi an. 5. m. 10.–Et XIII. eiusdem anno XII. ind. Leo dux Neapolim m. 7.–Et XIIII. ipsius anno XIII. ind. Andreas dux Neapolim an. 5. m. 5.–Item in XVIII. anno II ind. Radelchis princeps Beneventi an. 11. m. 10.–Et eiusdem XIX. anno III. ind. Sikenolphus primus princeps Salernitanus an. 10.–Eodem anno Contardus in Neapolim dies quindecim.–Iterum XIX. anno tertia ind. Sergius dux Neapolim an. 25. m. 3.

843. ind. VI. Michahel filius eius, an. 25.–Hujus VIII. anno XIII. ind. Sico princeps Salernitanus an. 8.–Et nono eiusdem anno XIIII. ind. Radelgari princeps Beneventi an. 3. et mens. 3.–Et XII ipsius anno II ind. Adelchis princeps Beneventi an. 24. m. 6.–Item

(4) Hyrinus. *Cod. Brux.*

(5) XVIII. m. VI. *Cod. Brux.*

XVI. illius (6) anno VI. ind. Ademarius princeps Salernitanus an. 3.–I erum in XX. ipsius anno X. ind. Guaiferius princeps Salernitanorum an. 16.–Et eiusdem XXII. anno XII. ind. Gregorius dux Neapolim an. 5. mens. 7.

869. ind. I. Basilius an. 11.–Huius tertio (7) an. III. ind. Sergius dux Neapolim an. 7. m. 6.–Et eiusdem XI. anno XI. ind. Atanasius episcopus et dux Neapolim an. 20. mens. 3, (8) dies 29.–Item eodem anno Gaiderissi, Radelgari filius, an. 2. mens. (9) 6. dies 29.–Eodem anno Guaimarius princeps Salernitanorum an. 16.

879. ind. XII. Leo et Alexander an. 30.–Huius III. anno XIIII. ind. Radelchis princeps Beneventi, Adelchis filius, an. 3. et m. 6.–Et sexto eiusdem anno secunda ind. Aio, frater eius, princeps Beneventi an. 6.–Item duodecimo ipsius anno VIII. indic. Ursus, filius eius, princeps Beneventi annum unum.–Et ejusdem XIII. anno IX. ind. Greci Beneventum ceperunt an. 3. et mens. 9.–Iterum quintodecimo illorum anno undecima ind. Waimarius princeps Salernitanorum an. 54.–Et XVII. ipsius anno XIII. ind. Franci Beneventum ceperunt, annum 1. mens. 9. dies 10.–Et eiusdem XIX anno XV. ind. Radelchis iterum princeps Beneventanorum an. 3. m. 6.–Item XX. ipsius anno I. ind. Gregorius dux Neapolim an. 16. m. 10. dies 10.–Iterum XXII. ipsius anno III. ind. Athenolfus (10) et Landolfus princeps Beneventi an. 10. m. 6.

909. ind. XII. Constantinus an. . . Huius secundo anno XIII. ind. Landolfus (11) et Athenolfus principes Beneventanorum an. 34. Et VII. tertia ind. Iohannes dux Neapolim an. 4. m. 7. dies 12.–Et eiusdem undecimo anno VII. ind. Marinus dux Neapolim an. 8. (12) m. 9. dies quindecim.–Item vicesimo ipsius anno prima ind. Iohannes dux Neapolim an. 37.–Et vicesimo quinto ipsius anno VI. ind. Athenolphus princeps Beneventi an. 11.–Et XXVI. ejusdem an. VI. ind. Gisolphus princeps Salernitanus an. . . . Iterum XXXII. ipsius anno XIII. ind. Landolfus (13) princeps Beneventi an. . . .–Et XXXVI. eiusdem anno secunda ind. Pandolfus (14) princeps Beneventi an. 6. *Explicit* (15).

(6) ipsius. *Cod. Brux.*

(7) anno III ind. Sergius dux Neapolim a. 7. m. 6. Et ejusdem XI anno *desunt in Cod. Brux.*

(8) et m. 2 *Cod. Brux.*

(9) et m. 2. *Cod. Brux.*

(10) Athenolfus *Cod. Brux.* uti et infra.

(11) Landulphus *Cod. Brux.*

(12) septem m. VIIII. corr. VII. *Cod. Brux.*

(13) Landulphus *Cod. Brux.*

(14) Pandulfus. *Cod. Brux.*

(15) *Deest in Cod. Brux.*

APPENDICULA

Imperatores Romani

(*A Iustino ad Constantinum porphyrogenitum ex cod. Casin. 353.*)

Augustus etc.
fol. 280 v. Iustinus major an. VIIII.
Iustinianus an. XXXVIIII.
Iustinus minor an. XI.
Tiberius an. VII, d. II.
Mauricius an. XXI, d. III.
Focas an. VIII, m. X.
Heraclius an. XXXI.
Heracleonas an. II.
Constans, qui mortuus est in occidente, an. XXVII. (1)
Constantinus filius Heraclii m. VI.
Constantinus filius Constantini an. XXVIII.
Constantinus filius Constantini superioris regis an. XVII.
Iustinianus minor filius Constantini an. X.
Leo an. III.
Tiberius, qui et Absimarus, an. VII.
Iustinianus secundo cum Tiberio filio an. VI.
Philippicus qui et Bardanius, an. II.
Anastasius, qui et Arthemius, an. III.
Theodosius an. I.
Leon Ysabrus an. XXIIII.
Iste Leo imperabat Romanis, quando Carolus rex beneventum venit. Cujus tempore Grimoaldus princeps erat Beneventi.
Constantinus persecutor an. XXXV.
Leon, qui et chazaris, an. V.
Constantinus cum Irini matre sua an. X.
Constantinus solus an. VII. Sub isto ceperunt franci dominare romanos.
Irini sola mater Constantini an. V
Niciforus an. VIIII.
Stauracius cum filio suo m. II.
Michahel coropalatis an. II.
Leon an. VII. et occisus est in ecclesia. Iste dextruxit sanctas imagines, et ejecit Nicephorum patriarca.
Michahel alter an. VIIII. Sarraceni Cretam et Siciliam ingressi sunt. Ab initio mundi usque in hoc tempore anni sex milia trecenti XXIIII.
Theofilus filius ejus an. XII.
Michahel porfyrogenitus cum matre sua an. XIIII.
Michahel solus an. XII.
Basilius paracimomenus solus an. XI; cum Leone et Alexandro filios suos (sic) an. VIIII.
Leo et Alexander cum supradictis VIIII. an. regnaverunt an. XXXV.
Constantinus filius supradicti Leonis.

(1) Haec verba ab alia manu, licet etiam coaeva, inter versum antecedentem et sequentem extra ordinem suppleta sunt. Primus autem scriptor ipsum Constantem, qui et Constantinus, infra adnotaverat, cum annorum 28 imperii indicatione.

IN CHRONICON
COMMENTARIUS

Anno domini 518. indictione X. Iustinus major an. 9. m. 2.

Fallitur Chronicon in indictione, quae XI tunc erat. Nam in *Byz. Script.* notatur:

Iustinus.

A. m. $\frac{6010}{6026}$ = Æ.v. $\frac{511}{518}$ mense Panemo (julio) die 9, indict. XI. *Magno solo consule imperat. Chron. Pasc.* p. 224. Cf. THEOPH. p. 141; PROC. *Paneg.* 18. *Hist. A.* 6.; EVAGR. IV. 1. 2. et alios, quos, ne longus sim, omitto.

In *Chron. S. Sophiae* epocha Iustini ex ind. sequenti supputatur; ibi enim legitur: *Ann. 519. ind. XII Justinus a. 9. m. 2.*

Temporibus Iustini majoris et Iustiniani imperatorum fuit S. Benedictus Abbas sub Iohanne papa. Tunc temporibus Theodoricus in Italia rex preerat.

Haec eadem verba in *Catal. Benev. Casin.*; in *Catal. Benev. S. Soph.* (Cf. M. G. H. t. III. p. 200; Prat. V, 26.) et in LEONIS OSTIENSIS *Chron.* leguntur; In hoc vero ad Iohannem I papam etiam Felix III vel IV adiungitur, cui itidem adiungendi fuerant Iohannes II, Agapetus, Silverius et Vigilius PP. (523-543).

Et a b. Benedicto usque ad Gregorium Papam sunt anni 78.

Sic etiam in *Catal. Benev. S. Soph.*

Quid sibi vero ea verba, *a b. Benedicto* scil., velint, non satis liquet. Nam nec aetatem, in qua s. Abbas floruit, nec diem nativitatis, vel obitus ejusdem (1) illa respicere posse reor; quoniam, qualemcumque ex utrisque sententiam amplecti volumus, aut tempus certum ac praefinitum non habebimus, aut recta annorum ratio, quomodo hic supputantur, non constabit. Verisimillimum, igitur mihi videtur quamdam hic sancti viri epocham adnotatam esse, quae ob aliquod illustre ejus facinus, insignis ac memorabilis apud posteros habebatur. Et cum res nulla alia magis memoranda ordinis S. Benedicti monachis videri aevo sequiori poterat, quam fundatio et constructio Casinensis coenobii, toto orbe celeberrimi, atque, ut ita dicam, omnium aliorum ejusdem ordinis monasteriorum parentis, hanc ego illis *a b. Benedicto* verbis chronicon nostrum intelligere voluisse non sine consilio opinor. Quod et alio argumento firmari etiam possum, ex ipsius scilicet supputationis altero termino, qui minus dubiam, atque obscuram significationem praestat, petito. Nam epocha S. Gregorii papae vel ad pontificatum, vel ad diem emortualem ejusdem

(1) De anno obitus S. Benedicti plurimum tum veteres chronologi, tum recentiores scriptores inter se discrepant. Sunt enim qui illum in a. 509 vel 520, aut 531 et, quod mire absurdum est, in 604 collocant; sunt alii contra, et hi firmioribus argumentis nisi, qui annos 541, 542, 543 et 544, ut cuique melius videbatur, contendunt. Mihi autem nulla alia opinio verisimilior esse videtur, quam quae anno 542 b. patriarcham obiisse affirmat. Nam omnibus, qui de eodem narrantur, factis apte respondet, et melioribus Leonis Ostiensis codicibus innititur. Ibi enim vel *a. incarn. 542 ind. VI* vel *Justiniani imperii a. quartodecimo a dominica passione anno quingentesimo nono juxta diligentissimam supputationem* S. Benedictum defunctum fuisse testatur.

De die vero, quae Sabati sancti, et ad XII kal. aprilis fuisse dicitur in *Vita S. Mauri* a Fausto auctore coaevo, et hujus quidem socio, scripta, et ab Odone Glannafoliensi monacho saec. IX *correcta*, et in *apertiorem sensum* reddita, alibi fusius et opportunius disseram. Hic tantum mihi adfirmare sufficiat vel textum ejusdem vitae verbis *XII kal. apr.* interpolatum, vel mensem aprilem pro majo facili errore mutatum fuisse. Nullo enim modo dies 21 martii cum Sabato sancto in anno 542, in quo pascha die 20 aprilis (XII kal. maj.) incidit, vel etiam in aliis (praeter 509 et 605 qui extra litem sunt) et cum quibusdam ejusdem vitae circumstantiis conciliari potest.

procul dubio spectare potest. Pontificatus vero epocha, si quid recte video, penitus removenda est; quia cum ipse initium habuerit tertio nonas septembris anni 590(JAFFÈ, *Regesta PP.* p.92), si ex illa epocha annos 78 demas annum 512 habebis, qui nullam rem gestam a b. Benedicto, quae itidem insignis et maxime notabilis fuerit, tibi offendet. Dies emortualis ergo superest, quem accidisse revera die 12 martii anno 604 ex antiquis ac firmissimis monumentis satis constat. Si igitur ex hac epocha annos 78 detrahes ad annum 526 devenies, quo coenobium Casinense a divo Benedicto fundari caeptum esse non levi coniectura credi potest. Ceterum non inficior neque dissimulo quosdam chronographos aliter de hac epocha sensisse, et originem ejusdem coenobii ad annum 528 vel 529 fixisse; sed, praeterquam quod nulla de hac differentia, utpote minima, ratio habenda videtur, certum est nostrates potius in hujus Chronici sententiam, quam in illam Chronicorum Sublacensis, et Salisburgensis (Cf. TOSTI, *Istoria di Montecass.* I, p. 77.) consensisse. Nam in *Catal. Benev. S. Sophiae* alibi legimus :

A b. Benedicto usque ad Gisulphum juniorem sunt ann. 205. A b. Benedicto ad XV. annum Siconis principis sunt anni 307.

Si autem ad annum 526 summam annorum 205 et 307 addas annos 731 et 833 habebis, quibus initium ducatus Gisulphi et annum XV Siconis, uti deinceps videbimus, invenies. Concludendum igitur est illis verbis a b. Benedicto in hoc Chronico signatis originem Casinensis coenobii indicatam esse, quod coenobium fortasse anno 526 caeptum, in sequentibus 528 vel 29 perfectum atque absolutum fuisse facile credo.

583. Indicione I. Mauricius a. 20, m. 3.

Hic, ut et in quibusdam aliis imperatoribus deinceps, Mauricii imperium ab initio anni proxime sequentis scil. a kalendis septembris computatur; quod etiam in Theoph. ad a. 6075, et Anastasio= p. 38 et in =Beda. *De sex. aetat.* p. 20 deprehendi potest. Revera ex Byz. Script.

Mauricius

A.m. $\frac{6074}{6090}$=Chr. 574—575=Æ. v. 582 — 583. ind. XV post Consulatum Tiberii novi Constantini III *solius* die 13 augusti a Tiberio, qui post diem decessit, imperator renuntiatur. *Chron. Pasc.* p. 300; THEOPH (14 aug.) p. 169. Cf. SIMOC. I. 10; EVAGR. V, 23; ZONAR. t. II. p. 58; CEDREN. p. 311.; *Hist. Miscella*, p. 113. In sequenti vero

A. m. 6075=Chr. 575—576=Ae. v. 583—584 ind. I. annus primus imperii ejusdem adnotatur.

Primus annus Mauricii (583) caruit consulibus, et ex communi sententia scriptum est: *Post cons. Tib. Constantini d. m. anno IV. Chron. cit.* p. 300. Deinde die 21 decembris ind. II, cum annus secundus Mauricii ageretur, imperator consul designatus est. THEOPH. p. 171; SIMOC. I. 12; ANAST. p. 64. Et ideo a die 1 jan. 584 anno secundo imperii in actis scriptum est: *P. C. Mauricii Tiberii Aug. I. solius. Chron. Pasc.* l. c.; Cf. PAGI ad a. Haec consulatus epocha notatur inter alia monumenta in epitaphio S. Candidae iunioris, quod infra referam. Contra sentiunt Baronius, Muratorius et P. di Meo ad a., ac consulatum a die 1. ian. 583 supputant, sed eorum sententia, nî fallor, minus recta mihi videtur, cum apertissimo Chronici Paschalis testimonio, consulatum anni 583 negantis, opponatur.

Mauritius denique iterum Consul processit die 6 jul. an. 602 ind. V, ita ut ab illa die ad diem 1. jan. VI ind. in actis scriberetur: *et consulatu piissimi d. n. secundo. Chron. Pasc.* p. 301.

Ex nostratibus cum hoc Chronico recte consentit *Chron. Fossaenovae;* falluntur vero *Chron. mon. S. Soph.* in quo: *581. XIV. Mauritius imp. a. 22.* ac *Chron. Cav.* et *Hist. Miscella* p. 113, ubi *585. III. Mauricius.*

Mauricius imperat

annis 20, mensibus 3 et diebus 2 (l. 11.) CEDREN. p. 311.— vel annis 20, et m. 3 expletis, ut in Chron. nostro et *Catal. Byz.* I.—aut an. 20 et m. 4 non expletis, ut in NICEPH. *Chron. brev.* p. 321.

Item non habita ratione mensium a. 20., ut in *Chron. Pasc.* p. 300; HAMART. *Chron.* 224.; ZONAR. t. II, p. 63; GLYCAS. p. 211; IOEL. p. 136; *Catal. Byz.* omnes; ECHELLENS p. 46, et *Chron. Foss. nov.*—vel annis 22, primo et ultimo anno, qui cavi sunt, in integrum computatis, ut *Chron. mon. S. Soph.* —aut annis 21, uno tantum ex eis pro integro habito, ut in PAUL. DIAC. IV. 27, et *Chron. Vult.*

Mauricius moritur

die martis 27 nov. anni 602 ind. VI a Phoca, qui die 23 ejusdem coronam imperii susceperat, occisus cum filiis. *Chron. Pasc.* p. 301; THEOPH. p. 194; NIC. CALL. *Hist. Eccl.* XVIII. 40; ZONAR. t. II, p. 63.

Hujus primo anno prima indicione (583) in Benevento primus Dux factus est Zotto, qui sedit annis 20.

Paulus Diaconus, antiquior sane ex iis, qui nunc supersunt, de hoc aevo scriptor, in suo opere *De gestis Langob.* III. 32. tradit regem Autarim (584) per Spoletium Beneventum pervenisse, et totam eam regionem usque ad fines Italiae, ubi Rhegium situm est, peragratam armis obtinuisse. Deinde adjicit:

Fuit autem primus langobardorum Dux in Benevento nomine Zotto, qui in ea principatus est per curricula XX annorum. Id autem, ut ego autumo, in causa quidem fuit, cur plerique, tum veteres chronographi, tum recentiores historici, qui Pauli auctoritatem fidenter secuti sunt, ducatum Beneventanum vel sub imperio Tiberii Aug. ab an. scil. 578 ad 582, ut *Chron. mon. S. Sophiae* et *Abbas Biclariensis*, vel serius Mauricii imp. anno primo, ut Chron. hoc nostrum et *Epitome Chron. Casin.* (R. I. S. II. 1. p. 354), olim institutum fuisse censerent, ac perinde traderent. Recentiores vero scriptores, qui alius alio graviter discrepant, non moror (1). Sed, cum constet Paulum Diaconum Langobardorum res gestas nulla temporum ratione habita referre, et, cum ex indubiis monumentis exploratum sit Zotonem an. 20 in ducatu vixisse, atque contra Arechim ducem, qui Zotoni successit, anno 592 jam Beneventum dominasse (2), nullo modo hanc ipsorum scriptorum chronologiam admitti posse facile patet, et iure meritoque eam a doctis viris penitus nunc profligatam esse dicendum est.

Neque vero rectius Zotonis epocha statui potest, si ex aliquorum chronographorum computis, quorum pleraque habemus, ratio petatur. Nam in Leone Ostiensi legitur Barim a Graecis, duce Symbaticio, occupatam fuisse an. Ae. v. 891 *completis videlicet tercentum triginta annis a Zotone primo duce Beneventi.* Idem in *Catal. Benev. Casin.*, unde etiam *Cav.* et in ANON. BEN. habetur, ubi id actum fuisse putatur: *completis 330 annis et aliquot mensibus,* non secus ac in *Catal. Benev. S. Sophiae,* ubi ad illum annum dicitur: *completi sunt anni 330 et m. 5 a Zotto primo duce.*(3) Nec aliter idem *Catal. Benev. S. Soph.* alibi ratiocinatur, cum *a Zotone,* inquit, *primo duce Beneventanorum usque ad annum XV Siconis sunt anni 280, m. 3, d. 15,* vel, ut in aliis codd., anni tantum 272. Quae supputandi ratio, si optime constaret, et numeri in codd. mss. recte se haberent, initium ducatus Zotonis ad annum 561 rejiciendum esset; quod quam absurdum et falsum sit, nemo non videt, cum tunc temporis Langobardi nondum e Pannonia egressi, neque Italiam totam invadere, neque Beneventanum ducatum instituere potuerint.

Verum diligentior et accurata monumentorum aeque antiquorum ac temporum excussio P. Alexandrum di Meo, acerrimi ingenii virum, et alios in hanc sententiam potissimum duxit, ut existimaverint ducatum Beneventanum anno 569 exeunte, vel 570 ineunte, Langobardis jam Italiam dominantibus, initium habuisse, et Zotonem primum ducem institutum fuisse. Sic enim in *Ann. Cav.*. qui: *A 570* (gr.) *ind. III.* Zotonem adnotant.

Zotto sedit a. 20. ut legitur in PAULO DIAC. L. III. c. 32; in Chron. nostro; in *Catal. Benev. Casin.;* et *Catal. Benev. Anon. Salern.* vel ann. 22, ut in *Catal. Benev. S. Soph.* computatis, qui cavi sunt, anno primo et extremo.

Neque hic praetereundum existimo eas etiam computorum supra relatorum rationes posse nos ad veritatem reducere, si numeri 330, et 272 in 320 et 262 corrigantur, ita ut a summa 891 et 832 deducti annum 571 vel 570 praestent, quod,

(1) Consule prae aliis PEREGRINIUM-PRATILLI, V, 199; ASSEMANI, I, c. 11, p. 266 et ss. ac DI MEO ad a. 569 n. 4 et ss.

(2) S. GREGORII PP. *Epistol.* L. II, ep. 46, ind. XIII. ex ed. Maurin. quam semper laudo. Cf. JAFFÈ, *Regesta*, a. 592, p, 833.

(3) In Nota quadam in cod. Bambergensi saeculo XI scripta, quam cl. Pertz, M. G. H. t, III. *Scr.* p. 548 protulit, et ego quoque infra repetam, peiore calculo numerantur anni 311.

praesertim si calculo florentino vel graeco uteris, proprius vero accedit. Summam autem annorum 280. et m. 5. in *Catal. Benev. S. Soph.* notatorum non moror, quippe quae, utpote ab omnibus ducum Beneventanorum annis, qua integris qua cavis, ab ipsomet relatis conglobata, omnino falsa et errata esse videtur.

Et XXI ejus anno, V indicione factus est Archis dux Beneventi, qui sedit ann. 50.

Pergit heic Chronicon nostrum in eodem errore versari. Nam, cum 21 anno Mauritii V ind. Arechim ducem collocet, cum ad annum 601-602 sistit, quod ex testimonio Pauli Diaconi falsissimum deprehendi possumus. Mortuo enim Zotone, ut ipse asserit, Arechis sive Archis, sicut et in antiquissimis ejusdem auctoris codicibus legitur (1), natione Foroiuliensis a rege Agilulfo Beneventum mittitur, et ipsius regionis dux renunciatur. Cum autem Agilulfus anno 590 exeunte regnum Italicum potitus sit. circa ea tempora, vel paulo post Arechim ducem Beneventanorum extitisse dicendum est, Idque etiam firmari potest supra memorata s. Gregorii papae epistola, anno 592, scripta. Cum Peregrinio et acutissimo P. di Meo igitur consentio qui initium ducatus Arechis in anno 590 exeunte, vel 591 ineunte fixerunt.

Archis sedit ann. 50. Ita et PAUL. DIAC. IV, c. 46, et *Chron. Farfense, Chron. mon. S. Sophiae*, et *Catal. omnes.*

NOTA. — *Chronographus noster Phocam, qui a die 29 novembris ind. VI. a. 612 ad diem 5 octobris ind. XIV. a. 610 imperavit, errore vel incuria omittit.*

610. ind. XIII. Heraclius ann. 30, m. 2.

Heraclius

A. m. $\frac{6103}{6119}$ = Chr. 603-604 = Æ. v. 610-611 ind. XIV, die 6 (5) octobris, feria 2, hora nona, occiso Phoca, imperator coronatur. *Chron. Pasc.* p. 305; Cf. ZONAR. t. II, p. 64.

Sunt tamen qui, omissa indictione, an. M. 6102, et Chr. 602 (609) signant, ut CEDREN. p. 321; ANAST. p. 47; *Hist. Miscella* p. 124; Theophanes vero, qui ex annis imperii Phocae unum omittit, in eodem anno indictionem XIV. adnotat (2).

Nostrates, ut et Chronicon hoc, vel annò integro, aut saltem mensibus duobus epocham Heraclii antecedunt, vel indictionem XIII. cum anno 610-611 ex errore coniungunt. Ita enim *Chron. Fossaenovae*, et *Chron. mon. S. Sophiae* adnotant: *610. ind. XIII. Heraclius imp.* Contra errant procul dubio vel epocham ab a., quo Constantinus filius Heraclii Caesar renuntiatus fuit (3), sumunt *Ann. Cav.* ubi habetur: *602. ind. XIV. Heraclius.*

Ceterum ex *Chron. Pasc.* l. c. discimus a die 7 octobris usque ad ianuarium sequentem in actis scriptum fuisse: *Imperante Heraclio:* et a die 14 ianuarii per totum mensem decembris XV indictionis: *Imperante Heraclio et Consulatu eiusdem piissimi d. n.*

Heraclius imperat

ann. 30, m. 4, d. 6. NICEPH. *Brev. Hist.* p. 15. — vel non habita ratione mensium, annis 30 expletis. HAMART. *Chron.* 227, 1; LEO 147, 10; GLYCAS p. 213; IOEL p. 136; *Catal. Byz.* I, et VI. — aut annum, quo mortuus est, pro integro computando, seu epocha etiam Constantini filii eius adiecta, annis 31. NICEPH. *Chron. brev.* p. 321; CEDREN. p. 321; ZONAR. t. II, p. 68; HAMZA

(1) Ita habetur in codd. Ambrosiano, et Modoctiense, ut testatur MURATORI in R. I. S. I, 468.

(2) GOAR, *Ad Theoph. Chronogr.* Notae p. 59; PAGI ad a. 640, n. 5; *Exegesis* ad Theoph. in Bolland. t. III. Martii. p. 7.

(3) A. m. 6105 = Æ. v. 612-613 imperii Heraclii III. ind. I. die 22 ian. (*Chron. Pasc.*) 25 decembris (*Theoph.*) Heraclius Heraclii f. novus Constantinus dictus et imperator a patre renunciatus fuit. *Chron. Pasc.* l. c. CEDREN. p. 408 et alii. Ex tunc in actis scribi iussum: *Imperii piissimorum dd. nn. Flavii Heraclii a. 3, et p. c. illius a. 2, et Flavio Heraclii novi Constantini filii eius a. 1. Chron. Pasc. l. c.* Tunc temporis nomen *novi Constantini*, quod *principem juventutis* indicat, in monumentis, ut mihi videtur, auditum. De eo infra dicam.

II, 3, 4; et *Catal. Byz.* II, et IV; nec non ex nostratibus *Catal. Casin. impp. rr.* (V. supra) *Chron. Fossaenovae*, et *Chron. mon. S. Sophiae.*

Neutrum sequuntur Theophanes qui annos 30 et m. 10 (1), et *Chron. Orient.* (2) sive ECHELLENSIS p. 46, unde *Catal. Byz.* V, qui an. 31, et m. 5 perperam adnotant.

Male omnino nostrates, si chronica supra notata excipies, et alii ex imperio occidentali scriptores Bedam secuti (*O. c.* p. 29), qui annos 26 Heraclio tribuunt. Ita PAUL. DIAC. IV, 49; *Ann. Cav.* et alii.

Nescio quo calculo utens Chronicon nostrum annos 30, m. 2 signat.

Heraclius moritur

die dominica 11 m. febr. anni 641, in qua anni 30, m. 4, et d. 6 a die 5 octobris 610 supputati recte incidunt; quod ex Nicephori computo, et ex die hebdomadae ab Echellensi specialiter adnotata (*Chron. Orient.* p. 40), arguo. Cf. PAGI ad a. 641. Contra mensem martium, ind. XIV, et diem 21 vel 11 adnotant THEOPH. p. 225 , et CEDREN. p. 339, quos sequitur MURALT, *Essais de Chron.Byz.* 292, 3; sed quidem minus recte, cum annorum et mensium summa ab eis Heraclio adtributa, nunquam ad diem 11 vel 21 martii mortem illius referent (3). Aliorum denique, et praesertim nostrorum chronographorum opinionem, utpote magis falsam et erroneam, silentio praetereo.

Huius XXII. anno V. indicione Aio Arichis filius dux Beneventi an. 1. m. 5.

Et heic Chronicon nostrum aperte fallitur, et suis ipsismet calculis adversatur. Nam, cum Arechim ab anno 602 ducatum beneventanum per annos 50 rexisse scribat, nunquam successorem eiusdem ad annum vigesimumsecundum Heraclii V. ind. scil. inter octobrem 631 et augustum 632, iuxta suam ipsius supputationem, ascribere debebat.

Ex indubiis vero monumentis satis liquet, Aionem Arichis filium, patri in ducatum successisse circa mensem maium ann. 640. Cf. Di Meo ad a. De eo haec PAUL. DIAC. *Defuncto Arechi, qui ducatum 50 tenuerat annis, Aio eius filius Samnitium ductor effectus est, cui tamen Rodoaldus et Grimoaldus, sicut seniori fratri et domino, paruerunt.* L. IV, c. 46.

Aio regnavit an. 1, m. 5, ut post PAUL. DIAC. l. c. Cronographus noster, *Chron. mon. S. Sophiae; Catal. Benev. Cav.; Chron. Farf.* p. 302, et alii minores scribunt. Leviter dissentiunt *Catal. Benev. Casin.* qui signat a. 1, m. 7, primo et ultimo ducatus mense pro integro supputatis, et *Catal. Benev. An. Sal.* qui a. 1 et m. 2 non recte annotat. Male omnino *Catal. Sal.* qui falso ei a. 3 tribuit.

Aio cum Sclavis (4), qui irruptionem in Apuliam fecerunt, non longe a civitate Siponto, ad Aufidum (*Cat. Benev. Cav.*) pugnavit, et ab eis fraude (*per ingenium*), occisus obiit verisimiliter circa mensem iulium vel augustum an. 641. PAUL. DIAC. l. c.

Et XXIII. eiusdem anno VI. indic. Rodoaldus dux Ben. ann. 5.

Chronicon in eodem permanet errore, a quo in anterioribus ducibus deceptum fuit. Male enim Rodoaldum in a. 22 Heraclii, iuxta suam supputationem, ind. VI, Ae. v. 632-633 collocat. Verisimile est ipsum, Gisulphi Foroiuliensium ducis, qui in incursione Avarica an. 611 mortuus fuit, filium circa mensem septembrem vel octobrem anni 641 ducatum obtinuisse. In *Ann. Cav.* bis notatur. Prima vice *A. 639, XII. Rodoaldus*, et altera *A. 646, IV. Rodoaldus.* In hac fortasse obitus eiusdem, et quidem recte, significatur.

Rodoaldus cum aliis ducibus et exercitu langobardorum (an. 645) Surrentum frustra obsidet, ex Omelia SS. Ren. et Val. in UGH. *Ital. sacra* in *Surr.* Cf. ASSEMANI, II, p. 183 (5).

Vixit in ducatu a. 5 expletis, ut Chronicon

(1) Menses 10 desunt in cod. Barberinae bibliothecae eiusdem Theoph. V. p. 418.

(2) Fortasse ECHELLENSIS pro annis 30, m. 5 annos 31, m. 5 ex errore posuit.

(3) Elmacinus p. 24 ap. ASSEMANUM II, 143, mortem Heraclii in anno 19 Aegirae idest m. ian. 640 ponit.

(4) De tempore irruptionis Sclavorum in Apuliam disserit ASSEMANI II, c. 2.

(5) De hac Surrenti obsidione dubitat PRATILLIUS, V. p. 41, sed iniuria, ut recte eum arguit P. DI MEO ad a.

nostrum asserit, et, uno *Catal. Benev. Casin.* excepto, qui menses duos adiicit, omnes alii, scil. PAUL. DIAC. IV. 47; *Catal. Benev. Cav.; Catal. Ben. S. Sophiae; Chron. Farf.*; etc.

Et XXIX ipsius anno XI. ind. Grimoaldo, Rodoaldi filius, an. 25.

Et adhuc de via Chronographus noster deflectit; initium enim ducatus Grimoaldi in a. 29 Heraclii, XI. ind. scilicet a. Æ. v. 638-639 falso ponit. Quin imo chronologicis, quas cum Paulo Diacono communes habet, erroribus alium nunc adiicit, cum Grimoaldum Rodoaldi filium, non fratrem, qualis ipse revera fuit, inepte dicat. Male itidem *Chron. Cav.* adnotat: *a. 656, ind. XIV. Grimoaldus.*

Grimoaldus, *vir bellicosissimus et ubique insignis* (PAUL. DIAC. IV, 47) circa m. octobris a. 646, ut non sine probabili causa coniici potest, dux Beneventi effectus est. Is de captiva puella, sed tamen nobili, cuius nomen Itta fuit, Romualdum filium et duos filias genuit. Postquam vero Italiae regnum obtinuit, uxorem duxit filiam defuncti regis Langobardorum Ariberti, ex qua Garibaldum habuit, qui ei in regno successit.

Chronographi nostri omnes Paulum Diaconum (*l. c.*) secuti Grimoaldo annos 25 in ducatu beneventano assignant. Ita *Catall. Benn. Casin* et *Cav.* nec non *S. Sophiae* et *Salern.* Sed de hac annorum summa quomodo ratiocinari debet? Supputanda ne est usque ad tempus, in quo Grimoaldus regnum Italiae adeptus est, an usque ad diem obitus eiusdem?

Chronographi ipsi et scriptores in diversum abeunt. Primam enim sententiam, praeter Paulum Diaconum, sequuntur Hermannus Augustus (1) inter antiquos, ac Pagi, De Vita, qui annos Grimoaldi cum annis Ajonis ac Rodoaldi conjungit (2) et alii inter recentiores; alteram vero, ut praecipuum memorem, amplectitur P. Di Meo, qui priorem ex absurdo acriter improbat. Et revera si Grimoaldo annos 25 tantum in ducatu beneventano dabimus, et eos in an. 662, quando regnum arrepturus Ticinum profectus est, conficiemus, certe tunc nec praecedentium ducum chronotaxis, nec aliquando ipsius Grimoaldi aetas recte constabit.

De caetero exploratum est Grimoaldum, qui ut supra innuimus, circa m. octobris a. 646 dux Beneventi renuntiatus fuerat, auditis Bertaridi et Godiberti, defuncti Langobardorum regis filiorum, dissensionibus anno 662 *animum ad regnum Langobardorum obtinendum erexisse, ordinatoque apud Beneventum Romualdo suo filio duce versus Ticinum iter arripuisse*, et deinde, occiso Godeperto ac Bertarido in fugam verso, regno potitum fuisse. Id autem non ante mensem julium eiusdem anni 662, neque post mensem iunium anni sequentis evenire potuit, uti ex ipsis notis chronologicis legum, quae ab eo a. VI. regni m. iulio ind. XI (Æ. v. 668) latae fuerunt, clare eruitur. Post annum vero nonum (3) seu potius anno nono regni (4), Æ. v. 671, obiit. Ita iuxta supra dictam supputationem sedit a. 25 in summa annis etiam regni recte connumeratis. Praeterea integram summam P. Di Meo ex *Catal. duc. Ben. et princ. Sal.* a Pratillio (5) vulgato, qui a. 15 et m. 9 in ducatu, et a. 9 et m. 3 in regno Grimoaldo adnotat, diligentius etiam distinguit. Sed monumentis e penu Pratilliano depromptis nec fidem nec auctoritatem adiungere possumus, et, quamvis illae notae chronologicae recte se se haberi possint, tamen, uti vetus ille dixit, *mendaci homini ne verum quidam credere*, nec iniuria, *solemus.* (Cic. *De div.* II, 146).

640. ind. XIII. Constantinus filius eius m. 4, Eraclonas m. 6.

Chronographus noster, ut in Heraclio, vel annum antecedit, vel in indictione fallitur, quamquam annos imperii recte ponat. Nam

(1) HERIMANNI AUG. *Chron.* in M. G. H. t. V, *Scr.* p. 95.

(2) DE VITA, *Antiqu. Benev.* II, p. 133.

(3) Annos novem in regno Catalogi nostri omnes Grimoaldo tribuunt. Idem ANDREAS presbiter, SIGEBERTUS, *Chron. Farf.* et ROMUALDUS SALERN. affirmant.

(4) In *Catal. regum Lang.* ex cod. LL. Langobardicarum Rhedigeriano-Vratislaviensi Grimoaldus habet regni a. 8. Cf. M. G. H. t. V *Scr.* p. 64. Annus nonus igitur verisimiliter non fuit absolutus.

(5) V. PEREGRINIUM PRATILLI, V, p. 6.

Constantinus et Heracleonas Heraclii ff.

A. m. $\frac{6133}{6149}$ = Chr. 633-634 = Æ. v. 640-641, ind. XIV die 12 februarii ex testamento heredes aequo iure patri sub eiusdem viduae Martinae tutela, principem tamen locum obtinente Constantino, succedunt. Sed Constantino post 103 dies mortuo, seu veneno a noverca necato, Heracleonas cum matre Martina imperium tenuit die 24 vel 25 maii. Ita ex variis Byzantinorum scriptorum sententiis inter se mutuo collatis, et ex temporum ratione diligenter perpensa statui posse mihi videtur. V. NICEPH. ut ab antiquioribus auctoritatem repetem, *Brev. Hist.* p. 15; *Chron. brev.* p. 322; THEOPH. p. 225; ANAST. p. 106.

Male omnino nostrates, qui aliquantulum in epocha, multo magis in annis imperii falluntur. Ita enim *Chron. Cav.* in a. 638. *Heracleonas imperator cum matre sua Martina* a. 2, et in a. 640 ind. XIII. *Constantinus filius Heraclii* m. 6.— *Chron. monast. S. Soph.* ad a. 640, ind. XIII, *Heracleonas* an. 2; et ad 642, ind. XV. *Constantinus* m. 6. Ita etiam, quoad annos imperii, in *Chronicis Farfensi*, et *Vulturnensi*.

Omnes PAUL. DIAC. l. IV, c. 51, et BEDAM *Chron.* p. 30, qui primus Heracleonae cum matre Martina annos 2 tribuit, sequuntur. Revera

Constantinus imperat

m. 4 (non expletis). THEOPH. p. 225; ANAST. p. 106; CEDREN. p. 339; *Hist. misc.* p. 134; sed proprie diebus 103. NICEPH. *Brev. Hist.* l. c. — vel an. 1. scil. incoeptum pro completo habito; aut Heracleonae mensibus etiam connumeratis. HAMART. 228, 1; ZONARA, XIV, 18; GLYCAS, p. 213; IOEL. p. 136; *Catal. Byz.* I et VI. Male omnino *Catal. Byz.* IV signat annum unum et dimidium.

Heracleonas cum matre Martina imperat

m. 4 (usque ad coronationem successoris) LEO. 156, 14; IOEL. p. 137; HAMART. 233, 1; vel m. 6 (usque ad eius depositionem) THEOPH. l. c.; CEDREN. l. c.

Constantinus moritur

die 24 vel 25 maii, ut ex NICEPH. l. c.

Heracleonas et Martina

ex senatus decreto imperium deponunt, et alter naso, altera item lingua privatur mense nov., ut ex supra notatis arguo, ind. XV. Cf. *Leo* 156, 14.

641. ind. XIV. Constans an. 27.

Et hic Chron. nostrum aut annum antecedit, ut *Anast. Bibl.* p. 107, aut in ind. fallitur. Nam

Constans

A. m. $\frac{6134}{6150}$ = Æ. v. 641 ind. XV mense septembri exeunte (vindemiarum tempore) ex senatus decreto populique voto imperator renuntiatur, et ab ipsis Heracleona et Pyrrho patriarcha, eius assecla, coronatur. NICEPH. *Brev. Hist.* p. 16-17; THEOPH. p. 226; CEDREN. p. 340; *Hist. Misc.* p. 135.— Haec epocha etiam ex Synodus Romae habitae notis chronologicis mense octobri ind. VIII anno IX Constantis eruitur (1). Ipse, qui Flavius Heraclius dicebatur, tunc Constantini vel Constantis, ut generaliter appellatur, nomen accepit. NICEPH. *l. c.*

Chronographi nostri (si unum Romualdum Salernitanum excipies, qui recte vidit) aetates, nomina, annos huius imperatoris corrumpunt, et illum cum aliis proxime notatis mire confundunt. Ita *Chron. Cav.* in a. 640, ind. XIII. post Constantinum Heraclii filium: *Constantinus filius eiusdem Constantini, vel, secundum alteram chronicam Martina noverca superioris Constantini cum filio Heracleona* a. 28; et *Chron. Fossae nov.* a. 641, ind. XIV. *Constantinus cum Hiradona* (Heracleona) *fratre eius an. 28.*

Chron. Monast. S. Soph. (BEDAE *Chron.* p. 36 secutum) quodammodo rectius: a. 643, ind. I. *Constantinus qui et Constans filius eius a. 28.*

Anno Æ. v. 653, ind. XI Constantinus Constantis f. a patre in collegam, festo fortasse baptismatis die, adsumitur. Item a. sequenti, forte die Paschatis (13 apr.), ipse coronatur, ut ex epocha

(1) V. MANSI, *Coll. Concil.* X, p. 863. Cf. BEDA, *Chron.* p. 30, IOH. DIACON. p. 48.

imperii eiusdem in quibusdam monumentis (de quibus infra) signata coniici licet. Anno vero Æ. v. 659, ind. II circa m. maium vel iunium Heraclius et Tiberius eiusdem Constantis alii filii a patre item collegae in imperio renuntiantur.

Constans imperat

an. 27 (non expletis, sive ex epocha P.C. supputatis) ut THEOPH. p. 226; ANAST. p. 106; CEDREN. p. 436; ZONARA XIV, 19; HAMART. 234, 1; GLYCAS, p. 214; LEO, 157, 5; *Chron. Orient.* p. 60; *Hist. Miscell.* p. 134; IOEL. p. 137, et ex nostratibus *Chron.* nostrum et *Chron. Vult.* —vel an. 27 (expletis) ut NICEPH. *Brev. Hist.* p. 17; —aut a. 28 (non expletis), ut idem NICEPH. *Chron. brev.* p. 322; *Cat. Byz.* V. et VI. et nostrates pene omnes (ut supra videre est) PAUL. DIAC. IV, 51 et illo antiquiorem BEDAM p. 30, secuti.

Quae varia, et duplex sententia ab anno, quo Constans mortuus esse creditur, procul dubio dependet. Nam

Constans moritur

die 15 iulii vel ind. XI an. 660=668, ut THEOPH. p. 292; CEDREN. p. 340; ANAST. in quibusdam codd. et alii, qui annos 27 ei tribuunt, adnotant; quam epocham ex modernis scriptoribus sequitur Baronius ad a.

— vel ind. XII, et anno 669, ut ANASTASIUS p. 116; BEDA l. c.; PAULUS DIAC. l. c.; *Catal. Farf.* ap. BLANCHINIUM p. 17, et IOH. DIAC. noster p. 53 putant. His inter recentiores adstipulantur Mansi (1) et Di Meo ad a.

Contra Pagius et Muratorius ad a. ut duas, quas retuli, inter se discrepantes sententias concordarent, medium tenent, ac mensem iulium et ind. XI reiicientes Constantem in ipso a. 668, sed m. septembri ac ind. XII defunctum esse opinantur. Verum in tanta doctorum virorum dissensione, si quid recte video, illa probabilior sententia mihi videtur, quae obitum Constantis in die 15 m. iulii ind. XI. a. 668 collocat. Nam ex sextae Synodus Cpolitanae a. m. 6172 = Æ. v. 680 habitae notis chronologicis, quae annum decimumtertium Constantini Pogonati cum ind. IX in mense novembri coniungunt (2); et ex annis imperii eiusdem Constantini solius, qui de omnium chronicarum et scriptorum consensu 17 fuerunt, satis aperte eruitur eum a m. iulio a. 668, occiso patre, imperium suscepisse; aliter enim nec decimustertius annus in m. novembri ind. IX a. 680 incidisset, nec idem Constantinus annis 17 imperium tenuisset, cum eo calculo vix, ac ne vix quidem, annum XVII attingere potuisset. Accedit eodem nunc etiam aliud ex litterato marmore paucis abhinc annis invento argumentum; in quo Theophilactum S. N. E. archidiaconum obiisse legitur *prid. Kal. iun. imp. d. n. Constantino PP. A. an. tertio Consulatus ind. XIIII* (3), idest die 31 maii 671; quod nullo modo mortem Constantis ad a. 669 amandare potest. A sententia denique Pagii et Muratorii ea potissimum ratione discedo, quia mensis iulii, pro mense septembri in codd. interpolatio nec facilis est, cum plurimum inter se differant, nec probabilis, cum omnes chronographi iulium habeant. De epocha vero Constantini, quae in aliquibus monumentis anno uno protrahitur, infra dicam.

(1) In *Notis* ad *Ann. Eccl.* BARONII t. XI, p. 564 ed. Lucensis.

(2) MANSI, *Coll. Concil.* XI, 655. Cf. CEDREN. p. 345.

(3) Cf. GALANTE, *Lapida sepolcrale di Teofilatto arcidiacono della chiesa di Napoli nel secolo VII.* Nap. 1867 in 4.°— Epitaphium ipsum infra repetam.

DE REBUS NEAPOLITANIS AB A. 568 AD A. 661

ET DE ORIGINE DUCATUS NEAPOLITANI

DISSERTATIO.

Quae de rebus et ducibus Neapolitanis ab ipso Langobardorum in Italiam adventu ad medium fere saeculum octavum usque adhuc ex patriis scriptoribus habentur, ea saepe varia et incerta, saepe etiam monumentorum illius aevi, quorum perpauca supersunt, testimoniis non consentanea, saepe denique *poeticis magis decora fabulis*, quam indubiis ipsorum monumentorum auctoritatibus firmata sunt. Nam, si Alexandrum Di Meo, qui aliquando propius vero accessit, et Grimaldum, qui ex quadam animi divinatione verum suspicatus est, excipies, omnes alii a Chronici Parthenopaei, quod sub falso Iohannis Villani nomine circumfertur, auctore, ad Troianum Spinellium Aquarae dynastam, qui circa finem saeculi superioris scripsit, Neapolitanorum ducum seriem sive ex fabulosis traditionibus, sive ex monumentis perperam intellectis, sive etiam quandoque ex proprio ingenio compositam, non sine magna opinionum discrepantia, tradiderunt. Ita Summontius (1) et De Petris (2), qui Pseudo-Villanum auctorem produnt, duces in urbe Neapolitana ab Augusti temporibus inepte fabulantur, nescio quid de Marcello duce, et Virgilio consule somniantes, et post alios, quos, utpote hoc aevo antiquiores, praetereo, Gunduinum a. 602, Iohannem Consinium a. 615, Theodorum, de quo epitaphium in ecclesia S. Mariae *donnaromita* adhuc visitur, a. 616, Sergium Crispanum, qui multo serius a. 1067 vixit, a. 661, Iohannem, a castro Cumarum Langobardis erepto *Cumanum* dictum, a. 715, et Stephanum a. 762 in ducatu ponunt. Ineptias Pseudo-Villani Capacius notavit; sed eas omnino reiicere ausus non est. Ipse (3) Theodorum supradictum primum Neapolis ponit ducem; dubius an Constantini magni vel alterius Constantini, aetate posterioris, temporibus collocandus fuisset: deinde post duos anonymos, Maurentium a. 593, Gunduinum a. 602, Iohannem Consinium a. 610, Iohannem Cumanum, Exhilaratum, Petrum, et Eutychium sub Gregorio II. P.P. et Leone Isaurico imp. et Stephanum denique circa medium saeculum VIII. in ducibus Neapolitanis adnotat. Falconium (4), et Beltranum (5), qui post Capacium scripserunt, et nisi in uno aut altero ab eo discrepant, praetermitto, memorato tantum Theocrito, quem ipsi ducem a. 685 primi proferunt, et ad Petrum Iannonium potius devenio, inter patrios historicos celeberrimum, qui, reiectis tandem aliquando anilibus Pseudo-Villani fabellis, aliam meliorem, neque tamen magis rectam, de ducatus origine coniecturam proposuit. Nam Flavii Blondi (6) opinionem secutus affirmavit Longinum

(1) SUMMONTE, *Hist. Nap.* I, p. 395 e *Tavola dei Duchi* in indicibus.

(2) DE PETRIS, *Hist. Nap.* p. 41 et 42.

(3) CAPACCIO, *Hist. Neap.* L. I. c. 12, p. 96 ed. Gravier.

(4) FALCONE, *Istoria della vita di S. Gennaro* p. 478 et 482.

(5) BELTRANO, *Descrizione del r. di Nap.* p. 60.

(6) BLONDI, *Hist.* L. III, dec. 1.

exarchum, a. 568, omnem reipublicae statum in Italia immutavisse; consulares, correctores ac praesides, a quibus singulae regebantur provinciae, sustulisse, et in eorum vicem civitatibus quibuscumque, quae alicuius momenti essent, duces, qui supremum imperium haberent, et iudices, qui iustitiam ministrarent, praefecisse. Ita ducatum neapolitanum, et alios in Italiae cis-Tyberinae praesertim regionibus positos originem habuisse, et primis invasionis Langobardicae temporibus permansisse censet; ducum vero seriem ex illis ipsis, quas Summontius et Capacius dederunt, repetit, adiectis tantum Scholastico a. 593 et Godeschalco a. 600, ac Theodoro ad a. 736 reducto (1).

Circa medium saeculum XVIII Troylus, et Pratillius hanc spartam illustrandam susceperunt. Alter multa de neapolitanae urbis politia, de ducatus origine, de ducum dignitate ac titulis, atque de aliis similibus generatim de more suo congerit, sed vel quae maxime nota sunt, vel quae proprie ad rem non faciunt, disserit, et de ducibus nil aliud novi nisi Saburum a. 663 Neapolim regentem affert (2). Alter vero, qui falsum Ubaldi Chronicon, initio mutilum, primus protulit, quaedam de neapolitani ducatus exordio et vicibus in prolusione, quam illi praefecit, disputavit, et ducum seriem Ubaldianam ante a. 720, quo Chronicon ipsum incipit, suis adnotationibus supplevit. Ipse in opinione quidem fuit, subacta a Langobardis Campania, consularium nomina evanuisse, et magistros militum; quibus maritimorum eiusdem provinciae locorum cura commissa erat, consulis sive consularis praefecti, ducisque nomen (Beneventanorum instar ducum) ad dignitatis ostentationem habuisse; qua quidem aeque civiles res atque militares administrarentur. Ita tempore S. Gregorii PP. scilicet cadente saeculo VI nomina iudicis, ducis, militum magistri, aut tribuni Neapoli audiri coepta, qui ab exarchis Ravennatibus, aut a graecis augustis creabantur ad neapolitanam Campaniam tuendam, unde neapolitani ducatus origo. Quoad vero ducum seriem attinet Scholasticum ab a. 593 ad a. forte 596 ponit; inde Maurentium, post quem Godeschalcum a. 600, et Gunduinum a. 603, cui ex sua sententia Constantius seu Constantinus a PP. Gregorio successor datus est; post eum habet Iohannem Consinum; et denique ex quadam charta ab ipso primum allata a. 704 Maximum Ocellarium (3) profert.

Pratillii, quam retuli, in neapolitanis ducibus enumerandis sententiam Assemanus, qui alioquin de origine ducatus nil affert, pluribus adversatur, et Scholasticum, Godeschalcum, ac Constantium e ducum serie omnino expungit (4). Contra Troianus Spinellius pene omnes, quos in epistolis S. Gregorii PP. vel ducis, vel magistri militum, vel iudicis, vel etiam praefecti aut praepositi Italiae titulis insignitos videt, in Neapolis duces assumit, et in eorum catalogo refert. Ita ad eos, quos supra notavimus, quemdam Gregorium a. 597, Maurilionem, Georgium et Constantium, Carterium, Vitalianum ac duos Iohannes adiicit (5).

Haec sunt quae in laudatis scriptoribus de neapolitani ducatus origine, et de primis eiusdem rectoribus habemus. Ea vero omnia a P. Di Meo, acerrimi ingenii viro, pluribus rationibus, quas heic in compendium redigam, profligata sunt (6). Nam, cum nullo synchronorum scriptorum vel monumentorum testimonio Iannonii, et Pratillii opiniones firmari possint, et cum iam ante Longinum et Langobardorum in Italiam adventum consularium et praesidum officia fere

(1) GIANNONE, *Ist. civ.* L. III, c. 5, p. 162, ed. Gravier.

(2) TROYLI, *Ist. gen. del r. di Nap.* III, p. 177 et ss.

(3) PRATILLI, *Hist. princ. Lang.* Peregrinii III, p. 4, 7, 27, 28.

(4) ASSEMANI, *Ital. Hist. Scr.* I, c. 16, II, c. 2.

(5) SPINELLI, *Tavola cronol.* p. 76.

(6) DI MEO, *Apparato cronol.* p. 205 et ss.; *Annali*, I, p. 258 et ss.

evanuerint, nostratium, quod supra innuimus, de ducatus neapolitani origine systema penitus improbandum esse videtur. Nec magis firmo argumento duces, qui ex epistolis S. Gregorii PP. eruuntur, constitui possunt. Nam nec eis plenam ac supremam imperii, sive civilis sive militaris, potestatem iam tributam, nec nomen ducis Neapolis, si unum Gudoinum excipies, a pontifice eis adscriptum, nec denique eam provinciam tantum, quae deinceps Neapolitanus ducatus, demandatam in laudatis litteris certo videmus. Quapropter doctissimus atque κριτικώτατος P. di Meo, qui ceteroqui de origine haudquaquam disputari voluit, rectius existimavit viros illos, de quibus supra memini, vel praefectos Italiae, aut iudices Campaniae fuisse, vel duces, ut ita dicam, limitaneos, quibus nostrae, vel alicuius alterius urbis in finitima regione positae cura et defensio contra Langobardos committeretur, vel militum magistros, aut tribunos, illuc prout necessitas requirebat, ab augustis imperatoribus, aut ab exarchis Ravennae, aut etiam quandoque ab eodem PP. ad tempus missos. Non modo igitur Maurilionem et alios ab Troiano Spinellio propositos ex absurdo improbat; sed etiam Maurentium ab ipso Assemano acceptum reiicit. De Gudoino tantummodo, qui dux Neapolis dicitur, aliquando dubitat, quamvis ipsum non omni quidem ducis officio et munere tunc functum esse autumet. Neque aliter opinatus est Grimaldus (1), qui insuper rem Neapolitanorum publicam, et omnis graecae ditionis in Italia statum sub Constantino Pogonato a. 669 immutatum fuisse acute arguteque censuit.

Verum enimvero iis argumentis, quibus potissimum vetus illa nostrorum scriptorum opinio refelli poterat, nunc aliud, idque prae superioribus gravissimum, accedit. Ex Chronico enim hoc nostro apertissime discimus Constantem Augustum anno imperii sui vicesimoprimo Basilium primum ducem Neapoli instituisse; quod omnem dubitationis aleam profecto super hac re sustulit. His temporibus igitur, an. scil. 660-661, ut infra fusius disseram, non saeculo superiore, Langobardis advenientibus, ab imp. Constante Constantini filio, Heraclii nepote, non a Longino exarcha ducatum Neapolitanum plane constitutum fuit.

At, cum ita se res habeat, quisnam antea per saeculi fere decursum Neapolitanae reipublicae status? Quae varia fortuna? Quibus ordinibus ea urbs tunc regebatur? quae denique Neapolitanorum eo tempore res gestae, praelia cum barbaris, foedera, vices? Haec singula strictim atque accurate perpendere res est admodum ardua et non parvi sane negotii. Omnia enim in his temporibus obscurissima sunt, et, ut vatis venusini verbis utar, *urgentur nocte illacrymabili.* Nihilominus, cum res praecipue neapolitanas hoc opere illustrandas susceperim, pauca, et ut ut sunt, sine aliqua inter se connexione adstricta, facta, quae hoc aevo accidisse constat, breviter, atque ordine chronologico, fabellis, quibus ipsa commixta sunt, profligatis, primum exponam; dein de nostrae urbis politia eo temporis obtenta breviter disseram, epistolis S. Gregorii PP. in auctoritatem et fidem adhibitis; quod patriarum rerum studiosis commodum ac utile fore duxi; annum denique et rationes instituti ducatus, prout monumentorum et scriptorum eius aevi defectus ferre potest, presse definiam.

Anno igitur 581 urbs neapolitana a Langobardis prima vice obsessa fuit. Id a Petro notario et subdiacono S. Neapolitanae Ecclesiae, qui eodem tempore in vivis agebat et ibi morabatur, memoriae proditum est. In calce enim codicis cuiusdam, in quo *Excerpta* ex operibus S. Augu-

(1) GRIMALDI, *Annali del r. di Nap. Epoca II*, t. III, p. 281, et IV. p. 69 et ss.

stini, ab Eugipio olim Lucullanense abbate elucubrata continebantur, quem ipse Petrus iussu Reducis Neapolitani episcopi emendaverat, hanc notam de tempore, quo opus absolutum fuerat, apposuit: *sub die scilicet iduum decembrium Imperatore Domino nostro Tiberio Constantino P. A.* (perpetuo augusto) *anno VII, post consulatum eiusdem Augusti anno III indict. XV obsidentibus Langobardis Neapolitanam civitatem* (1). Praeter haec nihil aliud certi de ista nostrae urbis obsidione habemus. Verum quidam sequioris aevi scriptores ac praesertim qui de SS. Neapolitanorum actis egerunt (2), eam ita commentis ac fabulis variis exornatam, amplificatamque prodide-

(1) LABBAEI, *De script. eccl.* I, 775 in Addendis—MABILLON, *Anecdota*, II, 11. — MAZZOCCHI, *In vetus Kalend. Neap.* II, 122-135.

(2) Monumentum de S. Agnello omnium vetustissimum est *Libellus de miraculis* eiusdem a Petro subdiacono neapolitano iussu vel hortatu Stephani III. S. N. E. episcopi, circa a. 900 exaratus, qui adhuc nobis superest. Codd. Mss. in quibus ipse cum aliis sanctorum praecipue neapolitanorum Actis, vel plenior, vel aliquibus mancus habetur, et quos ego cognovi aut vidi, sunt hi, vid: 1. Cod. Corsinianus, cuius meminit Mazzocchi, membranaceus saec. XIII exeuntis, charactere langobardico scriptus, olim monasterii S. Severini de Neapoli. De eo vide laudatum Mazochium in opere: *De sanctorum neap. ecclesiae episcoporum cultu*, p. 328 et ss. — 2. Cod. Neapolitanus? (*Nazionale* VIII, B. 47) membranaceus saec. XII, charactere romano, ad diem 19 Kal. ian. cap. VIIII scriptus. Habet titulum: *Incipit prologus de vita et obitu b. Agnelli* (vacuum in membrana ex verbi unius rasura) *conf. Inter cetera. . . . Igitur vir Domini . . . . . sancta gaudia consequetur.* — 3. Cod. Neapolitanus (olim monasterii SS. Apostolorum, nunc *Nazionale* VIII, B. 7) f. 51-64, membranaceus in fol., charactere langobardico saec. XIII ex. vel XIV scriptus. Non multum ab antecedenti differt.—4. Cod. Neap. (olim eiusdem monasterii, nunc *Nazionale* VIII, B. 8) membran. in fol. saec. XIII vel XIV, item charactere maiusculo langobardico scriptus, f. 41 v. 52. Incipit, ut in praecedentibus: *Inter cetera* etc. desinit: *pro modulo inertis ingenii scripsi illius virtute miracula . . . . eaque versibus illustrare curavi ad honorem Domini nostri* etc. *Amen.* Sequuntur versus: *Laudem Chrizte tibi persolvant astra polusque* etc.—5. Cod. Neap., cui titulus: *Variorum collectio* t. VIII (olim p. d. Antonii Caraccioli et eiusdem monasterii, nunc *Nazionale* IX, C. 33) f. 257. *Vita S. Agnelli. Inter caetera . . . . gaudia consequetur.* Inde sequitur: *Igitur dum b. Agnelli virtus* etc. . . . . . *sancta precatio.* Heic f. 275 in margine manu eiusdem p. Caraccioli legitur: *Huc usque ex Cod. Taurensi* (domus scil. clericorum regularium sub tit. S. Mariae a *Toro* in dioecesi Vici Aequensis); *quae vero sequuntur exscripsimus ex cod. membr. R. Iosephi Massarelli, qui ex apicum antiquitate videtur scriptus ante centum annos, sive potius exscriptus e cod. aliquo M. S. vetustissimo, cuiusmodi est ille, quem e bibliotheca S. Severini habuit cardinalis sanctae Severinae. Illum nos vidimus et diu tenuimus.* — Sequuntur deinde alia Miracula, et in fine *Carmen Petri subdiaconi*, quod, quia adhuc ineditum, et quia auctorem operis, et aetatem patefacit, hic subiicio:

Excipe, Christe potens, Theotoce et Virgo Maria
Hoc opus egregium, quod praebet mente fideli
STEPHANUS insignis Domini mitisque sacerdos
Scilicet . . . . miracula sancta
Agnellus sanctus quae gessit munere divo;
Optime monstrando quantum valet optio Christi.
Illius ad templum qui currunt pectore puro
Commoda percipiunt, pellunt incommoda porro
Qualiter vexatos ac morbo valde tumentes
Concite curavit salubri virtute tonantis
Solvit energumenos, paralysi peste revinctos.
Dissolvens ora . . . . vincta cathena
Munere cuncta Dei cunctis saluberrima praebens
Quidquid amans (amando) Deum quaesivit, habendo recepit.
Hinc ergo (ego) posco Petrus, studui qui haec pandere facta
Ductus amore tuo Christi Confessor amande,
Quo pius exposcas veniam pulsando tonantem,
Crimine quo caream delicti pondere laevo,
Et mihi post mortem vel ultima portio detur.

Libellus prodiit primum a. 1525 in *Officiis Ss. Patronorum* civ. Neap. per lectiones in festo et in octava eiusdem Sancti distributus. Postea ab cl. v. Mansi in additionibus ad Baluzii *Miscellanea*, t. IV, iterum ex cod. Lucensis Ecclesiae, prologo ac pluribus in fine miraculis decurtatus, typis datus fuit. Nihil autem ipse habet de Neapolis obsidione vel de barbarorum fuga, quae a recentioribus scriptoribus enarrantur; dumtaxat asserit Agnellum abbatem electum fuisse *in monasterio quod b. Gaudiosus, cognomento Septimius Celius, S. Bithyniensis et Africanae ecclesiae pontifex, condere studuit in hac Parthenope civitate, et peracto debiti sui cursu anno vid. sexagesimoprimo regnante Mauritio Tyberio Augusto et b. Gregorio Romanae praesidente sedis pontifice, nec non et Fortunato Neapolitano episcopo nono decimo Kalendas ianuarias ad coelestia regna migravisse.* Et deinceps plurima post eiusdem obitum patrata miracula addit.

Eodem tempore, quo nostrae urbis SS. Patronorum officia (de quibus vide D'ALOE, *Storia della Chiesa di Napoli*, vol. I, P. II. p. 381), Neapoli ex typogr. Iohannis Sulstbach Alemanni, a. 1532 item alia vita S. Agnelli prodiit, quae, ut ex Chioccarellio (*De episc. Neap.* p. 62) discimus, excerpta dicitur

runt, ut factum ipsum ex synchroni auctoris testimonio certissimum omni prorsus verisimilitudine destitutum facerent. Rem enim hoc modo gestam narrant. Barbari, quos Falcus (1) et Summontius (2) Saracenos existimant, classibus ex Aphrica advecti Neapolitanam urbem arcta obsidione cingentes, vi facta, per portam, quae *Ventosa* dicebatur, ad mare sitam, ingressi, eam adusque regionem Montaneam ceperunt. Tunc Agnellus cuiusdam monasterii in eadem regione positi abas, qui populi fugientis clamores et feminarum planctus ex oratorio, ubi Deum precabatur, audierat, crucis signo arrepto, contra hostes audacter egressus est, et fugitivos consistere ac terga vertere iussit, atque eos, ut patriam a barbaris defenderent, acriter incitavit. Aphricani signo crucis viso inopino terrore perciti sunt. Protinus in fugam versi ad litus sese avertunt, et, navibus conscensis, in Aphricam, Neapoli relicta, reditum faciunt. Neapolitani vero ab hostibus vindicati, eo in loco, ad quem usque barbari pervenerant, clavum aereum veteri more fixerunt, ac beneficii celesti ope obtenti non immemores ecclesiam angelo Michaeli ex eius monitu dicatam construxerunt, quae *ad signum* vocata fuit, et usque adhuc ita appellata extat.

Hanc de Neapolitana urbe S. Agnelli ope ab hostibus liberata narrationem Capacius (3), nî fallor, primus omnium, et post eum inscriptio ante fores eiusdem S. Michaelis Archangeli *ad signum* ecclesiae apposita (4), atque alii patriarum rerum scriptores (5), cum alia eiusdem urbis obsidione et liberatione a Pseudo-Villani, qui multis erroribus et patenti anachronismo eam inquinavit, relata (6), mire confundunt (7). De ea, quae verisimiliter saracenis tribuenda est alibi opportunius dicam. Heic mihi tantum affirmare liceat omnino repelli non posse, quae de Agnelli patrocinio dicuntur, qui etiam post obitum saepe visus est obsessam urbem crucis vexillo ab hostibus liberare. Quamvis enim multa fabulosa in bello a Langobardis a. 581 Neapolitanis commisso ex recentiorum scriptorum credulitate vel ignorantia interiecta sint, quamvis de barbarorum per portam *Ventosam* usque ad Montaneam incursu, de divino angeli monitu, de ecclesia ob partam victoriam instructa et divo Michaeli dicata, ac de aliis similibus non inepte dubitari liceat, tamen nil vetat cur Agnelli abatis ad urbem a Langobardorum exercitu vindicandam opera admittatur. Id moribus illius aevi, cum clerus ad patriae defensionem non modo oratione, sed etiam hortationibus atque armis ipsis conferre non renuit, minime abhorret, et in obsidione Surrenti a Langobardis a. 645, de qua infra redibit sermo, alio fere simili exemplo firmari potest. Nostri sive ex actis eiusdem S. Abatis, quos nunc deperditos querimur, sive ex patrum memoria rem acceperunt, quam postea ex vulgi ingenio corruptam recentiores miris fabulis perturbatam tradiderunt.

ab eiusdem sancti actis et miraculis a S. Fortunato episcopo neapolitano, auctore coaevo, exaratis, et S. Gregorio Papae, ut Agnellus in sanctorum catalogo adscriberetur, transmissis. Sed idem Chioccarellius eam confictam esse subiungit a Iohanne neapolitano, congregationis S. Salvatoris in S. Agnelli coenobio monacho, qui ex imperiti vulgi nugis illam congessit, et idcirco merito explodendam esse dicit. Forsitan ex ea posteriores scriptores narrationem de neapolitana obsidione hauserunt—De S. Agnelli vita scripserunt etiam eodem saeculo David Romeus (*Septem Sancti custodes ac praesides urbis Neapolis*, 1567) et Paulus Regius Vici Æquensis episcopus (*Vitae SS.* 1598), qui nil de ecclesia S. Michaeli Archangelo dicata habet. Ex aliis sequioris aevi scriptoribus unum Mabillonium, qui in *Actis SS. ord. S. Benedicti* de eo egit, memorare mihi satis videtur.

(1) FALCO, *Antic. di Nap* p. 29. — SURGENTE, *Neap. illustrata*, p. 96.

(2) SUMMONTE, *Hist. di Nap.* I, p. 387— GIANNATTASIO, *Hist. Neap.* D. I, L. 4, p. 65.

(3) CAPACCIO, *Hist. Neap.* I, p. 14.

(4) ENGENIO, *Napoli sacra*, p. 78 ; D'ALOE, *Tesoro lapid. nap.* p. 395. — Inscriptionem pluribus argumentis impugnat GRANDE, *Dell' origine de' cognomi*, p. 297.

(5) ENGENIO, l. c. CELANO, *Giorn.* II, p. 227.

(6) VILLANI, *Cronaca di Partenope*, c. 52-53.

(7) Id iam animadvertit ASSEMANI, *O. c.* I, 471, Cf. p.477.

Paulo post obsidionem a Petro notario memoratam a. 592 Neapolim iterum a Langobardis obsessam scimus. S. Gregorius PP. in epistola (L. II, ep. 46) ad Iohannem Ravennae episcopum ind. X, hoc est eo anno 592 data, haec scribit: *De Neapolitana vero urbe excellentissimo Exarcho instar imminente vobis indicamus, quia Arigis, ut cognovimus, cum Ariulpho* (Spoletano duce, qui ex Agilulphi Langobardorum regis forsitan iussu Ravennatem exarchatum et Romam tunc temporis invaserat) *se fecit et Reipublicae contra fidem venit et valde insidiatur eidem civitati, in quam si celeriter dux non mittatur, omnino iam inter perditas habetur.* Neque his contentus Pontifex interim, cum in mora periculum esset, ne ob ducis defectum Neapolitana urbs Langobardis succumberet, Constantium tribunum custodiae civitatis deputavit. Dein alia epistola ad milites neapolitanos data (L. II, ep. 31, ind. X.) obedientiam et devotionem, quibus tribunum ipsum receperant, laudat, ac eis summopere commendat, ut eidem pro sereuissimorum dominorum utilitate et conservanda civitate, sicut et fecerant, obedientiam exhibere et vigilantiam ac sollicitudinem augmentare non negligant (1). Has litteras proprie ad m. iulium vel aug. amandandas esse ex illis, quae antecedunt vel sequuntur, P. di Meo recte arbitratur.

Bellum et insequentibus annis et usque ad a. 602 continuatum fuisse ex aliis eiusdem S. Pontificis epistolis (2) satis constat. In quadam Maurentio magistro militum, tunc in neapolitana urbe posito, a. 594 data habemus Neapolim adeo a Langobardis continuo praelio vexatam usque adhuc et propugnatam fuisse, ut Theodosius quoque abas, qui monasterio a q. Liberio patritio in partibus Campaniae aedificato praeerat (L. IX, ep. 73, ind. II), in murorum vigiliis adhibitus fuerit, et graviter ob id affligeretur. Ex alia Fortunato Neapolitano episcopo eodem anno missa elicimus milites in coenobiis etiam monialium, ut instanter hostibus obsisterent, propter praeliorum necessitatem collocatos fuisse (L. IX, ep. 103, ind. II.)

Verisimile videtur, ut Assemanius opinatus est, anno circiter 602, bellum aliquando intermissum fuisse, et neapolitanos pacem cum Arechi duce, et Langobardis habuisse. Id enim ex eiusdem S. Gregorii epistolis non sine ratione coniici potest, quibus Arechim, sicut *de filio* confidens, enixe rogat, ut Savino subdiacono, qui trabes propter ecclesias bb. Petri et Pauli necessarias de partibus Brutiorum incidere fecerat, opem ferret, et actionariis suis, qui illic erant, ut illas ad mare transvehi facerent, iniungeret (L. XII, ep. 20-23, ind. V.) Quod autem ex alia epistola Adeodato abati neapolitano a. 602 data (L. XIII, ep. 2, ind. VI), P. Di Meo arguit (3), Campaniam scilicet, immo ipsam Neapolim, ab Arechi et Langobardis denuo vexatam, ac incursibus lacessitam fuisse, id ei minime assentior, cum S. Pontificis verba et Craterensis monasterii, Neapolitanae urbi e vicino fundati, desolatio et vastitas apte non minus ad antecedentia

(1) Epistola, quam iuvat heic integram referre, sic se habet:
Gregorius universis militibus neapolitanis:

„ Summa militiae laus inter alia bona merita haec est; obedientiam *Sanctae Reipublicae* utilitatibus exhibere, quodque sibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare; sicut et nunc devotionem vestram fecisse didicimus, quae epistolis nostris quibus magnificum virum *Constantium*, Tribunum, custodiae civitatis deputavimus praeesse, paruit, et congruam militaris devotionis obedientiam demonstravit. Unde scriptis vos praesentibus curavimus ad monendos, uti praedicto viro magnifico Tribuno, sicut et fecistis, omnem debeatis pro Serenissimorum Dominorum utilitate vel conservanda civitate obedientiam exhibere; quatenus quidquid a vobis hactenus bene gestum agnoscitur, per praesentis temporis vigilantiam ac sollicitudinem augmentatis „.

Ex titulo huius epistolae perperam in quibusdam codd. et in veteri editione *universis episcopis neapolitanis* tributae plura absurda et falsa congesserunt PEREGRINIUS (Diss. V. *De Duc. Benev.*) et IANNONIUS (L. IV, c. 4); quae merito arguit ASSEMANIUS, *O. c.* t. I, p. 521.

(2) Cf. ASSEMANI, *O. c.* I, c. 17.

(3) DI MEO, *O. c.* ad a. n. 2.

tempora, quam ad a. 602 referri possint. Tunc de Gundoino duce Neapolis, sive potius Neapoli posito (1) memoriam habemus.

Externo bello aliquot per annos intermisso seditiones et civiles discordiae supervenerunt. *Lib. Pontif.* seu Anastasius Bibliothecarius in *Deus-dedit*, relato Eleutherii patricii, et cubicularii, in omnes, qui Ravennae in nece Ioannis exarchi et iudicum reipublicae mixti fuerant, iudicio, addit: *Hic venit Romam et susceptus est a sanctissimo Deusdedit Papa optime. Qui egressus de Roma venit Neapolim, quae tenebatur a Johanne Compsino iutarta* (*l. antarta* seu *rebelli*). *Qui Eleutherius Patritius pugnando ingressus est Neapolim et interfecit tyrannum, reversusque est Ravennam, et data roga militibus pax facta est in tota Italia.* Nec aliter PAULUS DIAC. L. IV, c. 35 rem refert: *Hac aetate* (inquit ille) *Johannes Consinus invasit Neapolim, quem de eadem civitate non multos post dies Eleutherius Patricius expulit eumque interfecit.* Id anno 616-617 accidisse exploratum est. At quis hic Iohannes Compsinus, et an Langobardus vel Graecus homo fuerit inter scriptores ambigitur. Quidam ex agnomine, quod in Anastasio et Paulo habet, comitem Compsiae eum suspicantur, et proinde Langobardum; Compsa enim tunc sub Arechis Beneventanorum ducis dominatione fuisse facile credi potest. Sed verba Anastasii et Paoli, qui de rebelle loquuntur, graecum hominem, sive graecae ditioni subiectum, indicant. Verisimile igitur videtur Ioannem, ut Di Meo autumat, ex urbe Compsà, cum a Langobardis occuparetur, Neapolim trasgressum fuisse; ibi genere et opibus potentem rerum publicarum summam adeptum esse; et postea, cum Ravennae factiones contra graecum imperium moliri et Iohannem exarchum caesum vidisset, occasione arrepta, in rempublicam coniurasse, et Neapolim occupavisse. Certe si Langobardorum opera sive auxilium in hoc intervenisset, Eleutherius patricius, urbem, qua illi tantopere potiri cupiebant, non tam facili ac brevi expeditione recuperare potuisset.

Post hanc Ioannis Compsini rebellionem aliam in Surrentinam urbem, quae ad neapolitanos tunc temporis spectabat, Langobardorum incursionem, ex quadam Homilia in laudem SS. Renati et Valerii, de qua supra innui, habemus: „ Tempore, ibi traditur, quo omnipotens Deus „ mortalium est iratus sceleribus, et Langobardorum gens ad vindictam totius Italiae cuncta va- „ stasset; vir barbarus, typo superbiae elatus, ad suam perniciem suo ferali exercitu Rodoaldus „ eorum Dux una cum aliis ducibus devenit Surrentinam civitatem, ut eam quomodo adire pos- „ set, quaesivisset. Et quum diebus ac noctibus nulla vicissim daretur requies praeliandi ad- „ versus eam, obsidione circumvallati, et circumquaque vicini adstantes, ad desperationem eo „ usque pervenerunt, ut sponte se cives certatim darent. Et quum nullum etiam egressis hu- „ manitatis auxilium dari prece fusa posse prospicerent; prostratus tunc cunctus populus. clau- „ sus immo intra urbem lacrymabiliter Deo preces effundebant. Vir interea praedictus, barba- „ rorum atque tyrannorum Dux, pergens ad tumulos Sanctorum Renati et Valerii, hanc devo- „ tionem exponens, aurum et argentum eis offerens: ut si eorum intercessionibus in praedictam „ Surrentinam urbem valuisset ingredi, plurima atque meliora illis ornamenta deferret. Quod quum „ vir et sacerdos Domini Agapitus agnovisset (nam eo tempore ipse praeerat urbi) gregem suum „ verbo et operibus studiosius informans, nec nocte nec die quiescens, Deo preces suppliciter

(1) S. GREGORII PP. *Epistolae* L. XIV, ep. 10, ind. VII, hoc est inter septembrem a. 603, et februarium a. 604.— An Gundoinus iste idem sit ac Gundois, dux exercitus Mauricii, de quo agunt SIMOCATTA, L. VII, c. 11 et 12, ac CEDRENUS. p. 315, nescio. Id, meo iudicio, nimium festinanter adfirmat ASSEMANI, L. I, c. 17, p. 541.

„ fundere . . . Sanctorum confisus meritis Renati et Valerii, Christi sacerdotum et confessorum, „ quorum oratu et adminiculo usque nunc perstitit tuta, ut ab istante efferae gentis obsidione, „ et cruentis eorum manibus cum concivibus urbem dignaretur eripere . . . . cuius hortatui ob- „ temperantes, crebrisque precibus Sanctorum, ac ieiuniis insistentes pervigiles; eorum cessum „ est Confessorum intercessionibus, ut praedicta urbs, quae iam obsidionibus circumvallata ma- „ nebat barbarorum, illaesa evaderet . . . . . . et ita demum de praedicta urbe abscederent. Sic „ enim divina clementia operante nefandissimum eius vulgus tremore concussum est, ut cuncti in „ fugam lapsi verterentur: „ Deinde subdit „ Ille qui iratus est urbem fortiter dimicando in- „ vadere, idest ferus Rodoaldus, Dux Langobardorum. . . non diu laetatus est triumpho ut spe- „ ravit; nam intra unius anni spatium, eorum intercessionibus, quibus nisus est perferre iniuriam, „ Deo aequius ulciscente. . . . . vitae tempus cum regno finivit: „ (1) Ex quibus tempus factionis circa annum 645 coniici licet.

His temporibus hic Italiae, quae Graecorum Imperio parebat, status erat (2). *Exarchus* seu *patricius*, qui Ravennae residebat ab Costantinopoli missus, summas pace belloque partes habebat. Sub eo *Praefectus* sive *Praepositus Italiae* res praecipue civiles administrabat. Proxime his dignitate accedebant *Duces* atque *Iudices*, qui et militarem et civilem iurisdictionem in regionibus singulis habebant; unde Godescalcus, Dux Campaniae, Scholasticus, iudex Campaniae (3). Aliquando etiam ab urbe, in qua moram faciebant, nomen habuerunt, ut Gundoinus, Dux Neapolis; Arsicinus, Dux Ariminensis civitatis (4). *Magistri militum* vero exercitibus praeerant, et rem apprime militarem gerebant, sed cum omnis Italia tunc temporis bello exagitaretur, et regiones sub graeco Imperio adhuc extantes armis tueri a Langobardis oporteret, saepe magistris militum in civitatibus, ubi ad defensionem positi erant, contra ea quae in pragmatica sanctione a Iustiniano (5) constituta fuerant, etiam civilis iurisdictio commissa videtur (6).

Ordine in ipsis exercitibus inferiores erant *Tribuni*. Ex his erat Constantius a PP. Gregorio a. 599 Neapolim ad urbem a Langobardis tuendam, quousque dux inibi deesset, missus, et Gregorius ille, qui Capuanae urbi praeerat, vir insignis, de quo agit vetus *Homilia S. Ianuarii* (7). In quibusdam vero minoris momenti urbibus, vel castris *Comites*, tunc militari etiam officio fungentes, inveniuntur. Ex comitibus tribuni, ex tribunis magistri militum, ex magistris militum duces fiebant.

Ad municipalem rem quod attinet, nulli dubium est Neapolim, et alias graecae regionis civitates in *clerum*, *ordinem* et *plebem* partitas, ut olim, item tunc, fuisse. *Ordinis* verum nomine qui veniant non satis constat. Quidam enim *Ordinem decurionum*, olim in coloniis et municipiis celeberrimum, sive *Curiam*, ut proprie tunc dicebatur, intelligunt; alii vero homines civitatis *maiores* et *priores*, illos scilicet, qui *nobiles* etiam et *honorati* dicuntur (8). Cum autem aliquando *nobiles* et *ordines* inter se distinguantur, ut in epistola S. Gregorii Papae ad neapolitanos missa, quae

(1) UGHELLI, *Italia sacra* in *Surrent.*

(2) Cf. HEGEL, *Stor. della costit. dei Municip. ital.* Milan. 1861. qui de hac re c. 2, optime disserit.

(3) GREGORII PP. *Epist.* L. XI, ep. 31-34 ; L. III, ep. 15.

(4) *Idem* L. XIV, ep. 6 ; L. I, ep. 58.

(5) *Sanctio pragm. pro pet. Vigilii* c. 23— Cf. SAVIGNY, *Storia del Diritto Rom. nel medio evo.* Tor. 1854, I, p. 192.

(6) Saeculo insequenti Honorius PP. (623-628) *Gaudioso notario et Anatholio magistro militum neapolitanam civitatem regendam committit cum omnibus ei pertinentibus et qualiter debeat regi scriptis informat,* ut ex *Coll. Canon.* card. Deusdedit ap. BORGIA. *Breve Ist. del dom. temp.* doc. I, p. 9.

(7) V. n. 6. eiusdem ap. STILTINGIUM, *Acta S. Ianuarii*, p. 298. Id ad haec tempora, cum nondum Capua Langobardorum dominio cesserat, adscribendum est.

(8) SAVIGNY. *O. c.* I, p. 239.

inscribitur *Clero, nobilibus, ordini et plebi consistentibus Neapoli*, sub ea appellatione *possessores* significatos esse coniiciunt (1). At contra hanc sententiam stat formula epistolae Theodorici regis Neapolitanis apud Cassiodorum (L. VI, 22) datae, in quo *possessores* a *curialibus* non ambigue secernuntur. Quae cum ita sint ego ex ipsis S. Gregorii epistolis potius crediderim *nobiles* Neapoli (L. III, ep. 55), et verisimiliter etiam in aliis civitatibus eosdem ac *priores* (L. III, ep. 15), vel *seniores* (L. X, ep. 53) esse (2), ex quibus Rusticus et Accella (L. X, ep. 74, et L. XII, ep. 44) memorantur; *possessores* (3) et *Curiales* autem, quamvis aliquo inter se discrimine, quod nescio, distributos, ordinem constituisse et curiam, cui tantum quaedam voluntariae iurisdictionis acta ex lege et ex consuetudine conficere datum erat. Quod etiam ex *Curialibus* insequenti aevo apud nos extantibus, de quibus alibi fusius, recte argui potest.

Inter civitatum ordines quandoque etiam numerari debent *milites*, quorum *scholae* apud Romam et Ravennam in documentis memorantur. Extat eiusdem S. Pontificis Neapolitanis militibus epistola scripta, quam supra rettuli.

Non inverisimile est adhuc his temporibus Neapoli *conlegia artium* sive *artificum*, ut in antiquis coloniis et municipiis, extitisse. Certe *saponariorum corporis*, in epistola laudati S. Gregorii Papae notitiam habemus. Iohannes, *vir clarissimus, Palatinus*, eos multis afffigebat incommodis, et nova plurima eorum corpori praeiudicialiter nitebatur imponere. Cuius patrocinio freti, aliqui pacta de quibusdam *artis capitulis* iuxta priscam consuetudinem omnium consensu interposita contravenire, et ab artis collegio discedere volebant. Ideo Pontifex dictum *saponariorum corpus* Fortunato episcopo commendat, atque, ut eumdem Iohannem admoneat, mandat, et, si difficilem videret, ad eminentissimum praefectum rem perducat, ut rationabiliter faciat emendari.

De municipali insuper neapolitanae civitatis politia haec habemus. Officium, quod alibi *Curator*, Neapoli, ut videtur' *Patronus civitatis* quandoque, quandoque etiam *Maior populi*, ut antiquum forte Demarchiae nomen servaretur, dicitur. Is a. 599 erat Theodorus *vir magnificus* vel *memorandus*, qui cum Fortunato eiusdem civitatis episcopo de portarum cura et custodia, nec non de quibusdam ipsius civitatis privilegiis, sive de causis insulae Prochitae, quae Neapolitanorum iuris erat, et de aliis ad curam dispositionemque *patroni civitatis* pertinentibus contendebat. Pontifex ob id Maurentio *magistro militum* scribit, et eum hortatur, ut, si qua in re utilitas populi praegravata esset, imposita onera usque ad modum iustitiae releventur et omnia, quae usus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata serventur. De eodem scribit etiam Fortunato episcopo, et denuo ind. III eidem iniungit, ut illico Theodoro *maiori populi* portas sine aliqua contentione restituat (4).

(1) Hegel, *O. c.* p. 130 et ss.

(2) Qui *primates* vel *primores civitatum* dicebantur in cod. Theod. et Iustin. nec non in Novellis.

(3) *Primores civitatis* et *possessores* memorantur in *Nov.* 128, c. 16, a. 545 — Item *possessores* et *incolae*. Ibid. et in *Nov.* 149, c. 1, a. 569 — In l. 8 Cod. *De Defens.* distinguuntur *honorati, possessores* et *curiales*.

(4) Lubet heic has epistolas, quae de neapolitanae civitatis statu plura promunt, referre. Prima sic se habet :

" *Gregorius Maurentio Magistro militum.*

„ Valde mirati sumus, ut vobis in Neapolitana civitate positis, venire ad nos pro quibusdam causis Theodorus vir memorandus praesentium portitor cogeretur, maxime dum in illa re contra antiquum morem a fratre et coepiscopo nostro Fortunato queratur praeiudicium pertulisse, quam ad curam dispositionemque patroni civitatis eiusdem, Gloria vestra teste, asserat sine dubio pertinere. Quod si ita se res habet, omnino contristamur cur in eius vos defensione veritas non permovit, ut et libere, quae esset ratio, diceretis, et reservari, quod longa sibi consuetudo iure vindicat, faceretis. Quia ergo grave nimis est contra veterem usum Sacerdotes sibi quidquam arripere, unde in laicorum videntur actus incidere

Ex his etiam litteris Rusticum, *virum clarissimum*, qui *senior* dicitur, agnoscimus, cui curam aquaeductus, ab eodem episcopo usurpatam, Pontifex restituere mandat. *Defensoris* denique munus in laudatis epistolis (L. X, ep, 2.) Neapoli accipimus, sed an ad ecclesiasticam vel ad municipalem politiam ipsi referendi sint affirmari non potest.

In provinciis et urbibus graecorum imperio subiectis Ecclesia etiam, sive ex auctoritate ei legibus tributa, sive ex iure patrimoniorum, quae ibi nec pauca, nec spernenda habebat, summis in civilium rerum administratione partibus potiebatur. Episcopis enim, ut cum primatibus of-

praedicto fratri coepiscopoque nostro scribere, quae nobis sunt visa, curavimus, ipsorumque ad vos scriptorum exemplar transmisimus, ut ex eis quid debeat reservari, quam citius Gloria vestra cognoscat.

" Praeterea indicavit nobis supradictus portitor Vectano, qui Comes fuit in Misenati castello, propterea quod eum nobilem fuisse noverat, et paupertate nimia laborabat, viginti ornas vini per duos annos de insula Prochita, quae ei vicina erat, misericordiae intuitu se fuisse largitum, et nunc eas de eadem insula successorem ipsius tanquam debitas violenter exigere. Et quoniam hoc, ne de cetero tentari debeat, postulat prohiberi, Gloria vestra curet addiscere. Et si hoc quod queritur, veritate subsistit, et haec ante consuetudo non fuit, huiusmodi gravamen iustitia suadente compescat, et studeat ut pietatis administratio in praefata insula onus praeiudicii non imponat.

" Quia vero privilegia civitatis suae, vel causas insulae illius a nobis Gloriae vestrae petit commendandas: hortamur et vestram ei tuitionem impendere, servata aequitate, quorunque necesse fuerit, debeatis, et si qua in re utilitas populi, cui praeest, contra rationis, sicut ait, ordinem praegravatus, imposita onera usque ad modum iustitiae vobis suffragantibua releventur, nec privilegia eorum quolibet modo calcentur: sed omnia, quae usus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata serventur. Ita ergo in his Gloria vestra se decenter exhibeat, ut et ipsa partes fovere iustitiae comprobetur, et hi, qui commendati sunt, bona nobis vestra, quae de vobis cupimus semper audire, renuntient. „ (L. IX, ep. 69)

Altera haec est:

" *Gregorius Fortunato Episcopo Neapolitano.*

" Quorumdam in Neapolitana consistentium civitate relationem de quibusdam capitulis, Stephano deferente, suscepimus. De quibus Theodorus vir magnificus, Maior populi, ad nos veniens, ante conquestus iam fuerat, a Fraternitate tua in eis fuisse praeiudicii irrogata. Sed et alteram quorumdam relationem in praedicta urbe degentium, qui praedicti Maioris populi partem sequuntur, accepimus. Ex quibus liquido comperimus in duas se partes populum divisisse. Et quia nobis triste, et tibi grave est, inter habitatores memoratae civitatis prodisse discordiam, quorum unitati studeri debueras ac concordiae, ideo Fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinatione transmittas, quae aut in electorum, aut certe in deputatorum a nobis iudicio, si qua pro tuis partibus sunt agenda, adversariorum intentionibus ac obiectis per omnia valeat respondere; ut, veritate cognita, salubrem hic finem causa suscipiat: quatenus rationabiliter omnibus capitulis, quae in altercationem venerant, terminatis, nulla in hac contentiones, nulla illic possunt ratione distingui: quippe ubi tanta in habitatoribus est nata dissensio, ut nullus sit qui possit in iudicio respondere, sive defendendae alternae partis studio remanere; ita Fraternitas tua agat, ut in trasmittenda persona, sicut diximus, nullam tarditatem qualibet excusatione subiungat. „ (L. IX, ep. 104).

Tertia denique haec habet:

" *Gregorius Fortunato Episcopo Neapolitano.*

" Si scriptorum nostrorum seriem voluisses diligenter advertere, aut sponte restituere quae tulisti, aut certe personam secundum admonitionem nostram in causa transmittere debuisti. Et dum te modo quodam excusare contendis, asserens in his, quae contra Fraternitatem tuam a parte contraria gesta sunt, non voluntarie, sed magnis te constrictum coniurationibus miscuisse: ea, quae scripsimus, quasi intelligere distulisti, et magnificos viros Faustum atque Dominicum non a te, sed a quibusdam aliis tuis indicasti esse transmissos, ac per hoc ut, aliis litigantibus, ipse quae tuleras retineres. Pars vero altera epistolae tuae textum addiscens, crebra nobis allegatione coepit insistere, ut ea, quae abstuleras, redderentur, paratam se inquies si quid contra eam magnifici viri praedicti suo vel aliorum nomine movere voluerint, respondere. Quod quia nec nobis a rationis visum est ordine dissentire, praesertim postquam admonitus instructam personam ad dicendam causam transmittere neglexisti: idcireo Fraternitatem tuam hortamur, illico ut, praesentia scripta susceperit, Theodoro viro magnifico, Maiori populi, portas et Rustico, viro clarissimo. seniori, aquaeductum sine aliqua contentione restituat: ne in hac re moram, vel aliquam excusationem interserat, ne culpam indiscretionis incurrat, si quod ultro facere debuerat, admonita, differendum qualibet sorte putaverit. Haec itaque memoratis viris primitus reformata, liberum tibi sit, si quam contra eos postea apud nos hic causam movere volueris. Sin vero non ipse, sed filii tui, ut asseris, causam se habere querantur, unde eos publico debeant pulsare iudicio; eis est liberum in quolibet loco voluerint causae suae negotium contra eos legaliter propositum terminare (L. X, ed. 25).

ficiales reipublicae in provinciis et civitatibus eligerent et rationes ab illis, quos constituerant, post annum exciperent, et opera eorum curare et recognoscere deberent, potestas facta (1). Eis etiam appellationes ab inferiorum iudicum sententiis tributae (2), ac in magistratibus tutela et animadversio data. Haec omnia et insuper temporum, de quibus agimus, qualitas, et religionis vis, ac ipsorum ecclesiasticorum virtus facile nobis demonstrant cur tantam in rebus quibuscumque episcopi neapolitani partem, ut ex epistolis S. Gregorii colligimus, habuerint, et cur ad eos tam saepe cives recursum fecerint. In patrimoniis vero Ecclesiae administrandis Summus Pontifex *subdiaconos*, *notarios* vel *defensores*, qui etiam *rectores patrimonii* dicebantur, deputabat, et eis de multis ad urbem vel regionem, in qua patrimonia ipsa sita erant, negotiis pertinentibus iudicia vel actiones committebat. Erant et Neapoli, ut Romae et alibi, *Diaconiae*, in quibus *dispensatores*, vel *diaconi regionarii* praeerant, et singularum regionum, ubi erant positae, pauperibus, viduis, pupillis atque infirmis alimonia et alia necessaria ministrabant. De ipsis infra redibit sermo. Memorantur autem in ep. S. Gregorii, qua Pontifex cum *Praefecto Italiae* conqueritur de annona et consuetudinibus cuidam neapolitanae diaconiae ab eo contra ius et antiquum morem subtractis (L. X, ep. 21).

Plura alia demum in saepe laudatis epp. ad rem neapolitanam per haec tempora illustrandam faciunt. Ea heic summatim perstringere, et ad patriae historiae commodum congerere haud inutile visum est mihi. Et primum inde privilegiorum et quaedam territorii civitatis notitia eruitur. *Seniores* et *cives* Neapolis, ut in ep. 53, L. X legimus, ex veterum Principum (Romanorum impp.) concessionibus, et ex Mauricii etiam principis elicita iussione in insulas (*Aenaria* vid. et *Prochita*, ut alibi fusius demonstrabitur) ius et dominium habebant, quod quidam mali homines Leontio, *glorioso viro*, nitebantur surripere. Is igitur (an idem ac ex-consul, de quo in aliis epp. mentio, incertum) a Neapolitanis forte praefectus in ipsis insulis constitutus erat. De Vectano et Comitatio Misenatis castri *comitibus* notitia habetur in supra relata epistola et in ep. 19, L. VIII. Item de *castro Lucullano* alibi (L. III, ep. 1, etc.), in quo monasterium S. Archangeli iuxta S. Petri basilicam (L. I, ep. 24), oratorium sive monasterium S. Severini (L. X, ep. 19; L. III, ep. 1), et aliae ecclesiae erant. Extra et prope urbem memoratur monasterium Gratterense, seu quod Crateras dicebatur, in Plaia situm, neapolitanae urbi e vicino fundatum (L. X. ep. 61; L. XIII, ep. 2), et forte etiam monasterium S. Archangeli quod *Macharis* dicebatur, in insula Megaris, nunc *castello dell' Ovo* (L. X, ep. 14, ind. III). In urbe vero monasterium monialium in honorem b. Mariae in regione *Herculensi*, in vico qui appellatur *Lampadi* a Rustica patricia fundatum (L. III, ep. 63); monasterium S. Martini monachorum, in quo Secundinus abas, et post eum Theodosius et Barbatianus (L. III, ep. 23; L. V, ep. 23; L. IX, ep. 91); monasterium in domo q. Marini vel Martini ab Andrea extructum, et SS. Petro Apostolo, ac Michaeli archangelo dicatum; item monasterium S. Mariae in domo q. Felicis Scholastici (L. XI, ep. 11); et monasterium SS. Hermetis, Sebastiani, Cyriaci et Pancratii a Romano, clarissimae memoriae viro, fundatum (L. X, ep. 2, ind. III). De Iudaeis denique Neapoli degentibus, de quibus etiam in Procopio, alibi (L. XIII, ep. 11) loquitur (3).

(1) Cf. c. 26, C. *De episcopali audientia* (1, 4); Nov. 128, c. 16; *Pragm, sanctio*, §. 12.

(2) *Nov.* 86, c. 1-2, 14—L. 26, C. *eodem.*— Cf. THEOD, BALSAMON, *Const. eccl.* III, 3.

(3) Quae de Neapoli *patriciorum praetorio*, et de duobus patriciis Italiam aliquando missis, ad hoc tempus fortasse referenda, Const. Porphyrogenitus (*De administr. imp.* P. II, c. 27, p. 68), affert, ea, utpote omnino falsa vel saltem incerta, scienter praetermitto. Ceterum, qui plura de hac re cupit, adeat praesertim ASSEMANIUM, *O. c.* L. I, c. 13, p. 356.

Restat nunc ut de Neapolitani ducatus institutione ab Augusto Constante facta, et de ipsius Constantis in Italia gestis, quae cum illa colligantur, disseram. Constans igitur, qui ob necem Theodosii fratris a se sceleste perpetratam diris furiisque exagitabatur, anno imperii sui 20, P. C. 18, de imperio Romam transferendo cogitans, ut Byz. scriptores (1) asserunt, sive Italiam de Langobardorum manu eruere cupiens, ut Paul. Diac. est auctor, Constantinopoli egressus per littoraria iter habens, Athenas venit, indeque mare transgressus Tarentum applicuit. Exinde Beneventanorum fines invasit, omnesque pene, per quas transitum habebat, Langobardorum civitates occupavit. Deinde cum omni suo exercitu Beneventum circumdedit et vehementer expugnare cepit. Ibi tunc Romualdus Grimoaldi filius adhuc iuvenculus Ducatum tenebat. Qui statim Sesualdum nutritorem suum ad patrem trans Padum direxit obsecrans eum, ut quanto citius sibi ac Beneventanis potenter succurreret. Quo audito Grimoaldus nulla mora interposita Beneventum cum exercitu profectus est. Interea Graecorum copiis, qui acriter Beneventum impugnabant, Romualdus cum Langobardis viriliter resistebat. Cum autem Constans a Sesualdo nutricio, qui adventum regis nuntiaturus prope Beneventum pervenerat et a Graecis captus fuerat ac ante ipsum imperatorem delatus, nullo modo obtinere posset, quin Grimoaldi adventum celaret, vel potius eventurum negaret, eum occidi iussit, et nuncii exterritus, consilium iniit cum suis quatenus cum Romualdo pacisceretur ut Neapolim posset reverti. Ita accepta Romualdi sorore, cui nomen Gisa fuit, obside, cum eodem pacem fecit, et dimissa Beneventi obsidione, Neapolim profectus est. Cuius tamen exercitum Mitola Capuanus comes iuxta fluenta Caloris fluminis vehementer attrivit.

Postquam vero imperator Neapolim pervenit unus ex eius optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Augusto viginti millia militum expetivit, seque cum Romualdo pugnaturum spopondit, et, accepto exercitu, ad locum, qui Forinus dicitur, castra posuit. Contra eum Romualdus cum suis et aliqua parte exercitus patris exivit. Inter utrasque acies forti intentione pugnatum est. Sed percusso quodam graeculo (an ipse Saburrus?) ab Amalongo, qui regium contum ferre erat solitus, graecorum exercitus fere, ut coniici licet, omnino profligatus est.

Postmodum Constans profectus est Romam, ubi a 5 die m. iulii feria quarta usque ad diem 16 moram traxit. Exin secunda feria egressus Neapolim est reversus, et inde terreno itinere perrexit Rhegium ingressus Siciliam per ind. VII. Hactenus Paulus Diaconus, et *Liber Pontificalis*, quos suis ipsismet verbis summatim transcripsi (2).

His temporibus Neapolitanae urbis status quodammodo immutatus fuit. Constans enim, ut Chronographus noster asserit, anno vicesimoprimo imperii, et ind. IV Basilium primum Neapoli ducem constituit. Notae chronologicae iuxta eiusdem Chronographi supputationem, annum 660-661 certo designant, idest quantum temporis spatium intercedit a die 5 m. octobris anni 660, qua Constans imperium a. 641 auspicatus fuit, usque ad diem 31 m. augusti 661, qua ind. IV desiit. Sed cum Chronographus, ut supra innui, epocham Constantis anno uno anticipet, et revera annus eiusdem vicesimusprimus in a. Æ. v. 661-662 et in ind. V incidat, dubitari quis potest an primus vel alter calculus in determinanda Neapolitani ducatus origine sequi debeat. Verum re longis rationibus accurate perpensa ab a. 660-661 recedere mihi non posse videtur. Nam si Basilii ducatus ab anno insequenti et ind. V numerari lubet, sequentium ducum usque ad Cesarium tempora, nî fallor, minime constabunt. Ego igitur autumo Basilium circa m. iulium vel augustum

(1) THEOPH. p. 230; CEDREN. p. 344; ANAST. p, 58; MANAS. p. 65 etc.

(2) PAUL. DIACON. L. I, c, 6-10. — *Lib. Pontif.* ap. BLANCHINIUM, t. I, p. 151.

a. 661 ind. IV Neapolitanorum ducem ab imperatore Constante institutum fuisse; qui tunc ex aliquorum etiam synchronorum scriptorum sententia e Constantinopoli profectus Italiam petiit. Neque inverisimile est Augustum tunc quoque Neapolim advenisse. Paulus Diaconus enim, cum de Constantis et graeci exercitus post solutam m. maio vel iunio a. 663 Beneventi obsidionem in urbe neapolitana receptu loquitur, utitur voce reverti, quae aliam antecedentem ibi moram indicat, et fortasse illam, quae m. augusto 661 in primo eius adventu suspicari potest.

Ceterum, quomodocumque res se se habeat, certe inficiandum non est a. 661 ducatum Neapolitanum originem habuisse. Quae autem Ducis tunc iurisdictio, et dignitas fuerit, quae regio eidem subiecta, quales muneris accessiones, omnia plane ignota vel dubia sunt. Id unum ex re ipsa affirmari potest, Ducem scilicet ab Augusto ea aetate nominari, et, si chronographus noster recte vidit, de quo nil habeo unde dubitem, ducem novum cum indictione mutari solitum esse. Sed de his, quae ad ducatus politiam spectant, infra fusius disseram.

FINIS.

Huius (Constantis) XXI anno IIII ind. Basilius Neapolitanus ab ipso ordinatus, an. 5.

Basilius, ut ex iis, quae supra disserui, videtur, m. aug. anni 661 dux a Constante imp. renuntiatus fuit. Ducatum rexit annis 5, qui in m. augusto anni 666 conficiuntur.

Et XXII eiusdem an. V. ind. Romoald., filius Grimoaldi a. 16.

Heic tandem Chronographus noster aliquando in viam reducitur. Nam circa mensem iunium, ut supra innui, anni 662, quo revera annus 22 Constantis et ind. V incidunt, Romualdus a patre Dux Beneventi instituitur. Recte etiam in *Chron. Cav.* legitur: A. 662, V. *Romualdus.*

Is uxorem habuit Theoderadam Lupi ducis Foroiuliensium filiam; ex qua tres filios, hoc est Grimoaldum, Gisulphum et Arichim genuit. PAUL. DIAC. V, 25.— *Chron. Vult.* in *R. I. S.* t. I, 2, p. 401; *Acta S. Sabini* c. 5 in AA. SS. *Bolland.* die 9 febr. II, 323; *Vita S. Barbati*, *ibid.* die 19 febr. III, 139. Cf. ASSEMAN. II, p. 475.

Romualdus, qui Tarentum, Brundusium et *omnem illam*, *quae in circuitu est*, *latissimam regionem suae ditioni subiugavit* (PAUL. DIAC. VI, 1; IGNOT. CASIN. 3.) in ducatu sedit an. 16. Ita PAUL. DIAC. VI, 2; et post eum *Catal. Benev. S. Sophiae*, et *Catal. Benev. Cav.* qui ex errore scribit *Rodoaldus*. Contra *Catal. Salern.* annos 17 ei tribuit (1).

Animadventendum tamen est annos 16 vel 17 Romualdi a morte Grimoaldi patris vid. ab anno 671, non ab a. 662 supputandos esse; secus enim sequentium ducum chronologia non satis sibi constaret.

Item in XXVII ipsius (Constantis) anno X. ind. Theophilactus dux Neapolim a. 4.

Theophylactus ab initio, uti videtur, mensis septembris Æ. v. a. 666, in quo ind. X et annus 27 Constantis, secundum hoc Chronicon, incidit, ducatum obtinuit. Sedit annis 4, qui complentur mense augusti a. 670.

668, ind. XI. Constantinus ann. 17.

Annus recte cum indictione convenit. Chronicon igitur nostrum eos sequi videtur, qui mortem Constantis ad diem 15 iulii ind. IX referunt. Ita etiam Theophanes et alii, quos supra notavi, Byzant. scriptores; quorum sententia

Constantinus

A. m. $\frac{6160}{6167}$ = Chr. 660-661 = Æ. v. 667-668, ind. XI morte patris et rebellione cuiusdam Mezezii, qui Siciliae imperator electus fuerat, cognita, illuc proficiscens rebelles profligat, et poenis mulctat, ac postea victor Constantinopolim revertitur. Tunc Pogonatus dictus est (2), quia imberbis profectus cum barba reversus fuerit. Inde in sequenti

A. m. $\frac{6161}{6167}$ = Chr. 661-662 = Æ. v. 668-669, ind. XII cum fratribus Heraclio et Tiberio, quos ex populi voto collegas susceperat, imperium obtinet. THEOPH, p. 233; ANAST. p. 116; *Hist. Misc.* p. 137.

Hanc autem secundam imperii epocham, quae pressius inter finem m. septembris et initium octobris concludi debet, a sollemniis coronationis forte supputatam, in quibusdam monumentis reperio, ut in notis chronologicis sexdecim sessionum sextae Cpolitanae synodus, quae a 7 novembris a. 680 ad 16 septembris 681 habitae fuerunt, et XIII anno P. C. eiusdem Constantini signatae sunt (3). Ubi animadvertendum est cum Pagio ipsum Constantinum primitus epocham post-consulatus eodem anno cum imperio numerasse.

Est et alia Constantini Pogonati epocha, quae

(1) *Catal. duc. Benev.* a Pratillio vulgatus annos 15 et menses 11 in Romualdo adnotat. V. PEREGNINIUM Pratillii, t. V, p. 3.

(2) IOEL. p. 137; MANASSES, p. 61; ZONAR. XIV, 20; GLYCAS, p. 215. Id vero ex aliorum scriptorum testimonio in dubium revocat DE SAULCY, *Essais des suites monet. Byz.* p. 104.

(3) Notae chronologicae hae sunt: *Imperantibus a Deo coronatis et serenissimis dd. nn. dominis Flaviis Constantino piissimo et a Deo decreto magno principe, perpetuo Augusto et imp. a. vicesimo septimo, et post Consulatum eius a Deo instructae mansuetudinis a, decimotertio, Heraclio vero atque Tiberio a Deo conservandis* (al. *custoditis*) *eius fratribus a. vicesimo-*

vel a die 15 iulii, vel potius a kalendis ianuarii anni 669, cepta esse videtur. Eam deprehendi, meo iudicio, potest in Synodo Romana pro Anglicana ecclesia, habita . . . *P. C. eiusdem an. X. ind. VII, mense octobri*, a. 678 (1); in ἀντιγραφῇ seu rescripto eiusdem Imperatoris ipsi Romanae synodo dato *X kal. iannar . . . P. C. eiusdem anno XIII ind. X*, a. 681 (2); et denique in monumento Ravennati signato . . . *p. c. eiusdem tranquillitatis an. I die kal. mart.* (XIII ind.) a. 670 (3).

Sed quoad supputationem Chronici nostri animadvertendum est ibi epocham Pogonati ab initio anni graeci tunc decurrentis, cum ipse imperium obtinuit, susceptam esse, ut ex ducum Neapolitanorum annis eruere licet.

Ex nostratibus *Chron. Cav.* habet: A. 669. XII *Constantinus filius Constantini superioris*— Aliter post annum *Chron. monast. S. Sophiae* et *Chron. Fossae novae:* 670, XII *Constantinus* a. 17.

Constantinus imperat

an. 17 (expletis). Ita NICEPH. *Chron. brev.* p. 321; THEOPH. p. 239; CEDREN. p. 347; IOEL. p. 137; MANAS. p. 65; ZONAR. XIV, 20; CONSTANT. *De admin. imp.* P. II, c. 21, p. 60; *Catal. Byz.* V et VI; *Hist. Misc.* p. 139
et nostrates omnes, qui PAUL. DIAC. (4) V, 30, et BEDAM *Chron.* p. 31 sequuntur
— vel an. 17 (non expletis) uti ex NICEPH. *Brev. Hist.* p. 19, et ex ANAST. p. 60, qui eum anno 17 imperii defunctum fuisse adfirmant, erui posse mihi videtur.

Constantinus moritur

initio m. septembr. ind. XIV (685), ut ex testimonio *Lib. Pont.* in *Ioh. V*, plerique recentiores scriptores autumant. Ibi legitur: *Huius temporibus* (Ioh. V, PP.) *regnavit d. Iustinianus defuncto patre initio mensis septembris ind. XIV.* Sed an ea verba strictim accipienda sint, vel initium imperii Iustiniani cum anno civili graecorum colligatum indicent, nescio. Certe mors Constantini accidit post diem 23 iulii ind. XIII, quo Iohannes V Papa consecratus fuit, et ante medietatem m. sept.; ut iure ad initium mensis tribui possit. Utcumque sit, Chronographus noster m. septembrem non attingit, quia indict. XIII adnotat.

Huius IV anno ind. XIII. Cosma dux Neapolim a. 2.

Annus quartus Constantini Pogonati ex ipsa Chronographi nostri supputatione a die 15 iulii 671 incipit, et indictio XIV a. m. sept. a. 670 usque ad 31 m. aug. 671 decurrit. Initium igitur ducatus Cosmae, si hae notae chronologicae recte se se haberent, inter dies 15 iulii et 31 aug. 671 perstringendum fuisset. Sed, neque haec supputatio cum antecedentium et sequentium ducum temporibus, neque annus quartus Constantini Pogonati cum ind. XIV apte conciliari potest. Cum autem in Chronico hoc nostro epocha impp. Byzantinorum pluries, indictio vero nunquam, aut fere nunquam errata occurrat, ego, nulla de epocha imperii Constantini ratione habita, Cosmam ab initio m. sept. 670 ducatum suscepisse arbitror. Neque aliter, ut chronotaxis neapolitana recte procedat, de aliis per ea tempora ducibus, uno aut altero tantum exceptis, dicendum erit.

Cosma, qui ducatum tenuit a. 2, m. aug. anni 672 ab eo cessavit.

Et sexto eiusd. (Constantini) anno prima ind. Andreas dux Neapolim a. 5.

Item, nulla de Constantini imperio ratione habita a. 672 ind. I, m. septembri Andreas dux fit, et m. aug. an. 677 annos 5 complet.

Et undecimo ipsius (Constantini) anno sexta ind. Cesarius dux Neap. an. 7.

Neque aliter de Duce isto dicendum est, qui

secundo die septima m. novembris ind. IX (680); et sic, quoad Constantinum, usque ad dictam sextamdecimam sessionem. V. MANSI, *Coll. Concil.* XI, 655.

(1) MANSI, *O. c.* XI, 179. — Cf. BARONIUM et PAGI, *Ann. Eccl.* XI, 617.

(2) MANSI, *O. c.* XI, 724.

(3) FANTUZZI, *Monum. Ravenn.* VI, p. 263.

(4) PAULI DIACONI Modoetiensis codex et ROMUALDUS SALERNIT. annos 18, eiusdem vero Pauli cod. Ambrosianus an. 19 notat. V. *R. I. S.* I, p. 484.

m. sept. a. 677 ducatum suscepisse, et m. aug. a. 684 reliquisse videtur.

Eodem anno Grimoald, Rodoaldi (l. Romualdi) filius, dux Beneventi a. 3.

Chronographus noster annos Romualdi ab Grimoaldi eius patris a Benevento discessu, scilicet ab a. 662, supputans Grimoaldum anno XI Constantini Pogonati, idest 678 ind. VI ducem effectum asserit. *Chron. Cav.* paulo aliter adnotat.: *A. 680 ind. VIII. Grimoaldus.* Ita etiam, vel levi quidem calculo discrepantes, quidam moderni scriptores opinantur, ut PEREGRINIUS in PRATILLO, V, 43, et ASSEMANIUS, *O. c.* II, p. 475.

Sed contra ex notis chronologicis, quae in *Actis S. Decorosi* episcopi Capuani, et in *Actis inventionis reliquiarum S. Rufini* (1) leguntur, itemque ex iis, quae de Gisulpho eius successore cognoscimus, atque huic chronotaxi repugnant, Bollandus (2) ac P. Di Meo (3) annos Romualdi a morte patris supputantes Grimoaldi ducatum non ante annum 687 collocant. Nam in *Actis* illis Grimoaldus ipse memoratur una cum Iustiniano aug. qui a m. septembri 685 regnare coepit, et cum Sergio PP. qui die 15 decembris 687 ad summum pontificatum evectus fuit. Utcumque sit, Grimoaldus, quia minor annis 12 (4) sub tutela matris suae (5) Theoderadae in Ducatu successit, et deinde, Wigilinda filia Bertaridi regis in uxorem accepta, imperavit an. 3. Ita PAUL. DIAC. VI, 2; *Catall. Benevv. Casin.* et *S. Soph.*; *Catal. Salern.*; *Catal. anon. Salern.*; et *Chron. Farf.* ap. R. I. S. II, 231. Contra *Catal. Benev. Cav.* annos 2 tantum ei tribuit: unde P. Di Meo illos tres a Paulo Diacono, et ab aliis notatos, non integros fuisse opinatus est.

Et quartodecimo anno nona ind. Gisolphu filius eius, Dux Benev. a. 17.

Annus quartus Constantini, et ind. IX initium ducatus Gisulphi secundum Chronographum nostrum, qui falso eum Grimoaldi filium dicit, inter diem 15 iulii et 31 aug. 681 figit. Ita etiam ex suo calculo ASSEMANIUS, II, 477. Neque multum differt PEREGRINIUS V, 43, qui ab exeunte a. 680 Gisulphi ducatum signat. Contra annos duos Chronographus monasterii S. Sophiae in suis supputationibus antevertit scribens: *A b. Gregorio PP. usque ad Gisulphum qui devastavit Campaniam sunt a. 74*, (haec ratio enim rem ad a. 678 remittit); et annos duos itidem *Chron. Cav.* retro trahit adnotans: *A. 682, ind. XI. Gisulphus frater eius.* Rectius vero, uti videtur, Bollandus, *l. c.* et Di Meo Gisulphum a. 689 fratri successisse opinantur; secus enim ipse annum 703, quo eius in Campaniam romanam sub Iohanne VI expeditionem evenisse dicitur, attingere non potuisset. Peregrinius et Assemanius frustra, mutato Pontifice, vel annis 17 ducatus in 27 correctis, id obtinere nituntur.

Gisulphus maior, frater Grimoaldi (*Catal. Benev. Casin.*) adhuc adolescens, ut ex quibusdam documentis ego arguo, sub tutela matris Theoderadae in ducatu successit (6). Uxorem habuit Winibertam, quae ei Romualdum peperit. Circa a. 700 *Soram, Romanorum civitatem, Hirpinos* (l. Arpinos) atque *Arcem pari modo oppida cepit* (7.) Deinde *tempore Iohannis PP.* (circa a. 703) cum omni sua virtute *Campaniam venit, incendia et depraedationes faciens, multos captivorum cepit, et usque in locum, qui Horrea dicitur, castrametatus est, nullusque ei resistere potuit. Ad hunc Pontifex, missis sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de eorum*

(1) V. MONACO, *Sanctuar. Capuan.* p. 19 et 42.

(2) In Commentar. praevio ad *Vitam S. Sabini* episc. Canusini in *AA. SS.* ad 9 febr. t. II, p. 310.— De hac vita, et eius auctore videndus est ASSEMANIUS, *O. c.* t. I, p. 568-576.

(3) *Annali crit. dipl.* t. II, p. 580.

(4) *Rotharis Edictum* n, 155. Postea Liutprandus (n. 19), aetatem legitimam ad decimum octavum annum protraxit.

(5) *Vita S. Sabini* in TORTORA, *Relatio eccl. Canusinae*, p. 35.

(6) In charta iudicati Arechis primi Beneventanorum principis a. 762 m. aug. memoratur donatio facta monasterio S. Benedicti intra Benev. civitatem a *domina Theoderada cum dom. Gisulpho filio suo duce.* Cf. *Reg. monast. S. Soph.* II, 13, in UGHELLI, *It. sacr.* VIII, p. 618. Item in placito Beneventano a. 896 dicitur monasterium S. Mariae in Castanieto a *domina Theoderada ducissa, et a d. Gisulpho duce filio eius* fundatum fuisse. *Chron. Vulturn.* in R. I. S. t. I, 2, 410.

(7) In *Catal. Benev. Cav.* dicitur: *Iste devastavit Romam, et Sora et Yrpinum et cepit Arci.*

manibus redemit, ipsumque ducem cum suo exercitu ad propria repedare fecit (1). Ducatum denique gessit a. 17, prout PAUL. DIAC. VI, 2 ; *Catal. Benev. S. Soph.* (2); et *Catall. Benevv. Casin.* et *Cav.* testantur; vel a. 18, ut in *Catal. Salern.* (non expletis). *Catal. Anonym. Salern.*, qui eum etiam Grimoaldi filium facit, ex errore forsan, a. 14 signat.

Circa haec tempora monasterium S. Mariae in territorio Sabinensi, in fundo Acutiano, vulgo *Farfense* nuncupatum, a Thoma abate instauratur.

685 ind. XIII. Iustinianus an. 10.

Chronographus noster anno 685 ind. XIII, scilicet ante m. septembris, Iustiniani imperium collocat. Cum eo *Chron. S. Sophiae* omnino convenit. Neque adversatur Theophanis Chronographia, ubi

Iustinianus

A. m. $\frac{6177}{6193}$ = Chr. 677-678 = Æ. v. 684-685, in quo ind. XIII decurrebat (tacito tamen mense) Constantino patri succedit (3). THEOPH. p. 239. Anno vero insequenti a kalendis septembris (ind. XIV) primus annus eiusdem adnotatur; quam epocham sequuntur ANAST. p. 61 ; *Hist. Miscel.* p. 139.

Chronographi nostri nonnihil discrepant. *Chron. Cav.* enim habet : 684, 12. *Iustinianus filius minor* (4) *Constantini*— *Chron. Farf.* 686, 14. *Iohannes V. PP. Iustinianus Aug.* (V. BLANCHINI, *Vitae PP.* II, 117)—*Chron. Fossaenovae:* 687, 15. *Iustinianus imp.* (3).

Iustinianus imperat

prima vice a. 10, NICEPH. *Brev. Hist.* p. 20 et *Chron. Brev.* p. 321 ; THEOPH. p. 240; CEDREN. p. 347; IOEL. p. 137, *Catal. Byz.* IV—vel 10 non exactis, nam *Catal. Byz.* V adnotat a. 9.

Nostrates omnes, uti solent, PAUL. DIACON. VI, 11 et BEDAM p. 31, qui a. 10 signant, sequuntur — ZONAR. XIV, 22, utroque imperio supputato, annos 16 adnotat.

Iustinianus deponitur

a populo in eum rebellato, duce facti Leontio patricio, atque naso privatus, unde *Rhinotmetus* dictus est, in Chersonam relegatur a. 10 imperii (695) circa m. augustum? THEOPH. p. 245; ANAST. p. 62; LEO 165, 1; CEDREN. p. 349; ZONAR. XIV, 22; IOEL. p. 13; MANASS. p. 66.

Huius primo anno XII indict. Stephanus dux Neap. a. 3.

Cum Chronographus annum primum Iustiniani a septembri 684 ad aug. 685 supputet, et m. aug. a. 684, Caesarius ex ducatu cesserit, Stephanum m. sept. a. 684 Ducem Neapoli fuisse usque ad aug. a. 687 dicendum est.

(1) PAUL. DIAC. VI, 27, et *Liber Pontif.*, seu ANAST. BIBLIOTH. in *Iohanne VI.* Rem etiam narrant *Chron. de Mon. SS. Ben.* ap. M. G. H. *Sc.* III, 198; IOHAN. DIAC. in *Chron. episc. Neap.* n. 36; ADO VINDOB. ac Chron. Vulturn. et Farfense.

(2) Ibi in *summis* etiam legitur : *Gisulphus prior dux Beneventi, qui devastavit Campaniam, qui praefuit Samnitibus, a. 17.*

(3) Iustinianus a Beda, et Paulo Diacono, ac in *Catal. Impp. romm.* supra et in *Chronico Cavensi* minor filius Constantini dicitur; quod ASSEMANIUS, II, 491 factum putat non quia fratrum minimus, sed quia aetate minor, nam annum 16 attigerat, cum in imperio successit. NICEPH. *Brev. Hist.* p. 19; ANAST. p. 61. Mihi vero verisimilius videtur ita dictum fuisse ex eo quod secundus post Marcianum, *novi Constantini* dignitate a. 680 auctum (MANSI, *Coll. Concil.* XI, 695) et deinde defunctum, natus fuisset.

(4) AGNELLUS in *Lib. Pont.* eccl. Ravennatis in Vita Felicis episcopi non modo nares, sed etiam aures Iustiniano abscissas fuisse dicit, quas ipse postea in imperium restitutus ex obryzo scil. ex auro purissimo sibi fecit. MURATORI *R. I. S.* t. II, 1, p. 160.

DE APPENDICULA AD GRAECAM S. IANUARII VITAM APPOSITA

ET DE THEOCRITO DUCE IN EA MEMORATO

DISSERTATIO.

Tutinius, quod sciam, primus in libro, qui *Memorie della Vita, miracoli e culto di S. Giannario martire* inscribitur, et anno 1633 Neapoli vulgatus fuit, quamdam de Vesuviano incendio ab divo Ianuario mire extincto narratiunculam memoravit, et ex vetusto, ut ipse asserit, Ms. cod. italice breviatam retulit. Orationem insuper graeco sermone exaratam ex eodem cod. edidit, et numisma in honorem b. Ianuarii, et in accepti beneficii memoriam cusum, item typo expressum adiecit (1). Post eum Nicolaus Carminius Falconius in *Historia*, quam de S. Ianuario, ex *Actis* graecis ab Emmanuele monacho Gazarensis, sive Craterensis monasterii prope Neapolim positi, anno 500 Æ. v., ut ibi legitur, scriptis, composuit, hanc eamdem narratiunculam sive homiliam, ut ipse eam vocat, graece e cod. saec. XV integram cum versione latina protulit (2). Doctissimi Falconii opus, sive potius *Vita* illa S. Ianuarii, male ab eruditis viris accepta, multis dubitationibus, atque disceptationibus ansam praebuit (3); ita ut Falconius ipse aliquando de ea in ancipiti fuerit, et non pauca ibi haberi fabulosa declaraverit (4). Narratiunculam vero, de qua heic agimus, nemo expresse et singulariter, vel laudavit, vel improbavit. Tunc temporis Lud. Antonius Muratorius, vir nunquam sine laude memorandus, numisma b. Ianuario dicatum in *Antiq. Italic.* denuo, sed parum diligenter cusum, etiam exhibuit (5). Stiltingius denique, cui in opere Bollandiano provincia de S. Ianuarii actis colligendis, ac evulgandis demandata fuit, scripturam graecam Emmanuelis, non modo fabulis foedatam, sed totam supposititiam et omnino abiiciendam fuisse censuit, ac numisma, cuius correctius exemplar obtulit, aetatis saltem saeculo VIII posterioris existimavit (6).

(1) TUTINI, *O. c.* p. 34.

(2) FALCONE; *Storia della vita di S, Gennaro*, p. 488.

(3) Haec sunt quae adversus Falconium scripta tunc edita fuerunt: *Lettera responsiva di N. N. dimorante in Rama, scritta all' Illmo e Revmo mons. N. arcivescovo di N. nel r. di Nap. nella quale esprime il suo sentimento intorno all' intera Storia di S. Gennaro data alla luce in questo anno 1713 dal prete . . . . . Falcone* ec. Napoli 1713, 4.° — *Lettera responsiva di N. N. dimorante in Firenze all' illustriss. ed eccel. D. N. N. prencipe di N. . . . nel r. di Nap. nella quale esprime il suo sentimento intorno alla Lettera responsiva ecc.* Nap. 1714, in 4.° — *Apologia delli miracoli di S. Gennaro operati per mezzo della sua statua nella Chiesa dei PP. Cappuccini di Pozzuoli*, Nap. 1714, in 4.° — Post aliquot annos iis respondit Falconius suo vel alieno nomine sequentibus scriptis: *Lettera di Tommaso Egineta arcidiacono della chiesa di Policastro al P. Giuseppe Tournemine, teologo gesuita a Parigi*. Nap. 1758, in fol. — NIC. CARM. FALCONII, *Prosphoneticon ad eruditos adversus opposita ad Ms. codicem Emmanuelis et ad eiusdem Acta graeca quae ipse vulgavit S. Ianuarii martyris*. Neap. 1758, in 4.° Opus absolutum non fuit.

(4) STILTING, *Acta Ss. Ianuar. et soc.* p. 41, Falconii epistolam ad Maiores suos missam memorat; in qua iste *mentem suam de graeco illo scripto apertissime declarat*, et *nonnulla allegat argumenta ad ostendendum non pauca in eo haberi fabulosa*.

(5) MURATORI, *Antiqu. Ital.* II, col. 621-622. Nummos vir doctissimus habuit ab Ignatio M.ª Como, patricio Neapolitano.

(6) STILTING *l. c.* — CARACCIOLUS, *De sacris N. E. monum.* p. 276, etiam de aetate numismatis dubitare videtur

Ita res usque ad nostra tempora stetit. Nulla enim eidem scripturae ab eruditis fides data, nullus eiusdem in historia usus. Sed nuper, cum pp. Benedictini Casinenses, maiorum vestigia secuti, *Bibliothecam Casinensem* ex ineditis monumentis conflatam edere statuissent, et in quodam archicoenobii codice, ubi eiusdem graecae Vitae exemplum ex apographo saeculi XV cura Falconii exscriptum, et a Matthaeo Aegyptio collatum habebatur, incidissent, optimo quidem consilio illam cum versione latina, et quibusdam notulis integre typis vulgare curaverunt (1). Quod bono equidem omine certe factum est. Nam paulo post ipsum apographum ex insperato prodiit, et ab egregio iuvene Adolpho Parascandolo in eius amplissima rerum patriarum collectione invectum fuit. De eo iuvat pauca dicere (2).

Codex chartaceus, graecis characteribus maiusculis et minio ductis scriptus, constat nunc foliis 21, seu paginis 42, non numeratis. Olim erat foliorum 24, quorum tres a tempore Falconii exciderunt. In his vero nihil aliud legebatur, ut ex ipso Falconio discimus (3), nisi haec nota: ΑΠΕΓΡΑΨΕΝ Ο ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ Ο ΤΩΝ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΒΑΣΙΛΙΟΥ ΕΞ ΑΡΧΑΙΟ ΤΟΥ ΚΩΔΙΚΙΟΥ ΑΡΚΕΤΥΠΟΥ ΤΩΥ ΑΓΚΙΛΛΩΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΑΣΚΗΤΗΡΙΟΥ ΜΑΚΑΡΙΟΥ ΤΟΥ ΜΑΡΚΕΛΛΙΝΟΥ ΤΗΣ ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ ΕΠΙ ΚΑΛΛΙΣΤΟΥ ΤΡΙΤΟΥ ΤΟΥ ΠΑΠΑ ΕΤΗ Α'. *Exscripsit Gregorius monachus patris nostri Basilii ex pervetusto codice primigenio ancillarum Dei asceterii b. Marcellini Neapolis Callisti PP. III. a. I.*

A p. 1 usque ad 34 habetur. *Vita S. Ianuarii.* Inde paginis 36, 37, 38 et 39 sunt plures doctorum virorum, qui ob id a Falconio rogati fuerant, de fide et authenticitate codicis attestationes. Ceterae albae remanent. In pag. 34, uti iam affirmaverat Falconius, post eiusdem *Vitae* finem eodem charactere legitur: ΕΝ ΤΩΙ ΑΥΤΩΙ ΤΩΙ ΚΩΔΙΚΙΩΙ ΤΑΥΤΑ ΕΠΑΚΟΛΟΥΘΕΙ; scil. *In eodem cod. haec subsequuntur:* Haec est narratiuncula sive Homilia de Vesuviano incendio, quam heic latinis verbis breviatam referre operae pretium est:

" Extremis, ibi dicitur, Constantini Augusti et Benedicti II Papae temporibus ind. XIII urbs Parthenopes frequentissimis terraemotibus concutiebatur. Ante haec autem signa in coelo fuerunt; mirae lucis stellae, et sub monte Vesuvio iris ignita. Cum autem hic die 26 februarii (4) tumidissimos ignis fluvios eructasset circumposita loca combussit, et facto excursu usque ad mare arsit ignis in mari, veluti ac si lignum absumeret. . . . Cinis per aerem effusus in multas provincias decidebat. . . . Ex montis hiatu ascendebat fumus, qui una cum cinere aërem tenebrosum faciebant. . . . Hinc cives mortem iam expectantes nullum alium perfugium nisi ad iratum Deum habebant. Eo enim regionis peccata excreverant, ut ad furorem iniustorumque vindictam Deum iam provocaverint. Quamobrem b. Agnellus noster episcopus. . . . illos nedum de peccatis eorum corripuit. . . . verum suggessit ut patronos custodesque suos S. Ianuarium et Agrippinum, amicos Dei, invocarent. Tunc universus populus . . . cum Agnello et clericis ac Theocrito civitatis Duce, secum caput magni martyris Ianuarii ferentes, suppliciter processerunt; cumque ad eiusdem Ecclesiam confugissent, ibi eum precati sunt, ut propitium sibi ipsis Deum reddere dignaretur. . . . Tum deinceps redeuntes in civitatem sanctissimum Ianuarii caput in conspectu montis posuerunt atque illico. . . . ignita illa flammarum abyssus . . . . statim extincta

(1) *Bibl. Casin.* t. II. *Florilegium* p. 221.

(2) V. *Atti della R. Accad. di Archeol. Lettere e belle arti,* 1876-1877, P. I, p. 232. — Ibi in fine habes etiam characterum eiusdem codicis ectypum.

(3) V. Falcone, *O. c.* in praef.

(4) Tutinius habet: *nella fine del mese di febbraio.*

est. . . . Ut Deo gratias agerent et monimentum beneficii posteris commendarent cives quidem per Theocritum Ducem numismata cum imagine sancti Benefactoris cuderunt, in parte antica circum his verbis: Ἅγιος ὁ Ιανουάριος, *Sanctus Ianuarius*, et in postica : Λυτρωτὴς τῆς πόλεως ἀπὸ τοῦ πυρὸς, *Liberator Civitatis ab igne.* . . . Episcopus vero in gratiarum actionem glorioso gentili suo basilicam cum Diaconia ad eius nomen extruxit in civitate sub nosocomio ac xenodochio b. martyris, et eamdem Diaconiae ecclesiam presbyteris ac diaconis auxit ex Episcopio. „ Haec ibi.

Vix autem *Vita S. Ianuarii* a Casinensibus vulgata fuerat, cum Ioannes Scherillo, cuius immaturum interitum litteraria res publica usque recentem habebit, eam ad trutinam revocavit, et pro more suo clare eruditeque de fide et auctoritate eiusdem in *Actis* regiae neapolitanae Academiae archeologiae, litterarum bonarumque artium (1) disseruit. Nedum enim vir clarissimus Falconium et Gregorium monachum ab falsitatis nota vindicare conatus est, quod optime quidem praestitit, nedum consulatus, indictiones, et res ab Emmanuele proditas, omnia recte procedere vidit, quod item ei libentissime assentior; sed etiam librum ex omni parte authenticum et genuinum putavit, ac nihil in eo falsum, nihil interpolatum, nihil denique vel moribus vel ingenio saeculi V exeuntis non consentaneum esse iudicavit, quod facile ab aliquibus in dubium revocari potest. (2) Plura enim ibi Metaphrastis alicuius stylum et mentem produnt. Sed de his iudicium doctis viris relinquo; mihi satis erit absque ulla haesitatione adfirmare homiliam saeculo VII posteriorem esse, et quaedam habere historicae veritati non consentanea. Nam quamvis revera Vesuvius mons a. 685 incendium eructaverit et Agnellus episcopalem tunc neapolitanae civitatis cathedram obtinuerit, idemque ecclesiam S. Ianuarii *ad diaconiam* circa ea tempora a fundamentis erexerit, quae omnia ex aliis etiam auctoritatibus firmari possunt ; tamen Ioannis Diaconi altum de his, cum expresse ecclesiae S. Ianuarii fundationem narrat, silentium, quod verisimile mihi certe non videtur, stylus ipse scripturae, qui, nî fallor, posteriora tempora sapit, ac denique quaedam locutiones et formulae in ea adhibitae, quae ex libris longe posterioribus vel transcriptae, vel imitatae videntur (3), in hanc me sententiam impulerunt, ut existimarem ipsam *Vitae S. Ianuarii* appendiculam saltem post saec. XI compositam ab aliquo fuisse, qui rebus, ex *Libro Pontificali* ac Paulo Diacono, vel ex nostro Ioh. Diacono pervulgatis et cognitis, alias res, ut nomen ducis Theocriti, amplificandi, sive ornandi causa, ex ingenio adiecit, et orationem, quae nil habet huic incendio peculiare, fortasse a Clero graeco eiusdem Diaconiae in festivitate S. Ianuarii dici solitam, inibi interposuit.

His accedit aliud ex aereo numismate, de quo supra innui, ductum argumentum. Illud, si vere unquam extitit, neque falsum haberi debet, in quodam Vesuvii incertae aetatis, sed saeculo quidem VII posterioris, incendio cusum fuisse dicendum est. Forma enim characterum, quos *cursivos* (4)

(1) *Atti della R. Accad.* 1876-1877, p. 147 et ss.

(2) Casinenses, quae suppositia vel fabulosa ipsis visa sunt, in textu cursivis litteris notaverunt ; quod etiam auctoritate eminentissimi cardinalis Bartolini, emunctae naris viri , factum fuisse declarant.

(3) Ex homilia *De mirac. S. Ian.* n. 2 et 3 (Cf. vetustissimum *Offic. S. Ianu.* Lect. VII ap. FALCONE L. II, c. 3), hausta videtur descriptio Vesuviani incendii , cui ibi alia non adsignatur epocha nisi haec : *Temporibus , quibus omnipotens Deus mortalium est iratus sceleribus et ad crudelitatis ultionem mons Vesuvius vasto tremore concussus* etc. Cf. *Vitam S. Ian.* in *Atti della R. Accad. di Archeologia*, et praecipue p. 282. Heic memorantur *patroni custodesque* urbis Neapolis, *S. Ianuarium et Agrippinum, amicos Dei*, quae verba ex Petro Subdiacono in libello de miraculis S. Agrippini, ubi *antiquos patronos* ; *amicos scil. d, n. Iesu Christi* laudat, eruta fortasse fuerunt. Cetera praetereo.

(4) In nullo neapolitano , sive huius , sive proxime se-

vocant, et qui in eo adhibentur, non multam, ut Muratorius dixit, antiquitatem produnt. Quin immo Stiltingius, quamvis ex accentibus spiritibusque in numismatis epigraphe appositis, qui Muratorio recentiorem patefaciebant aetatem, nullum ad rem argumentum eruere posse censeat, cum eorum usus iam illo aevo ceptum fuerit; tamen ex ipsa litterarum forma, quae magis ad hodiernum scribendi usum accedere videtur, quam ut ad a. 685 tribui possit, ausus non fuit homiliam ipsam ad ea tempora cum Tutinio referre. Qua propter nummum illum non ante saeculum XI vel XII, aut certe ante saec. X fere finitum, cusum fuisse, et forte etiam recentiorem esse arbitratur (2)

Neque praetereundum existimo aliud dubitationis sive potius falsitatis in hac homilia indicium. Anno 685 corpus S. Ianuarii adhuc in suburbana basilica in eius honorem erecta servabatur; nondum enim Sico princeps (818-832) inde Beneventum illud transtulerat. Qui igitur de miraculis eiusdem ante ea tempora patratis agunt, et de eadem basilica, quam Neapolitana religio, sive privatim sive publice, tunc frequentabat, verba faciunt, eam sacri corporis ibidem depositi, vel cubiculi sive sepulchri appellatione et celebratione commemorant. Ita in Homilia, quae incipit: *Operante divina clementia;* et praesertim in ipso Emmanuele, ubi semper τὸ τοῦ αὐτῶν Βοηθοῦ σῶμα *sui defensoris corpus* p. 276 ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ σώματος *ad eius corpus* p. 278 πρὸς αὐτοῦ σῶμα *ad eius corpus* p. 279; prolatum videre est. In hac *Appendicula* contra nihil de sacro martyris corpore, sed tantum de templo ei dicato (πρὸς τὸν τοῦ Ἁγίου ναὸν) loquitur; quod certe epocham translatione posteriorem, ut mihi videtur, designat.

Omnibus his denique adversus eiusdem homiliae authenticitatem chronici nostri certe non minimae auctoritatis et fidei testimonium adiicio. In eo a. 685 m. martio Stephanus dux Neapoli habetur; nullo modo igitur Theocritus tunc in nostrae urbis regimine admitti posse mihi videtur.

Argumentum autem, quod cl. vir Scherillius ad huius appendiculae veracitatem demonstrandam ex testimonio Pauli Diaconi, qui Vesuvium a. 685 arsisse adfirmat, eruit, nullius momenti vel ponderis esse mihi persuadeo. Nam neque Vesuvianum incendium, neque ecclesiam S. Ianuarii in Diaconiam ab episcopo Agnello fundatam ego in dubitationem adduco; siquidem facta illa revera accidisse nemo sanae mentis et recti iudicii inficias ibit. At contextum scripturae et aetatem, in qua ipsa dicitur confecta, ego in dubium revoco.

Ne autem, quae de Vesuviano incendio ex certis auctoribus habentur, lectorem lateant, ea heic referre inutile non erit: *Huius temporibus*, habet *Lib. Pontif.* in Benedicto II. PP., *apparuit stella noctu, iuxta vigilias per diem coelo sereno, inter nativitatem Domini, et Theophaniam, omnimodo obumbrata, veluti luna sub nube. Itemque, mense februario post natale S. Valentini in die ab occasu exiit stella meridie, et in partes orientis declinavit. Post haec mons Bebius* (Vesuvius), *qui est in Campania, mense martio eructavit per dies aliquot et omnia loca circumquaque prae pulvere cineris illius exterminata sunt.*

Eadem paucis, quae nil addunt vel demunt, immutatis refert PAULUS DIACONUS L. VI, c. 9.

FINIS.

quioris aevi (saeculi scil. VIII et IX) monumento, in quo graecae litterae insculptae visuntur, haec characterum forma animadverti potest.

(2) Miror cl. virum ex S. Ianuarii effigie in numismate expressa aliud etiam contra eius antiquitatem argumentum afferre p. 205. Nam quamvis, ut Glycas est auctor p. 238, Iohannes Zemisces circa a. 975 imaginem Salvatoris in numismatis insculpi, quod antea factum non fuerat, iusserit, unde verisimile non videtur sanctos in eis ante id tempus figuratos fuisse; tamen domestica nostrorum nummorum, in quibus eiusdem sancti effigies prostat, exempla, illam argumentationis conclusionem non satis firmitatis habere facile ostendunt.

Et quarto ipsius anno I. indict. Bonellus dux Neapolis a. 9.

Cum annus quartus imperii Iustiniani Rinotmeti, prout Chronographus noster ratiocinatur, a kalendis septembris a. 687 cum indictione I inceperit, et ducatus Stephani, qui praecessit, in m. augusto eiusdem anni, ut supra dictum est, desierit, Bonellum, sive Donellum, prout in cod. Bruxell. habetur, a 1 mensis septembris eiusdem anni ducatum obtinuisse dicendum est. Rexit ducatum annis 9, sed non expletis; nam Theodosius, qui ei successit, a secundo Leontii anno ind. IX dux renuntiatus fuit. At annus secundus Leontii, ut infra videbitur, ex ipsius Chronographi nostri sententia, a kalendis septembris a. 695 incipit. Bonellus igitur, qui mense augusto a. 695 octavum annum sui regiminis absolvit, verisimiliter ante m. augustum et forte circa martium anni 696 ducatum explevit, anni noni finem non attingens. Ita iste dux ex antiquioribus, qui cum indictione mutabantur, primus omnium, sive morte sive alio casu praeventus aut occupatus, extra ordinem, Neapolitani ducatus regimen suscepisse videiur.

695. indict. VIII. Leontius a. tres.

Pulso Iustiniano

Leontius

A. m. $\frac{6187}{6203}$ = Chr. 686-687 = Æ. v. 694-695, quo indictio VIII.decurrebat, imperator a populo salutatus est. THEOPH. p. 245; ANAST. p. 63; *Hist. Misc.* p. 142; CEDREN. p. 350. Postea annus primus eiusdem a kal. septembris sequentis a. 695 numeratur ex eodem THEOPH. et aliis *l. c.*

Ita et Chronographus noster, qui cum *Chron. Farf.* ap. BLANCHINIUM, II, p. 114 omnino convenit.

Aliter, nec recte quidem, nostrates alii; nam in *Chron. monast. S. Sophiae:* 693, VI. *Leo invasit imperium Iustiniani a. 3;* in *Chron. Cav.* 697, X. *Leontius;* in *Chron. Fossae novae:* 697, X. *Leo imperat a. 3.*

Leontius imperat

annis 3 (forte non expletis, si a kal. sept. numerantur) NICEPH. *Brev. hist.* p. 21 (1); THEOPH. p. 246; ANAST. p. 63; CEDREN. p. 350;— vel nulla distinctione habita HAMART. 240, 1; ZONAR. XIV, 23; GLYCAS p. 215; IOEL. p. 137; MANAS. p. 66; LEO, p. 165, 21 et *Catal. Byz.* nec non nostrates omnes post BEDAM p. 32 et PAUL. DIACON. VII, 12.

Leontius deponitur

ab exercitu, qui ex Aphrica revertebatur, et naribus amputatis in monasterio Dalmati custodiae mancipatur (Cf. *Antiq. Constant.* in BANDURI, *Imp. Orient.* II, 51) circa m. aug. a. Æ. v. 698.

Huius anno secundo IX indict. Theodosius dux Neapolis a. 10.

Ex his, quae supra attuli, Theodosium post m. septembris anni 695 et ante m. augustum a. 696 ducem renuntiatum fuisse dicendum est. Qui annos 10 ducatus nec ipse quidem integros explevit; nam successor facile a m. septembri a. 705 ducatum auspicatus est.

Pratillius ex charta quadam monasterii monialium S. Sebastiani Neap. a P. Carolo Borrello, cler. reg. transcripta, et in suorum Mss. *Thesauro* in bibliotheca S. Iosephi eiusdem ordinis adservato, signata *A. VII. Fl. Tiberii imp. aug. ind. II.* arguit *Maximum Ocellarium,* qui ibi *Dux, Consul eminentissimus, Magister militum atque Patricius* dicitur, Neapoli praefuisse a. 704; quem notae chronologicae supra notatae indicant (2). Sed his fidem derogant et instrumenti formulae, uti recte animadvertit Di Meo (*Ann.* II, 209) a consuetis diversae, et mensis ac diei ibi insolens praetermissio, nec non ipsa, in aliis perspecta et probata, hominis falsitas. Eodem insuper accedit quod nec in ullo antiquarum monasterii S. Sebastiani chartarum regesto sive repertorio, neque in illo Borrelli, qui nunc in bibliotheca neapolitana superest, apparatu, huius documenti vel exemplum vel saltem mentionem aliquam invenire unquam potui.

(1) NICEPH. in *Chron. brev.* p. 321 certe ex errore librarii vel codicis annos 10 ei tribuit.

(2) PRATILLI, *Hist. princ. Lang.* t. III, p. 28 in not.

698 ind. XI. Absimarus I. qui et Tiberius an. 7.

Milites classis iam ab Augusto Aphricam contra Saracenos missae, et inde, cum nil ibi profecisset, reversae, et Cretam appulsae, seditione in Leontium facta, Absimarum, qui Cybirraeorum Drungarius (1) erat, imperatorem salutant. et mutato nomine, Tiberium vocant. Deinde Constantinopolim profecti, urbem, quae iam pestilentia per 4 menses vexata erat, obsident, et eam, proditione a principibus extraneorum composita, occupant. Ita, Leontio naribus mulctato et expulso,

Absimarus qui et Tiberius

A. m. $\frac{6190}{6206}$ = Chr. 690-691 = Æ. v. 697-698, ind. XI augustus renuntiatur, et a. sequenti a kal. sept. primum annum imperii signat. THEOPH. p. 246; et ex eo ANAST. p. 63; *Hist. Misc.* p. 142.

Id vero aestate dicti anni et fortasse intra mm. iunium vel augustum accidisse verisimile est; cum classis vere ex Aphrica solverat, et Constantinopolis, dum obsideretur, adhuc pestilentia, quae aestivo tempore, ut plurimum debacchari solet, laborabatur.

Recte ergo sese habet Chronographus noster cum *Chron. Farf.* congruens. Contra *Chron. Cav.* et *Chron. Fossae novae* annum 700, et indictionem XIII adnotant.

Absimarus imperat

a. 7. NICEPH. *Brev. Hist.* p. 22, et *Chron. Brev.* p. 321; THEOPH. p. 249; ZONAR. XIV, 24; CEDREN. p. 350; IOEL. p. 137; GLYCAS. p. 215; MANAS. p. 66; *Hist. Misc.* p. 142, *Catal. Byz.* omnes et nostri post BEDAM *l. c.* et PAUL. DIAC. VI, 12. — vel a. 7 (non exactis) NICEPH. *Chron. brev.* p. 321; ANAST. p. 63. — HAMART. 242, 1 ex errore a. 3 signat.

Absimarus occiditur

a Iustiniano in imperium restituto fortasse autumno anni 705 (2).

Huius primo anno XI ind. Romoald, Gisolphi filius, a. 26.

Chronographus noster male heic ex erronea annorum Romualdi I supputatione initium ducatus Romualdi II ad a. 698 collocat. Neque rectius, uti videtur, *Chron. Cav.* hunc ad a. 700 ind. XV adnotat. Ex his, quae supra de Gisulphi in Campaniam irruptione dicta sunt, non ante 705 et fortasse circa m. iunium a. 706 (DI MEO ad a.) *Samnitum populus* ipsum *ad regendum se sublimavit.* PAUL. DIACON. VI, 39.

Romualdus, qui in diplomatis ab eo datis, ut ceteri beneventani duces deinceps, dicitur *vir gloriosissimus summus dux gentis langobardorum,* uxorem habuit Guntbergam nomine, quae fuit filia Auronae, Liutprandi regis sororis, de qua filium genuit, quem, nomine sui patris Gisulphum adpellavit. Habuit post hanc et aliam coniugem, nomine Ravigundam. PAUL. DIACON. VI, 50. Ducatum gessit a. 26, ut cum Chron. nostro adnotant PAUL. DIACON. VI, 55; *Catal. Benev. S. Soph.*; *Catal. Benev. Anon. Salern.*; *Catall. Benevv. Casin.* et *Cav.* et *Catal. Salern.*

Circa haec tempora monasterium b. Vincentii martyris iuxta Vulturni fluminis fontem (3) a tribus nobilibus Langobardis, Tato, Taso et Paldo aedificatum est. Item monasterium Casinense non post multum temporis, iamque evolutis centum et decem vel centum et triginta annis (4), ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat, reparatis habitaculis, hortatu Gregorii II. PP. (715-731) a Petronace, cive Brixianae urbis. . . . in priorem statum erectum fuit. PAUL. DIAC. VI, c. 40; LEO OST. L. I, c. 4 (5).

(1) Praefectus δρούγγου seu turmae militum V. Ducangium in v.

(2) In *Regesto Farfensi* extat bulla Iohannis VII. PP. *data prid. kal. iul. imperante d. n. piissimo PP. Augusto Tiberio a. VIII, P. C. eius a. VI, sed et Theodosio atque Constantino.* MURATORI, *R. I. S.* II, 2, col. 333; sed ea aut suspecta aut in notis chronologicis mendosa habetur. Cf. Muratorium ipsum et ASSEMANI, *O. c.* II, 595.

(3) De eo extat Chronicon, quod *Vulturnense* dicitur.

(4) Ex calculo, forte meliori, sed non omnino certo, Leo Ostiensis et Petrus Diaconus (Cf. DE NUCE, *Excurs. Chronol.* in Leonis Ostiensis Chron. edit. L. I, c. 2), annos CXXX numerant.

(5) Hic, ut et *Chron. monast. S. Sophiae*, anno 720 id accidisse asserunt; sed videndus est GATTULA, *Hist. Casin.* t. I, p. 18, et DI MEO ad a. 718.

705. ind. III. Iustinianus iterum a. sex.

Chronographus noster cum Byz. scriptoribus optime convenit. Nam

Iustinianus

A. m. $\frac{6197}{6213}$ = Chr. 696-697 = Æ. v. 704-705, Terbelli Bulgarorum principe cum Sclavis opem ferente, Cpolim obsidet, et urbem per aquaeductum, quibusdam proditoribus viam monstrantibus, post triduum (NICEPH. *Brev. Hist.* p. 28) ex insperato capit. Ita in imperium restituitur, certe non ante m. martium, quo Iohannes PP. consecratus fuit (1), neque post diem 23 aug. quo Callinicus Cpolis patriarcha oculis orbatus et in exilium pulsus Romam petiit (2). Anno vero sequenti scil. a septembri 705 primus eiusdem annus secundo imperantis signatur. THEOPH. p. 249 (3).

Eodem anno Iustinianus Theodoram coniugem, et filium Tiberium collegam in imperio coronat.

Nostrates eiusdem Iustiniani epocham annis duobus prorogant. Nam in *Chron. Cav.* habetur: A. 707, V. *Iustinianus supradictus cum Tiberio filio recipitur in imperio, unde fuerat a Leone (Leontio) eiectus.* Neque aliter in *Chron. Farf.*, in *Chron. Fossae novae*, et in *Rom. Salern.*

Contra *Chron. mon. S. Sophiae* minus recte habet: A. 696, IX. *Tiberius filius Iustiniani* a. 6.

Iustinianus secundo imperat

a. 6 (expletis) NICEPH. *Chron. Brev.* p. 321; THEOPH. *l. c.* et p. 240; ANAST. p. 64; *Hist. Misc.* p. 125; CEDREN. p. 351; ZONAR. XIV, 25; Leo 169, 13; nec non BEDA p. 36. PAUL. DIACON. VI, 37; *Catal. Casin. Impp. Romm.*, et chronographi nostri omnes, qui annos eiusdem et Tiberii filii una supputant. — vel a. 7 (non exactis) IOEL. p. 138; *Catal. Byz.* VI; ROM. SALERN. qui eum occisum dicit *postquam imperaverat a. 6*, et cod. Modoet. Pauli Diaconi; ubi anni septem in eiusdem imperio adnotantur. Contra *Catal. Byz.* I, annos 5 et m. 6 ei tribuit.

Iustinianus occiditur

cum filio Tiberio sub finem a. 711, Bardane, armenio (NICEPH. *Brev. Hist.* p. 21), Nicephori patricii filio (THEOPH. p. 247), cui nomen Philippici datum, imperium occupante (4).

Huius secundo anno quarta ind. Cesarius dux Neapolim an. sex.

Annus secundus imperii Iustiniani iterum, uti supra innui inter m. martium et m. augustum 705 proprie collocandus est. Ex annis ducatus eius et ex epocha successoris Caesarius, fortasse circa m. martium a. 706, dux renuntiatus fuit. Rexit ducatum a. 6, ita ut circa m. maium vel iunium a. 711 ab officio cesserit.

711 ind. IX. Philippicus qui et Bardanes a. 2.

Chronographus noster epocham Philippici inter m. septembrem a. 710, et m. augustum a. 711 collocat. Et recte, nam

Philippicus

A. m. $\frac{6203}{6219}$ = Chr. 703-704 = Æ. v. 710-711, ind. IX, (circa m. iulium vel augustum uti mihi videtur) a Chersonensibus, ex ingenti caede Iustiniani iussu facta superstitibus, et ab ipsis militibus contra eos ab imperatore missis una coniurantibus Tauride Augustus salutatur. Deinde insequenti a. 711-712 et fortasse circa initium m. decembris, ut ex *Lib. Pontif.* (5) et ex antecedentibus et sequentibus argui potest, Cpolim

(1) IAFFÉ, *Reg. Pontif.* p. 173.

(2) Cf. MURALT, *Essais de Chron. Byz.* p. 325.

(3) Iustiniani in imperium restitutionem ad autumnum a. 705 Di Meo collocat, et contra filii Tiberii epocham ad m. septembrem anni 708, ind. VII, ex quodam *Catal. PP.* a Maffei edito producit. V. *Ann.* II, 220.

(4) AGNELLUS in *Lib. Pont.* Rav. Eccl. tradit caput Iustiniani conditum sacco et in Italiam missum fuisse, ut per singulas plateas in summitate lanceae fixum duceretur.

(5) Constantinus PP., qui, ut Iustiniani imp. *sacrae* (i. e. *epistolae*) obtemperaret, die 5 octobris ind. IX a. 710 Roma Byzantium profectus fuerat, die 24 octobris ind. X, sequentis a. 711 in urbem reversus est. *Post menses autem tres*, habet *Lib. Pontif.*, *lugubre nuncium personuit quod Iustinianus christianissimus, et orthodoxus imperator trucidatus est, et Philip-*

profectus coronam imperii suscipit, et eius annus primus a septembri, uti consuetum, adnotatur. THEOPH. p. 253; ANAST. p. 65; *Hist. Misc.* p. 145.

Inter nostrates recte *Chron. Farf.* habet: A. 712, X. *Iustinianus imp.* Θ. *Philippicus imp.* — Minus recte *Chron. Monast. S. Sophiae :* 702 (712) XV. *Philippicus m. 6*, et *Chron. Fossae novae:* 713, XI. *Philippicus a. 1.* — *Chron. Cav.* annos non adnotat.

Philippicus imperat

a. 2 (non expletis) NICEPH. *Brev. Hist.* p. 25, et *Chron. Brev.* p. 321 ; ANAST. p. 66 ; HAMART. 244, 1 ; IOEL. p. 138 ; GLYCAS p. 216 ; *Hist. Misc.* p. 145 ; MANAS. p. 67 ; *Peroratio Agathonis diaconi* ap. COMBEFISIUM, *Hist. haer. monoth.* p. 203 ; et ex nostratibus *Chron. Vulturn.* et *Catal. Casin. Impp. romm.*

— sed verius a. 1, m. 9 (a die proclamationis, aut ab initio anni civilis graecanici, cum imperio coniuncti). THEOPH. p. 257 (1) et ab eo *Hist. Misc.* p. 146.

— vel a. 1, m. 6 (a die coronationis) BEDA p. 32 ; PAUL. DIACON. VI, 34 ; IOH. DIACON. n. 36 ; *Chron. Farf.* et ROM. SALERN. Ob incuriam et oscitantiam librarii vel ipsius auctoris in *Chron. S. Soph.* annus, et in *Chron. Fossae novae* menses, ut ego autumo, exciderunt.

Philippicus deponitur

sabato Pentecostes die 3 iunii a. 713. Dum post prandium somno indulgeret a Rufo Protostratore Opsicii (2), et a militibus quibusdam ex Thraciae praesidio captus et in ornatorio Prasinorum ductus, nullo pene conscio, oculis et imperio privatur. THEOPH. p. 255.

Huius primo anno IX ind. Iohannes dux Neapolim a. 8.

Cum Philippicus m. iulio vel aug. a. 711 imperator renuntiatus fuerit, eodem tempore Iohannes ducatum suscepisse dicendum est. Ducatum rexit a. 8, quos ex supputatione annorum successori Duci adtributorum, non integros fuisse existimo.

De eo haec in *Lib. Pontif.* seu ANAST. BIBLIOTH. in Gregorio II. PP. habemus: " Cumanum Castrum ipso fuerat tempore a Langobardis pacis dolo pervasum. Quo audito, omnes sunt redditi tristes. Adhortans etiam sanctissimus Pontifex, et commonens Langobardos, ut redderent. Qui, si non acquievissent, in iram divinam se incidere pro dolo, quem fecerant, suis scriptis protestabatur : nam et munera eis dare, si restituerint, voluit multa. Sed illi, turgida mente, neque monitis audire, neque reddere sunt passi. Unde nimis idem sanctus indoluit Pontifex, se seque spei contulit divinae: atque in munitione Ducis Neapolitani, et populi vacans, ducatum eis qualiter agerent, quotidie scribendo, praestabat. Cuius mandato obedientes, consilio inito, maenia ipsius castri virtute sub nocturno ingressi sunt silentio, Ioannes scilicet Dux, cum Theodimo subdiacono, et rectore, atque exercitu, et Langobardos pene trecentos cum eorum castaldione interfecerunt; vivos etiam amplius quingentos comprehendentes, captos Neapolim duxerunt: sic castrum recipere potue-

picus haereticus in imperiali promotus est arce. BLANCHIN. I, p. 159 et ss. Si igitur circa diem 24 ianuarii a. 712, de Philippici imp. proclamatione nuncius Romam pervenit, facile credi potest eam m. decembri anni praecedentis accidisse. Praeterea annus unus et m. sex imperii eiusdem, qui die 3 iunii desierunt, ad initium ipsius m. decembris nos perducunt. *Lib. Pontif.* insuper adiicit: Constantinum in itinere Neapolim venisse, et ibi Iohannem patricium et exarchum, cognomento Rizocopum, qui a Iustiniano imp. in locum Theophylacti Ravennam missus fuerat, invenisse.

(1) THEOPH. p. 257 annos duos et menses novem Philippico, annum unum et menses tres Arthemio tribuit. Sed, uti animadvertunt PAGI et DI MEO, in hoc textu Chronographi manifestus error irrepsit. Nam, cum unus imperii Philippici terminus extra contentionem sit, scilicet dies (4 iunii a. 713), in qua depositus et excaecatus fuit, si epocha supra adnotata recte se se haberet, tum initium imperii adusque m. septembris a. 710 amandandum foret, quod omnino absurdum esse ex dictis et dicendis facile patet. Contra annus 1, et m. 3 Arthemio tributi non ultra diem 5 septembris 714 istius imperium producunt; id autem ab ipso Theophane improbatur cum (p. 256) die 15 aug. 715 Arthemium adhuc a. 2 imperantem dicit. Ego igitur non nomina imperatorum, ut Pagius autumat, sed annos imperii ad invicem mutandos, et Philippico a. 1 et m. 9. ac Arthemio an. 2 et m. 3 tribuendos esse arbitror.

(2) *Protostrator* dicebatur, qui *Stratoribus* seu equorum curatoribus praeerat. ZONAR. XIV, 24. Θεμα οψικιου provincia erat Asiae ita appellata, quia legio in *obsequium* principis destinata ibi praesidio mitti consuevisset. Cf. DUCANGIUM in vv.

runt. Pro cuius redemptione septuaginta auri libras ipse sanctissimus Papa, sicut promiserat antea, dedit „. Eodem modo rem summatim refert PAUL. DIAC. L. VI, c. 40. Quosdam alios eiusdem facti eventus IOH. DIACON. in *Sergio* n. 37 adiicit; quos infra videbis. — Id autem a. 716 vel 717 evenit.

Ex hoc duce falsum Pseudo-Ubaldi *Chronicon*, initio mutilum, incipit.

713. ind. XI Anastasius qui et Artemius an. 2.

Recte quidem Chronologus noster, ut et *Chron. Farf.* et fortasse etiam *Chron. mon. S. Sophiae.* Nam

Artemius qui et Anastasius

A. m. $\frac{6205}{6221}$ = Chr. 705-706 = Æ. v. 712-713 die Pentecostes ind. XI (4 iunii) a senatu et populo Cpolitano in imperatorem eligitur, et sub nomine Anastasii salutatur Augustus. NICEPH. *Brev. Hist.* p. 25; THEOPH. p. 255; CEDREN. p. 354; ZONAR. XIV, 26.

In sequenti vero annus primus eiusdem a septembri m. notatur post THEOPH. l. c. ab ANAST. p. 67; in *Hist. Misc.* p. 146; et ex nostratibus a *Chron. Cav.* ubi habetur: A. 714, XII. *Anastasius qui et Thremius*, et a *Chron. Fossae nov.*

Anastasius imperat

a. 2 (expletis) NICEPH. *Chron. brev.* p. 321; CEDREN. l. c.; IOEL. p. 138; HAMART. 245, 1; GLYCAS p. 216 — et ex nostratibus *Chron. mon. S. Soph.* et *Chron. Vult.*
— vel a. 3 (non exactis) IOH. DIAC.; *Catal. Casin. Impp. Romm.* et *Chron. Fossae novae.* (1)
— sed verius an. 2, m. 3, ut ex Theophanis textu ad meliorem lectionem reducto, et ex tota annorum praecedentium et sequentium imperatorum ratione argui licet. Theophanem sequuntur *Hist. Misc.* p. 146 et Zonaras *l. c.*

Anastasius deponitur

Niceae circa finem m. aug. a 715, et monachorum habitu induto Thessalonicam deportatur. NICEPH. *Brev. Hist.* p. 27; THEOPH. p. 257.

715 ind. XIII Theodosius a. 1.

Theodosius, qui ex publicorum vectigalium conductore a rebellibus in Adramitio imperator salutatus fuerat, classe suorum instructa Cpolim proficiscitur, et urbem classemque inimicam crebris praeliis oppugnat; dein post sex menses quorundam proditione Cpolis potitur. Sed Leo Isauricus, Orientis Praefectus, qui partes Anastasii iam tuebatur, novum imperium recusans, Artabasdo Armeniaci exercitus duce opem ferente, nomen Augusti adsumit, et Nicomediae Theodosii copiis expugnatis filioque eiusdem capto, totam regionem usque ad Chrysopolim occupat.

Haec omnia a m. martio anni 715 ind. XIII usque ad februarium anni 716 ind. XIV accidisse videntur, scil. classis defectio et proclamatio Theodosii circa mensem martium, a. 2. Anastasio imperante; Cpolitanae urbis occupatio post sex menses circa finem augusti, vel initio ind. XIV, et Nicomediae praelium, quo perbreve Theodosii imperium conclusum est, circa finem februarii: abdicatio denique Theodosii circa m. augustum an. 716.

Ita recte intelligitur Theophanes et alii qui eum sequuntur, apud quos

Theodosius

A. m. $\frac{6208}{6224}$ = Chr. 708-709 = Æ. v. 715-716 imperator adnotatur. THEOPH. p. 257; ANAST. p. 67; *Hist. Misc.* p. 146.

Nec aliter sentit Chron. nostrum, et *Chron. mon. S. Sophiae.* Male autem *Chron. Cav.* et *Fossaenov.* ubi: 717, XV. *Theodosius.*

Theodosius imperat

a. 1. NICEPH. *Chron. brev.* p. 321; THEOPH. p. 257; ANAST. p. 67; *Hist. Misc.* p. 146, et omnes nostrates post PAUL. DIAC. VI, 41, et BEDAM p. 33.
— vel an. 2, illo quo imperium suscepit, et illo, quo, amisit, ut integri, supputatis. HAMART. 247, 1; CEDREN. p. 354; ZONAR. XIV, 28; LEO 173, 1; IOEL. p. 138; GLYCAS, p. 216.

(1) BEDA in quibusdam codd. annos duos, in aliis tres Anastasio tribuit. *Chron.* p. 33.

Theodosius abdicat

se se, uti diximus, circa m. augustum a. 716 Chrysopoli, et monachum induit.

716 ind. XIV. Leo solus an. 3 et cum Constantino a. 22.

Et heic recte quidem Chronographus noster; nam

Leo

A. m. $\frac{6208}{6224}$ = Chr. 708-709 = Æ. v. 715-716, ind. XIV, cum Orientalium dux esset et Artemii partes contra Theodosium strenue propugnaret, initio m. martii Amorio ab exercitu et civibus, saracenis etiam annuentibus, imperator salutatus est. Tum, Theodosii filio apud Nicomediam capto, ipsum Theodosium ad imperium abdicandum adegit circa m. augustum eiusdem anni. Dein mense septembri ind. XV annus primus eiusdem inde adnotatur. THEOPH. p. 260; ANAST. p. 68; *Hist. Misc.* p. 148.

Anno insequenti vero (717) ind. XV m. martio die 25 sollemniter coronatur Augustus. THEOPH. p. 275; *Hist. Misc.* p. 153; CEDREN. p. 353. „

Itaque Leo, qui et Conon dictus fuit, atque etiam a patria Isauricus (1), duas praecipue epochas signat. Altera a die 4 martii 716, ind. XIV, quam Nicephorus sequitur (2). Altera a die 25 martii a. 717 ind. XV. a Theophane apertissime declarata (3), et in pluribus monumentis adnotata.

Ex recentioribus vero scriptoribus primam sententiam amplectuntur Baronius, et P. Di Meo; alteram Pagius, Muratorius, et Assemanius.

Fortasse et tertia etiam epocha supputanda est a die abdicationis Theodosii, sive ab initio anni civilis graecorum, idest a m. septembri et ab ind. XV.

Ex nostratibus *Chron. mon. S. Sophiae* cum hoc nostro optime convenit. Alii chronographi vero imperii epocham anno uno prorogant, ut *Chron. Cav.* ubi: A. 718, I. *Leo Suras cum Constantino persecutore*, et *Chron. Fossae novae* ubi: 718, I. *Leo cum Constantino filio imp. a. 23;* vel annos Leonis ab Constantini filii coronatione supputant, ut *Chron. Farf.* ubi: A. 719, II. *Leo Augustus.*

Leo imperat

a. 25, m. 3, diebus 14. (a die 4 martii 716). NICEPH. *Chron. brev.* p. 321, et ex nostratibus *Catal. Benev. S. Sophiae,* ubi dies omittuntur— aut a. 25 (mensium ac dierum ultra annum ratione non habita). HAMART. 248, 1; IOEL. p. 139; *Catal. Byz.* I; et ex nostratibus *Chron. Fossae novae.*

— vel a. 24, m. 2, diebus 25 (a die 25 martii 717). THEOPH. p. 275; *Hist. Misc.* p. 153; CEDREN. p. 361 — aut a. 24 (mensibus et diebus omissis) ZONAR. XV, 4; LEO, 173, 18; HAMART. 253, 1; *Catal. Byz.* II; ac ex nostratibus *Catal. Casin. Impp. romm.* (V. supra) et *Chron. Vult.* — vel a. 24, m. 9, *Catal. Byz.* V — aut m. 8, d. 25, *Catal. Byz.* IV — aut m. 6, diebus 5. *Catal. Byz.* VI (a septembri a. 716, vel ex quadam propria, quam nescio, ratione.)

(1) *Ysabrus* ac *Suras* ex idiotismo vel ex errore dicitur in *Catal. Casin. Impp. Romm.*, quem supra edidi, et in *Chron. Cav.*

(2) Haec epocha signatur in Synodo Romana habita *imperante augusto a Deo coronato magno et pacifico imp. Leone a sexto, post consulatum vero eius anno sexto, sed et Constantino novo imp. eius filio an. secundo mense aprilis ind. IV* (Æ. v. 721). BARONII, *Ann. Eccl.* XII, 294. — Item a m. martio, vel septembri a. 716 supputatae sunt notae chronologicae in marmore Classensi signatae ita: *Imperantibus piissimis dd. nn. Leone et Constantino a Deo corondtis mm. impp. Leone quidem cl. imp. a. XV. Constantino vero a. XI, quarto kal. febr. ind. XIV.* (29 ianuarii 731) MANSI, *Coll. Concil.* XII, 225.

(3) Theophanem in indictionibus per haec tempora saepe erravisse, et eas cum anno imperii male coniunxisse non inficior. Sed minus recte ex his ind. XIV pro XV P. Di Meo in textu eiusdem (p. 275) substituendam esse arbitratur; anni enim imperii ab ipso Theophane Leoni imp. adtributi, initium eiusdem ad a. 717 et indictionem XV procul dubio ex eius supputatione perducunt.

(4) Omissis, quae etiam a septembri 716 supputari possunt, notis chronologicis, tantum epistolam Gregorii II. PP. Bonifacio episcopo Leonis a. X, et Constantini VII. ind. X. decimo kal. decembris (Æ. v. a. 726) datam heic memoro, Cf. BARONIO, *O. c.* t. XII, p. 316.

Qui epocham imperii Leonis ex filii Constantini epocha sumunt, illi annos 23 tribuunt. Ita GLYCAS, p. 217, et *Chron. Farf.*

Leo moritur

die 18 iunii a. 741 ind. IX. THEOPH. p. 275.

719 ind. II. (1) Constantinus Caballinus a. 57.

Recte quidem Chronographus noster; nam Constantinus, qui natus a. tertio Leonis, (THEOPH. p. 266; ZONAR. p. 357), scilicet Æ. v. 718. eodem die, quo Maria mater eius, Leoni iam matrimonii dignitate coniuncta, ab imp. in Augustaei triclinio coronam accepit, scil. die 21 m. octobris, ut Theophanes asserit, vel 25 m. decembris, ut ex Anastasio et *Historia Miscella* discimus, sacro fonte abluitur, et a patre, ut videtur, in collegam adsciscitur. THEOPH. p. 266; CEDREN. p. 357; ANAST. p. 70; *Hist. Misc.* p. 150. Deinde

Constantinus

A. m. $\frac{6212}{6228}$ = Chr. 712-713 = Æ. v. 719-720, ind. III, die paschatis (31 martii) in tribunali, quod novemdecim accubitorum dicebatur, sollemniter coronatur. NICEPH. *Brev. Hist.* p. 29; THEOPH. p. 267; CEDREN. p. 357; ANAST. p. 70; *Hist. Misc.* p. 150.

Ex his igitur et ex monumentis, quae supersunt, tres Constantini cum patre imperantis epochas video. Prima a die 25 decembris 718 ind. II, in qua Constantinus baptizatus fuit, vel a die 25 martii 719, si haec dies a Nicephoro adnotata et perperam cum paschate coniuncta, epocham, qua Constantinus in collegam adscitus fuit, indicat. Ipsa in IOH. DIACONO n. 39 et 40, ubi S. Calvi episcopi neap. mors a. 44 imp. Constantini et Leonis filii eius a. 18, scilicet die 20 martii 762, ut infra amplius disseram, et Pauli eius successoris obitus a. 48 Constantini et 15 Leonis, scil. die 6 aprilis 766, adnotatur. Item in instrumento Neapoli Constantini a. 45 et Leonis 12, ind. I, mense martio (a. 763) confecto, et in Gregorii PP. II. epistola Bonifacio episc. a. 26, kal. iulii, ind. XII (a. 744) data, animadverti potest.

Altera a 31 martii 720, ind. III, festo paschatis die, quo Constantinus sollemniter coronatus est. Ipsa praecipue in marmore Classense, cuius supra in notis mentionem feci, a. 11 Constantini quarto kal. febr. ind. XIV (a. 731) posito (2), in Synodo Romana a. 26, P. c. 5, m. octobri ind. XIV (a. 745) habita (3), et alibi invenitur.

Tertia denique epocha ab initio anni civilis graecorum et ab indictione III, ut saepe moris erat, scilicet a septembri a. 719 desumpta est. Ipsa in monumentis, ut plurimum deprehendi potest, quippe quae et primae et alteri saepissime convenit. Ita notae chronologicae sacramenti a Bonifacio episcopo Leonis a. 7, et Constantini a. 4, ind. VI, pridie kal. decembris (a. 722) praestiti (4), a martio, aeque ac a septembri 719 apte supputari possunt.

P. Di Meo, qui communem et prae aliis usitatiorem, ab initio anni civilis graecorum sumtam supputationem non vidit, aliam Constantini epocham ex quibusdam documentis proposuit, vid. a m. augusto a. 720 (*Apparato* p. 34), sed nullum mense et anno illo Constantini factum memorabile habetur, unde nova imperii nota chronologica statui deberetur. Documenta illa potius ex septembri post Constantini coronationem desumpta esse videntur.

Constantinus mortuo patre die 18 iun. a. 741, solus imperium tenuit. Ex tunc annos, quibus patri collega fuit, et annos imperii solius numerat. Hi in monumentis, sive veteribus notis *Post-Consulatus*, sive appellatione *pacis* vel *tranquillitatis eius* quodammodo, adnotati sunt. De hac formula infra redibit sermo.

Constantinus imperat

a. 57 cum patre, ut ex Chronographo nostro (non expletis et vel a 21 aut 25 octobris vel a 25 decembris a. 718, vel denique a 25 martii a. 719, desumptis).

Solus vero a morte patris a. 34, m. 2, d. 26 (5). THEOPH. p. 300; *Hist. Misc.* p. 163; aut a. 34,

(1) Supra in textu Chronici ex errore, cui praebuit ansam ipsa Pertzii editio, heic pro ind. II legitur ind. XI.

(2) MANSI, *Coll. Concil.* t. XII, p. 235.

(3) BARONIO, *Ann. Eccl.* t. XII, p. 527.

(4) BARONIO, *O. c.* t. XII, p. 302.

(5) NICEPH. *Chron. brev.* p. 321 habet d. 25, et *Hist. Misc.* ex errore forsan librarii a. 35 pro 34.

m. 3, d. 2 (forsan non a morte patris, sed a die coronationis eiusdem supputatis), ut idem THEOPH. p. 275.
— vel a. 34, m. 3 (non habita ratione dierum) ZONAR. XV, 8;
— vel a. 34 (non habita ratione mensium et dierum). IOEL. p. 139; GLYCAS p. 219; MANAS. p. 74.
— vel a. 35 (non exactis) CEDREN. p. 363, et ex nostratibus *Chron. Farf.*

Constantinus moritur

die 13 vel 14 septembris ind. XIV a. 775. THEOPH. p. 300; ANAST. p. 82; *Hist. Misc.* p. 163.

Huius primo anno secunda indict. Theodorus dux Neapolis an. 11.

Annus primus Constantini Copronymi, ut supra innui a die 21 vel 25 octobris, aut a 25 decembris a. 718 iuxta Chronicon nostrum ind. II, vel saltem a. 25 martii 719 initium habuit. Theodorus igitur circa hos menses, sed omnino ante finem m. aug. a. 719, quo ind. II. desiit, collocandus est. Ducatum rexit annis 11, forte non expletis, nam successor cum ind. XIII. septembri 729 facile Neapolis regimen obtinuit.

De hoc duce plura apud nostros scriptores, quae tamen nec vera nec certa sunt, habentur. Quidam enim mendaci Pseudo-Ubaldi testimonio nisi, et doctissimi P. Di Meo iudicium secuti uno ore adfirmant post Exhilaratum, de quo infra fusius disseram, Theodorum ab a. 728 ad a. 759 ducem Neapoli fuisse. Insuper tradunt, ipsum " Sarracenos, qui a Calabria et Cicilia de continuo veniebant ad infestanda loca circum circa Neapolim pluries debellavisse; et monachos a Cpoli fugientes, eo quod nolebant obedire mandatis imp. Constantini, honorifice excepisse. „ Praeterea adiiciunt, eo neapolitanum ducatum regente, " Alphanum secretarium imperatoris Neapolim missum fuisse et ne Papae obediret neque ei pecuniam sui patrimonii daret, praecepisse (1). „ Sed haec omnia aut omnino falsa, aut, si vera, vel non eo tempore et modo, vel non ab eisdem hominibus gesta sunt.

Nam inter an. 728 et 759 Sarraceni, uti iam animadvertit Assemanius (2), nondum Siciliam et praesertim Calabriam ita firmiter occupaverant ut exinde Neapolim continuo infestare possent, neque monachi e Byzantio saevam Constantini Copronymi persecutionem fugientes tunc Italiam petere potuerant, cum illa emigratio sub Paulo I. PP. et post a. 758 facile evenerit. Quoad vero Alphanum attinet, quamvis per ea tempora de Georgio proto a secretis, et de Iohanne imperiali silentiario Romam ac Franciam missis (3), et de Anthimo spathario ac Synesio eunucho item Romam legatis a. 764 ex monumentis (4) notitia habeatur; tamen Alphani legationis nullibi nisi in Ubaldo mentio, et eiusdem nominis indoles barbarica, in graeco homine insolens, rem omnino suspectam reddunt.

Neque rectius de hoc duce agunt qui graecum eiusdem epitaphium proferunt, et ex eo aetatem ipsius eruere nituntur. Omnes enim, sive nostri sive etiam exteri fuerint, vel in graeci marmoris lectione, vel in latina eius interpretatione peccant, praesertim indictionis et mensis interpolatione notandi. Ipse quidem doctissimus atque ἑλληνικώτατος Martorellius, qui ceteroquin marmor maiore fide ac diligentia transcripsit et in tabula prodidit, vocem ϹΕΠΤΟϹ, quae ibi adhibetur, perinde ac si nullam in graeca lingua significationem haberet, mancam et breviatam credens ϹΕΠΤΕΜΒΡΙΟϹ legit, et, quod incredibile videri possit, notam ΕΝ ΙΝΔ. ΤΕΤΑΡΤΗ *in ind. tertia* latine vertit (5). Ita, aut ex eadem ind. IV perperam ad a. 616 vel 717 tributa, ut Summontius (6) et Iannonius (7), Theodorum iam tunc Neapoli ducem statuunt; aut ex indictionis et

(1) PRATILLI, *Hist. Princ. Lang. Peregrinii*, t. III, p. 31, DI MEO, *Apparato*, p. 179 et ss., et *Annali* ad a. 728, 735, 759.
(2) ASSEMANI, *O. c.* t. III, p. 43-45. — Cf. AMARI, *Stor. dei Musul. di Sic.* t. I, p. 171 et ss.
(3) *Cod. Carol.* ep. 15 ap. MURATORI, R. I. S. III, 2, c. 125; CENNI, *Mon. dom. Pont.* I, 155; *Lib. Pont.* in Stephano II.
(4) *Cod. Carol.* ep. 20 ap. MURATORI, ibid. c. 134; CENNI, *O. c.* I, 213.
(5) MARTORELLI, *De reg. thec. calam.* p. 530.
(6) SUMMONTE, *O. c.* t. I, p. 394.
(7) GIANNONE, *Stor. civile,* L. IV, c. 4.

mensis, Leone et Constantino imperantibus, notis chronologicis, quas plerique, et ipse Assemanius, ad eiusdem obitum referunt, Theodorum ducem a. 735, quo mense octobri vel septembri ind. IV decurrebat, obiisse credunt (1). Ita etiam cetera in epitaphio contenta ad eorum sententiam accomodant.

Sed neapolitanae historiae bono lapis, quamvis dextro eius latere aliquantulum decurtatus, forte fortuna adhuc superest. Ex eo certe quidem erui potest Theodorum consulem et ducem templum (SS. Iohanni et Paulo dicatum, ut infra dicam) a fundamentis erexisse et Diaconiam ex novo instituisse in ind. IV sub Leone et Constantino, deo amantibus imperatoribus; itemque eum in fide et conversatione praeclarum, e vita migrasse ibi cum vixisset Christo ann. . . . et m. . . .

Notae numerales annorum et mensium in marmore nunc deficiunt. Sed, si Falchio, qui primus inscriptionem retulit, fides habenda, ibi ETI (sic) I KAI M E. idest *a. X. et m. V.* legebatur (2); quae notae annos in ducatu neapolitano a Theodoro actos significare possunt, et annis 11, certe non expletis, a chronographo nostro ei tributis, optime conveniunt. Contra alii nostri scriptores, qui inscriptionem ipsam etiam referunt, extremam marmoris notam omittunt, et M pro nota numerica, non pro littera initiali *mensis* habent; ita ut ETI I KAI M. annos decem et quadraginta seu 50 interpretantur. Sed, utcumque sit, certum est mensis septembris, vel octobris notam in marmore omnino deesse.

De ecclesia autem et diaconia a Theodoro duce fundata, ubi olim inscriptio, de qua agimus, extabat, haec habeo. Dicata sanctis Iohanni et Paulo (3) una ex iis septem Neapolitanae civitatis diaconiis erat, quae ob remotissimam originem Constantino Magno adscribebantur (4). In veteri quodam documento a. 1205 confecto eam *de Pretorio* appellatam invenio (5); praetorium enim ducum Neapolis in S. Marcellini coenobio vel in viciniis extitisse aliunde compertum est. Nomen eo loci inditum, etiam postquam praetorium cessit, vel alibi translatum fuit, regio per sequentia tempora et usque ad saeculum XIII servavit (6). Postea ecclesia, ut ab aliis sub eodem titulo in urbe positis distingueretur, *ad nidum*, ex mutato etiam regionis nomine, appellata fuit (7). Ipsa, ut situm eius pressius definiam, in eo loco, ubi nunc regia Studiorum Universitas, iam Iesuitarum collegium, posita erat, et proprie in illo angulo contra sacram aedem, quae vulgo *Monte vergi-*

(1) ASSEMANI, *O. c.* t. III, p. 27 et 42.

(2) FALCO, *Descrit. de Nap.* p. 35.

(3) Quidam nostri ut Capacius et Celanus, ex errore vel ex memoriae lapsu hanc ecclesiam SS. Petro et Paulo dicatam dicunt, quem errorem refellit SABATINI, *Calend. marm.* t. VI, p. 88, et ASSEMANI, *O. c.* III, p. 24.—Idem ASSEMANIUS, p. 249 falso de diaconia S. Andreae heic agi credit.

(4) SPARANO, *Mem. stor. della S. Nap. Chiesa*, I, p. 154 et ss.

(5) Transumptum huius instrumenti, quod habeo in *Notamentis* ex archivo Monasterii S. Marcellini a Çarolo de Lellis vel aliquo neapolitanae historiae studioso factis (Litt.I, n. 2, p. 131), est huiusmodi „ *Die 14 iunii ind. VIII. Regnante domino imperatore ? Frederico Sicilie et Italie rege, regnorum eius anno octavo — Ioannes humilis presbiter q. Flinga, abbas ecclesie sancte Marie, que est in pede de Gripta, et Gregorius comestabilis filius q. domini Marini, qui fuit filius q. domini Constantini, qui fuit filius q. domini Alberti Comite et q. domine Marocte honeste femine Cacapice coniugum, et Grusa monaca monasterii SS. Marcellini et Petri filia q. domini Petri cognomine Comite et q.domine Magalde coniugum et Maria filia q. domini Ioannis cognomine De domino Mansone et q. domine Lorecte coniugum: sed et Maria coniux dicti Gregorii comestabilis, qui sumus distributores animae q. domine Lorecte, quae fuit socra dicti Gregorii et uterina germana dicte Gruse et genitrix dicte Marie dant et concedunt domine Gaytelgrime abbatisse dicti monasterii SS. Marcellini et Petri pro infirmaria dicti Monasterii integram petiam de terra, que fuit dicte domine Lorecte, sitam in loco foris Gripta, et dicitur a Festiniano, iuxta bona ecclesie S. Bartholomei, ecclesie S. Ioannis captolice maioris. domini Stephani Gambitelli et domini Stephani Marogani,* ECCLESIE SS. IOANNIS ET PAULI DE PRETORIO, *et illi de Quaranta cum onere canendi missam unam qualibet hebdomada pro anima dicte Lorecte eorum socrus, uterine germane, et genitricis respective — Scriptum per manus Ioannis scriniarii et subscribitur Ioannes abbas ecclesie S. Marie Cripte oscure.* »

(6) De *praetorio*, in doc. a. 1117 aliqua dicam.

(7) *Visitatio* a. 1542 in archivo archiep. Neapoli.

nella (1) vocatur, et aedes, quae eo tempore ad Brancatios pertinebant (2). Petrus de Stefano, qui a. 1560 loca neapolitanae urbis sacra recensuit, in ecclesia SS. Iohannis et Pauli, quam pauperem et ruinosam vocat, tria altaria, more basilicarum composita, et ante altare maius ducis Theodori epitaphium describit (3). Paulo post, a. scil. 1566, eam et domos attiguas pretio emptas pp. Iesuitae, ut novum eorum collegium ad normam exigeretur, diruerunt (4).

Ceterum epitaphium ipsum, quod nunc in ecclesia S. Mariae, vulgo *Donnaromita* vocata, prostat, ex marmore cum subiecta eidem urna graphice exemplatum et amplo commentario, in quo omnia ad eiusdem litteraturam vel significationem pertinentia fusius exponentur, instructum, infra dabo.

Huic duci, ut ex locorum situ coniicere licet, verisimiliter pertinent ea, quae sub Gregorio II PP. (a. 715-731) de quodam Theodoro consule recitantur in Regesto bonorum Ecclesiae Romanae, quod PP. Victori III datum cardinalis Deusdedit in *Collectione Canonum* invexit, et ex cod. Vatic. 3833 cl. Borgia (5) edidit. *Idem*, ibi dicitur, scil. Gregorius iunior, *in eodem* (regesto) *Theodoro consuli* (locat) *in annis XXVIII insulam Capris cum monasterio S. Stephani cum omnibus sibi pertinentibus; prestat annue in auro quidem solid. CVIIII, vini megaricos C.—Item in eodem Theodoro consuli casale, quod dicitur Castro maiore, quod prestat annue Byzant. LII. auri solid. et casale, qui dicitur Nimfise, sita utraque infra insulam Capris, patrimonii neapolitani; prestat* etc.

(1) SUMMONTE, *O. c.* I, 394.

(2) FALCO, *O. c.* p. 35.

(3) DE STEFANO, *Descriz. dei luoghi sacri di Nap*, p. 28.

(4) SCHINOSI, *Stor. della Comp. di Gesù in Nap.* t. I, p. 192. Tunc inscriptio Helenae magni Constantini matri, quae in muro eiusdem ecclesiae prostabat, deperdita vel destructa fuit,

(5) BORGIA, *Brev. ist. del dom. temp.* Docum. p. 11. Cf. etiam MURATORI, *Ant. Ital.* V, col. 885.—Ibi etiam p. 12. *Idem* (scil. Gregorius II) *in eodem* legitur: *Theodoxio consuli monasterium sancti Pancratii situm extra castrum Mesenate et locum in an. XXVIIII;* quod fortasse etiam duci nostro tribuendum est, et *Theodoro* pro *Theodoxio* legendum. Error enim verisimiliter irrepere potuit, ex eo quod librarius in nota proxime antecedenti de quadam *Theodoxia hon. fem.* scripserat. Sed in re incerta nihil certi dicere audeo.

DE EXHILARATO PERPERAM IN DUCUM NEAPOLITANORUM SERIEM ADSCRIPTO

DISSERTATIO.

Cum Exhilarati nomen ex sola *Lib. Pontif.* auctoritate in ducum neapolitanorum seriem adscribatur, et res, quae de eo habentur, ad Italiae motus ob haeresim iconoclasticam, Leone Isaurico imperante, obortos, praecipue pertineant; necesse est illorum motuum narrationem, quoad proprie ducis Exhilarati facta et tempora respiciunt, ipsis eiusdem *Lib. Pontif.* verbis hic repetere. Ita enim, re accuratius perpensa, non recta nostrorum scriptorum sententia, quam levi ratione fulciatur, et quomodo ipsius *Lib. Pontif.* seu Anastasii menti omnino adversetur, demonstrari potest.

Edicto itaque contra sacras imagines ab imp. Leone Isaurico a. 726 promulgato, Italia pene omnis magna rerum conversione et animorum agitatione perturbata fuit. Erat tunc in b. Petri cathedra Pontifex Gregorius II, vir constantis animi et prudentis consilii. Is statim ac Leonis impia iussa recepit, eum decretali epistola monuit, ne quidquam de fide statuere, neque, quae antiqua veterum patrum decreta sanciverant, innovare aut convellere auderet (1). Imperator vero Pontificis monita nihili faciens novis persuasionibus ipsum urgere, minis etiam terrere frustra conatus est:

" Eo tempore, (circa a. 727), inquit Anastasius, castrum est Narniae a Langobardis pervasum, rex vero Langobardorum Liutprandus, generali motione facta, Ravennam progressus est, atque illam obsedit per dies aliquot, et castrum pervadens Classis (2) captivos abstulit plures et opes abstulit innumeras . . . . . Post aliquot dies Basilius Dux, Iordanes Chartularius, Ioannes Subdiaconus cognomento Lurion, consilium inierunt, ut Pontificem interficerent. Quibus assensum Marinus, imperialis Spatharius, qui Romanum ducatum tenebat, a regia missus urbe, imperatore mandante, hoc probavit; sed tempus invenire non potuerunt, quia Dei iudicio dissolutus (3) contractus est, et sic a Roma recessit.

Postmodum Paulus Patricius et Exarchus missus in Italiam est, qui denuo, ut hoc scelus ipsi (scil. Basilius, Iordanes, et Iohannes Lurion) perficerent, meditabatur (4). Quorum consilium Romanis patefactum est, qui moti cuncti, Iordanem interfecerunt, et Ioannem Lurionem; Basilius vero monachus factus, in loco quodam retrusus vitam finivit. Paulus vero Exarchus, imperatoris iussione,

(1) *Hist. Miscella*, p. 151.

(2) In editis legitur: *castrum pervadens Classes captas abstulit plures, et opes abstulit innumeras.* Codd. autem aliqui; ut Reg. *Maz.* et *Thuan.* (V. BLANCH. I, 168) et *Vallic.* (*Id.* t. IV, p. 17) habent: *castrum pervadens clusis, capto eo plures secum abstulit* etc. Ego vero ibi legendum potius esse censeo: *castrum pervadens Classis, captivos abstulit plures et opes tulit innumeras.* Ita PAUL. DIACON. VI. 49 summatim: *Liutprandus Ravennam obsedit, Classem invasit atque destruxit.* Cf. AGNELL. *Lib. Pontif.* Rav. eccl. in S. Ioh. ep.

(3) Hic quidam codd. particulam *et* satis importune adiiciunt.

(4) Ita aliqui Codd., et fortasse rectius. In editis habetur: *qui ut hoc scelus perficerent, meditabantur.*

eundem Pontificem conabatur interficere, eo quod censum in provincia ponere praepediebat, et cogitaret ipse Imperator suis opibus ecclesias denudare, sicut in ceteris actum est locis, atque alium Pontificem in eius ordinare locum.

Post hunc Spatharius cum iussionibus missus est alter, ut Pontifex a sua sede amoveretur. Denuo Paulus Patricius, ad perficiendum tale scelus, quos seducere potuit ex Ravennatibus cum suo comite atque ex castris aliquos misit. Sed motis romanis atque undique Langobardis pro defensione Pontificis, in Salario ponte Spoletini, aliique hinc inde duces Langobardorum, circumdantes Romanorum fines, hoc praepedierunt.

Iussionibus itaque postmodum missis, decreverat Imperator, ut nulla imago cuiuslibet sancti, aut martyris, aut angeli, ubicumque haberetur, sed omnes iusserat deponi et incendi: maledicta enim omnia asserebat. Et si acquiesceret in hoc Pontifex, gratiam Imperatoris haberet: si et hoc fieri praepediret, a suo gradu decideret. Despiciens ergo pius vir profanam Principis iussionem, iam contra Imperatorem, quasi contra hostem, se armavit, renuens haeresim eius, scribens ubique cavere se Christianos, eo quod orta fuisset impietas talis. Igitur permoti omnes Pentapolenses, atque Venetiarum exercitus, contra Imperatoris iussionem restiterunt, dicentes, nunquam se in eiusdem Pontificis condescendere nece, sed pro eius magis defensione, viriliter decertare. Ita ut anathemati Paulum Exarchum, vel qui eum direxerat, eiusque consentaneos submittunt, spernentes ordinationem eius, sibi omnes ubique in Italia duces elegerunt: atque sic de Pontificis, deque sua immunitate cuncti studebant. Cognita vero imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent imperatorem et Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem principis.

Ipsis interea diebus Exhilaratus, dux Neapolis, deceptus diabolica instigatione cum filio suo Adriano, Campaniae partes tenuit, seducens populum, ut obedirent imperatori, et occiderent Pontificem. Tunc Romani omnes eum sequuti comprehenderunt, et cum filio suo interfecerunt (1). Post hunc et Petrum ducem, dicentes turbati, quod contra Pontificem quoque scripsisset.

Igitur dissensione facta in partibus Ravennae, alii consentientes impietati Imperatoris: alii cum Pontifice et fidelibus se tenentes, inter eos contentione mota Paulum Patricium occiderunt, Langobardis vero Æmiliae castra. . . . . . Pentapolis quoque et Auximana civitas se tradiderunt.

Post aliquod vero tempus Eutychium, patricium eunuchum, qui dudum exarchus fuerat, Nea polim misit imperator, ut illud, quod exarchus Paulus, spatharii quoque, et caeteri malorum consiliatores facere nequiverunt, perficeret ille. Sed nec sic, innuente Deo, latuit miserabilis dolus, sed claruit cunctis pessimum consilium, quia Christi violare conabantur ecclesias, et perdere cunctos, atque diripere omnium bona. Quumque mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, in quibus continebatur, ut Pontifex occideretur cum optimatibus Romae, agnita crudelissima sententia, Romani protinus ipsius patricii missum occidere voluerunt, nisi defensio Pontificis nimia praepedisset. Verum eundem anathemizaverunt Eutychium Exarchum, sese magni cum parvis constringentes sacramento, nunquam Pontificem Christianae fidei zelotem et ecclesiarum defensorem, se permittere noceri, aut amoveri, sed mori pro illius salute essent omnes parati. Munera tunc hinc inde ducibus Langobardorum et regi pollicens plurima, ut ab iuvamine desisterent Pontificis, per suos legatos patricius ille

(1) In cod. Neap. et in plerisque aliis codd. legitur: *interfecerunt dicentes, quod contra Pontificem imperatori scripsisset. Post hoc et Petrum ducem orbaverunt.*— De ipso verisimiliter Petro *Lib. Pontif.* in Constantin. PP. loquitur.

suadebat; qui ex scriptis detestandam viri dolositatem despicientes, una se quasi fratres fidei catena constrinxerunt Romani atque Langobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam (1). „

Haec, quoad nos attinet, *Lib. Pontif.*, quem suis ipsimet verbis transcripsi. Ex eo nostrates omnes Exhilaratum (a. 721-727), et aliqui etiam Petrum post hunc, duces Neapolis faciunt; pseudo-Ubaldus insuper iis alia ex ingenio addit, praelium nempe a duce Exhilarato cum Romanis commissum, quod a mane usque ad tertiam duratum fuisse asserit, et multos eiusdem ducis et filii eius Adriani sequaces partim interfectos, partim captivos et alios in praelio eodem fugatos (2). Sed nedum haec, quae pseudo-Ubaldus tradit, falsa omnino ex se facile patent, verum etiam ducis Neapolis dignitatem, quae Exhilarato ex *Lib. Pontif.* tribuitur, abiiciendam prorsus esse pluribus rationibus demonstrari potest. Nam, praeterquamquod in ipso *Lib. Pontif.* nec sequacium ducis mentio nec pugnae indicium, ex eiusdem quidem auctoris, sive Anastasius sive alius quisque is fuerit, mente, et ex iisdem rerum ac temporum conditionibus satis constat neque Exhilaratum tunc Neapolis ducem fuisse, neque neapolitanos a. 727-728 partem imperatoris in illa generali Italiae conturbatione tenuisse. Et revera in pluribus codd., sane vetustioribus et melioris plerumque notae τὸ *Neapolis* post Exhilarati ducis nomen omnino deest. Ita enim in cod. Ambrosiano, olim monasterii S. Columbani Bobiensis, qui ad tempora Ludovici Pii ex Muratorii sententia tribuendus est (3), ita in cod. Lucensi antiquissimo (4), ita in cod. olim cavensi, nunc Vaticano (5), qui ex quodam satis vetusto apographo transcriptus fuit, ita etiam in duobus codd. Mediolanensibus saeculi XV (6), atque in cod. Vallicelliano (7), ut Muratorius, Blanchinius ac Vignolius testantur, ita denique in cod. Neapolitano (8), quem ipse vidi, legi potest (9). Neque aliter in *Conciliorum omnium tam*

(1) *Lib. Pontif.* ap. BLANCHIN. I, p. 168-171.

(2) PRATILLI, *Hist. princ. Lang.* Peregr. t. III, p. 30.

(3) MURATORI in praef. et notis ad *Lib. Pontif.* in R. I. S. III, p. 156.—Cod. membr. in 4.°, sign. M. 77 ab aliis solido saeculo recentior putatur. Sed cum textus eiusdem in Stephano II. PP. (752-756) desinat, non sine ratione conjici potest illum ab aliquo cod. antiquiore atque etiam pene coaevo verisimiliter fluxisse.

(4) Cod. bibl. Capit. Lucensis n.° 490, membr. in fol. Desinit. in Adriano I. PP. (a. 795) et, quoad nos attinet, eodem tempore scriptus fuit. De eo Vignolius *Lib. Pont.* t. III in *praef.* Ibi quasdam variantes *Lib. Pont.* lectiones, ex eo erutas, et, quam de Exhilarato supra indicavi, p. 353 videre est-. Textus vero huius cod., iudicio ab. L. Duchesne, viri diligentissimi, de quo infra innuam, omnibus illius libri, qui supersunt, codd. Mss. melior. immo optimus habendus est.

(5) Cod. nunc in Vaticana bibliotheca signatus n.° 3764, membr. in fol. min. ad saeculum XI pertinet. Fuit olim monasterii Cavensis, ut nota quaedam f. 7 v. testatur. Postea cardinalis Baronii postulatione a. 1593 Romam translatus fuit. De eo Vignolius in *praef.* t. I. Varietatem lectionis, quoad Exhilaratum attinet, vide sis t. II, p. 30.

(6) Cod. Ambr. primus, quem Muratorius designat nota B, signatus H, 111 est chart. in f. min. et saec. XV. Olim pertinuit Vincentio Pinellio neapolitano, a cuius heredibus a. 1609 sanctissimo card. Frederico Borromaeo venditus fuit.—Codex alter Ambrosianus, quem Muratorius nota C indicat, signatus 204. C. inf. est chart. in fol. saec. XV, et, ut praecedens, olim eiusdem Pinelli.

(7) Cod. Vallicellianus C. 79, membr. in 4 oblong. saec. XV, cuius variantes lectiones protulit Blanchinius. Quoad Exhilaratum vide sis t. IV, p. 182.

(8) Cod. Neapolitanus in bibl. *Nazionale* sign. VIII, C. 11, membr. in fol. min. saec. XV. Locus de Exhilarato extat fol. 69.

(9) Haec scripseram et iam huius folii plagulam corrigendam a typotheta susceperam, cum abatis L. Duchesne dissertationem, cui titulus: *Étude sur le* LIBER PONTIFICALIS (*Bibl. des Ecoles françaises d' Athenes et de Rome.* Paris 1877, in 8.°) diu quaesitam ad manus habui. Ex ea apertiorem codd. 110, *Lib. Pont.*, quos doctus vir accurate recenset, notitiam habui, et cuiusque etiam codicis fidem et auctoritatem aestimare potui. Cum autem ob temporis brevitatem aliorum etiam *Lib. Pontif.* codd. et praesertim illorum, quos auctor in classem A, et B disposuit, lectiones consulere non potuerim, sufficiat mihi adnotavisse codices supra memoratos ex ipsius Duchesnii sententia vel inter optimos collocandos esse, vel ab optimis deductos; Lucensem vero, uti supra innui, omnium, qui supersunt, antiquissimum. Ceterum, si quis plura cupit, ipsam dissertationem adeat, aut editionem *Lib. Pontif.* quam docti

generalium quam particularium editione principe, in qua etiam *Liber Pontificalis* primo typis in lucem prodiit, lectio ipsa habetur (1).

Praeterea ex ipso narrationis contextu discimus Romanos Exhilaratum, qui populum Campaniae adversus PP. seducebat, secutos fuisse et interfecisse. Exhilaratus igitur, ut eum romani persequi possent, e Roma cum filio Hadriano proficisci debuit; secus enim scriptor Romanos contra eum egressos non eum secutos fuisse dixisset. Quid autem Neapolis dux Romae ageret? quid ei eum Romanis? Quae eius in Campania romana auctoritas, ut illam regionem subornandam et ad partes imperatoris trahendam suscepisset? At contra si e Neapoli Exhilaratum cum suis venire putatur, quomodo ipse per Langobardorum, qui tunc PP. favebant, fines absque ullo obstaculo traiicere, et Campaniam tenere potuisset? Haec omnia, prout referuntur, parum verisimilia, et, nî mea me fallit opinio, parum rebus ipsis congruentia videntur. Neque aliter Iannonio et quibusdam aliis scriptoribus id visum (2); qui, cum ducis Neapolis in romano ducatu pene incredibilem interventum nullo pacto explicare possent Exhilaratum a Campanis ad neapolitanum ducatum pertinentibus, quos ipse seducere contra PP. moliebatur, cum filio Adriano occisum, et post eiusdem Exhilarati caedem Petrum et ipsum ab eis ducem subrogatum fuisse arbitrantur (3); opinio quidem minus recta, sed ex ipsa rerum, uti vulgo accipiuntur, necessitate iuste et legitime deducta. Quamobrem ego satis mirari non possum, cur aliqui scriptores nostri, Exhilarato admisso, Petrum, de quo post eum *Lib. Pontif.* loquitur, e Neapolitanorum ducum serie respuerint, et illum Neapolis, hunc Romae rectorem crediderint (4). Certe talis est et ipsorum gestorum, et rationis quomodo ea ab Anastasio narrantur inter utrumque connexio, ut unum ab altero, conditione vel fortuna, distinguere, et alterutrum dignitate, qua fungebatur, ab alio diversum credere prorsus absurdum videatur.

Neque solum haec, uti inter se minime cohaerentia, in scriptorum de Exhilarati narratione, sed etiam alia item maxime disiuncta atque contraria ego ibi notanda invenio. Nam vix ac ne vix quidem inter se conciliari possunt tum Exhilarati ducis Neapolis in Campania contra Pontificem expeditio, tum orthodoxa neapolitanorum fides, qua ipsi neapolitani ab ecclesiae romanae obedientia minime tunc defecisse dicuntur. Verum est, inquit Assemanius, quem ex omnibus auctorem profero, verum quidem est quod Exhilaratus Neapolitanorum dux una cum filio Adriano, eo quod iste ob sacrilegas cum Epiphania diaconissa nuptias a. Ch. 721 anathematizatus fuit, conspiratione cum Leonis Isaurici satellitibus facta, anno 726 arma in Romanos ipsi Gregorio faventes sumpsisset, attamen in urbe neapolitana eiusque ducatu ad orthodoxam fidem quod attinet nihil in tali ac tanta rerum perturbatione actum fuisse vel a ducibus, vel ab episcopis, vel ab ipsis civibus, non modo testatur Ioannes Diaconus sed etiam Stephanus Cpolitanae ecclesiae diaconus in vita S. Stephani iunioris, ubi ab haeresi iconoclastica Neapolim immunem fuisse tradit (5). At praeter-

viri in Germania parant inter M. G. H. vulgandam, et res publica litteraria avidissime praestolatur, expectet.

(1) Haec prima, nî fallor, *Conciliorum* collectio, ubi etiam *Vitae* et *Decretales* PP. continentur. a fr. Petro Crabbe, Machliniensi, ordinis Minorum, concinnata, et a Petro Quandell anno 1538 in duobus voluminibus in fol. excusa fuit. In textu *Vitarum* edendo collector, uti ipse initio voluminis primi asserit, libello in *monasterio famatissimo et antiquo Sigebergensi, ordinis divi Benedicti, non longe a Bonna civitate* adservato, et sibi commodato *felicissime* usus fuit. Locus, ubi de Exhilarato agitur, extat t. II, f. 93 v.—Tò *Neapolis*, quoad scio, in editione *Anastasii, De vitis roman. Pontif.* ex Ms. Velseri, Moguntiae 1602 in 4.° primum irrepsit.

(2) GIANNONE, *Ist. civ. del r. di Nap.* L. V, c. 3.

(3) CAPACCIO, *Hist. Neap.* t. I, p. 105; FALCONE, *O. c.* p. 482; TROYLI, *O. c.* III, p. 182.

(4) ASSEMANI, *O. c.* III, p. 39; DI MEO, *O. c.* ad a.

(5) ASSEMANI. *O. c.* III, p. 423; GRIMALDI, *Ann. del r. di Nap.* Epoca II, t. IV, p. 162.

quam quod doctus vir res et tempora mire confundit; alius enim Neapolis status a. 726-728, alius postea, iisdem Leone ac Constantino imperantibus, certe si verum est Exhilaratum tunc temporis Neapolis ducatum rexisse, verum contra esse non potest neapolitanos partes imperatoris non tenuisse. Nam quo pacto dux Leonis Isaurici mandatis obedire, et contra cives ei subiecti sine ulla contentione eisdem obsistere potuissent? Cur Exhilaratus romanos Campaniae seducere adversus PP. tentavisset, cum neapolitanos primum in suam sententiam adducere poterat et debuisset? Id persuadere mihi nulla ratione possum.

His praeterea accedunt alia ex aliis deducta argumenta. Nam, praeter Chronographi nostri testimonium, ex quo Theodorum eo tempore (a. 726-728) non Exhilaratum in Neapolitano ducatu praefuisse ostenditur, certe quidem contra communem nostrorum scriptorum opinionem optime faciunt, et indoles omnino latina nominis Exhilarati, quae in duce Neapolis nunquam reperiri potest; et locatio quorumdam fundorum in territorio Foroclaudiensi ab PP. Gregorio II. cuidam Exhilarato (verisimiliter is de quo agimus) facta, quae eius in terris ad romanum ducatum pertinentibus actionem facile explicat (1), et denique eiusdem certe Exhilarati in synodo romana a. 721 non dubia mentio, ubi Adrianus filius eius ob id quod *post praestitum sacramentum in apostolica confessione Epiphaniam diaconam illicito ausu in uxorem duxerat* (2), anathematizatur, et nullum de patris dignitate, certe non omittenda, indicium datur. Haec omnia nullo quidem pacto ei qui dux Neapolis dicitur, convenire procul dubio possunt.

Ex his omnibus igitur satis, nî fallor, liquet Exhilaratum, si unquam ducis titulo insignitus fuit, neapolitanum ducatum non tenuisse, sed ut et Petrus ac Basilius, de quo supra, unum ex iis minoribus ducibus fuisse, qui tunc temporis, et per sequentia etiam saecula, Romae inveniuntur (3). Deceptus diabolica instigatione Campaniae partes, ubi possessiones et auctoritatem quamdam habere poterat, occupavit, et populum contra PP. seducere tentavit; unde Romani, re cognita, eum insecuti cum filio Adriano interfecerunt. Petrus denique, eo quod contra PP. scripsisset, simili modo ab eisdem Romanis mulctatus, seu occisus seu oculis orbatus fuit. Ita, si e textu *Lib. Pontif.* interpolationem, quae sequiores scriptores transversum egit, expungeris, omnia ibi recta et plana procedere videbis, et nihil in rebus tunc gestis, quod obscurum aut absurdum videatur, te offendet.

FINIS.

(1) *Reg. Greg. II* in *Coll. card. Deusdedit* ap. BORGIA, *O. c*, p. 9 in *Monum.*

(2) MANSI, *Coll. Concil.* XII, 261.

(3) Inter alios memoro Crescentem et Adrianum a. 787 ex ep. 86 *Cod. Carol.*; Constantinum et Paulum a. 789 ex ep. 83 eiusdem etc. CENNI, *Monum. Dom. Pontif.* t. I, p. 496 et 502. Cf. etiam MURATORI, *Antiq. Ital.* t. I, c. 161; BLANCHINI, *O. c.* IV, p. 166; HEGEL. *O. c.* p. 159.

Et quinto ipsius anno VI indict. Gisolphus Romualdi filius an. 1, et Audelais anni 2.

Series ducum beneventanorum peculiari hominum et rerum confusione ac obscuritate his temporibus vel maxime laborat. Eorum enim a Romualdo duce ad Liutprandum eius ex filio nepotem successiones, tum populorum seditionibus, tum ducum ex Liutprandi Langobardorum regis opera mutationibus, tum etiam scriptorum ipsorum, qui res in eodem ducatu gestas referunt, discrepantia, valde incertae, et aetate praesertim, qua quisque dux in Beneventi solio evectus fuerit, et ducatum rexerit, dubiae habentur. Ego igitur, multis, quae in re fieri possunt, disputationibus omissis, ea tantum, quae probabiliora mihi visa sunt, paucis expediam.

Et primum de Gisulpho, haec absque ulla, uti solet, temporum nota a Paulo Diacono relata hic repetam: *Mortuo*, ille inquit, *Romualdo iuniore, Beneventanorum duce, qui viginti et sex ducatum tenuerat annis, Gisulphus eius filius adhuc parvulus remansit. Contra quem aliqui insurgentes eum moliti sunt extinguere. Sed Beneventanorum populus, qui suis ductoribus semper fidelis extitit, eos peremerunt, sui ducis vitam servantes. Qui Gisulphus cum propter aetatem puerilem idoneus ad tantum populum regendum non esset, Liutprandus rex Beneventum tunc veniens, eum exinde abstulit, et apud Beneventum suum nepotem Gregorium ducem ordinavit, cui in matrimonio uxor sociata Giselberga nomine fuit. Ita rex Liutprandus rebus compositis ad suum solium remeavit; Gisulphumque suum nepotem paterna pietate erudiens, ei Conibergam* (1) *nobili ortam progenie in matrimonium iunxit.* PAUL. DIAC. VI, 55. Ita etiam perquam breviter *Catal. Benev. S. Soph.* ubi: *Gisulphus puerulus filius istius Romualdi, dux factus, deportatus est Papiam a Liutprando rege.*

Alia monumenta vel, ut *Ann. Cav.* et *Catal. Vatic. Anon. Salern.*, post Romualdum Audelaum aut Audelachum; vel, ut Chronographus noster, Audelaum una cum Gisulpho ducem Beneventi ponunt, vel, ut PAUL. DIAC. *Catal. Benev. Cav.* et *Catal. Salern.*, Gisulpho tantum adnotato, hunc omnino omittunt.

Romualdi obitus et Gisulphi eius filii in ducatu successio, ut recte opinatus est Di Meo, inter octobrem, et decembrem anni 731 verisimiliter accidisse videtur. In *summis* enim *Catal. Benev. S. Sophiae* legitur: *A b. Benedicto usque ad Gisulphum iuniorem sunt anni 205;* qui ad a. 731 perducunt. Nec *Ann. Cav.* discrepant: qui anno civili graecorum utentes signant: A. 732, XV. *Audelachus.*—Male vero Chronographus noster id ad a. 723 collocat.

Audelaus, qui fortasse *vicedominus* et *referendarius* ducis Romualdi fuit (2), verisimiliter paulo post, quam Gisulphus patri successerat, eius imperium detrectans, Beneventanum ducatum occupavit. Postea a Liutprando e solio eiectus, paulisper in aliquo castro, antequam occideretur, resistere debuit. Inde enim annos duos ducatus Chronographus noster, et *Catal. Benev. S. Soph.* et *Catal. Vatic. Anon. Salern.* ei tribuunt.

Et sexto eiusdem anno septima indict. Gregorius, dux Benev. a. 7.

Male Chronographus noster sexto a. Constantini Copronymi VII. ind. scil. inter m. martium et aug. a. 724 Gregorium collocat. Is, pulso Audelao, ut PAUL. DIAC. VI, 55, testem proferens supra dixi, dux Beneventi a Liutprando rege ordinatus est circa a. 732 vel 733. Ducatum rexit a. 7, ut cum Chron. nostro PAUL. DIAC. VI, 56; *Catal. Benev. S. Soph.; Catal. Benev. Cav.; Catal. Vatic. Anon. Salern.;* et *Catal. Salern.* uno ore affirmant (3).

(1) In documentis vocatur Scauniperga. V. infra.

(2) Praeceptum Romualdi ducis, quo quaedam conceduntur Zachariae abati, et ecclesiae S. Sophiae ab eo fundatae. *dictavit Audelahis vicedominus et referendarius, Beneventi in palatio mense nov.* (al. dec.) *per ind. X.* (a. 711 vel 726). *Regest. Benev. S. Soph.* II, 2, ap. UGHELLI, *O. c.* VIII, p. 608; TROYA, *Cod. dipl. Long.* n. 388.

(3) Diploma, quo m. aug. per ind. XV. (a. 732) Gregorius, *vir gloriosiss. princeps, ac comes et eximius dom. gentis catholicorum seu christianorum*, concedit Petro bona quae amiserat, eo quod absque licentia in civ. Neap. aufugerat. (*Regest. Ben. S. Soph.* in UGHELLI, VIII, 731.—TROYA, n. 490), recte falsitatis arguitur ab ASSEMANIO, II, 572, not. *a.* Idem etiam sentiunt PABST, *Forschung. zur Deutsc. Gesch.* II, 478, et HIRSCH., *Der. Herz. Ben.* p. 37, not. 3.—Miror DI MEO, qui ad a. 732 diploma affert, nil contra eius sinceritatem habere.

Et XII ipsius (Constantini) anno XIII indict. Georgius dux Neapolis a. 10.

Annus decimus secundus Constantini et ind. XIII. initium ducatus Georgii inter m. martium et áugustum continent. Anni vero decem, quibus ipse neapolitanam provinciam rexit, in m. aug. a 739 verisimiliter finem faciunt.

Huius ducis, si vera est Pratillii, quam ex Mss. Caroli Borrellii eruere ipse asserit, lectio, mentionem facit charta a. 763, olim a Chioccarellio summatim edita, ubi nominantur *bona q. bone memorie Theodonande eminentissime femine, relicte q. Georgii ducis.* Chioccarellius legerat: *Sergii ducis.* Sed de hac charta, quam infra breviatam dabo, mox redibit sermo.

Item XIII ipsius (Constantini) anno XIIII indict. Godeschalchus dux Beneventi annis 3.

Chronographus noster adhuc in eodem, quo antea, errore versatur. Nam non modo ex antecedentium et sequentium ducum aetatibus, sed etiam ex diplomate eiusdem Godescalchi mense martio indict. VIII. (a. 740) dato, et ex *placito* mense februario ind. X. (a. 742) habito eum anno 739 vel 740 ineunte ducatum suscepisse eruitur (1).

Post Gregorii *obitum*, inquit Paulus, *Godescalchus dux effectus annis tribus Beneventanis praefuit, cui in coniugio uxor sociata, nomine Anna, fuit. . . . Rex ergo Liutprandus talia de. . . . Benevento audiens, rursum cum exercitu Spoletum et Beneventum petiit . . . . Cum vero Beneventum properaret, Godescalchus, audito eius adventu, navem conscendere atque in Graeciam fugere molitus est. Qui postquam uxorem et cunctam supellectilem suam in navim imposuisset, et novissime ille ascendere vellet, irruentibus Beneventanis Gisulphi fidelibus, extinctus est. Uxor sane illius, cum omnibus, quae habebat, Constantinopolim perlata est.* PAUL. DIACON. VI, 56— De hoc duce, et eius coniuge notitia etiam habetur ex charta anni 766 in *Chron. Vulturn.* ap. R. I. S. I, 2, col. 394.

Godeschalcus ducatum rexit a. 3, ut PAUL. DIAC. l. c. *Catal. Benev. Casin.*; *Catal. Benev. Cav.*; et *Catal. Salern.* adnotant.—*Catal. Benev. S. Soph.* a. 4 forte non expletos ei tribuit.

Et XVI ipsius (Constantini) an. II. indict. Gisolphus iterum Romualdi filius, dux Beneventi an. 17.

Chronographus noster eodem errore deceptus Gisulphum in ducatu Beneventano a Liutprando rege restitutum fuisse a. 734 asserit; sed ex rerum italicarum statu, et ex Transmundi, ducis Spoletani, vicissitudinibus, quas *Lib. Pontif.* et PAUL. DIACON. nobis patefaciunt; nec non ex diplomatibus Godescalchi et Gisulphi, altero (2) m. februario ind. X (a. 742), altero (3) m. sept. vel nov. ind. XI (eodem a. 742), datis, id verisimilius accidisse videtur, tunc cum secunda regis Liutprandi adversus Spoletum et Beneventum expeditio suscepta fuit. At haec expeditio post mortem Gregorii III. PP. (29 nov. 741) et sub initio Pontificatus Zachariae (3 dec. 741) ind. X, ut ex *Lib. Pontif.* discimus, accidit. Anno igitur 742 post m. februarium, et ante m. novembris *rex Liutprandus Beneventum perveniens, Gisulphum suum nepotem iterum in loco proprio ducem constituit. Rebusque ita compositis ad suum palatium remeavit.* PAUL. DIACON. VI, 57.

Diploma etiam Gisulphi supra memoratum de ea re expresse mentionem facit. *Dum,* ibi dicitur, *divina omnipotentis d. Dei nostri gratia desuper inspirante misericordia nostri piissimi reges* (Liutprandus scil. et Hildebrandus eius collega) *nos in nostro solio revocare dignati sunt firmamus . . . . nos dominus vir gloriosissimus Gisulphus summus dux gentis Langobardorum ea quae in primordio ducati nostri per nostrum praeceptum vobis Zachariae reverendissimo abati firmamus* etc.

Chronographi nostri multum in annis ducatus Gisulphi II. supputandis inter se discrepant. Alii enim, ut *Catal. Vatic. Anon. Salern.* annos 14; alii, ut Chron. nostrum, et *Chron. de monast. SS. Bened.* annos 17, vel, ut *Catal. Benev. S. Soph.* annos

(1) *Regest. Benev. S. Soph.* P. III, n. 9, et 31 ap. UGHELLI, VIII. 619, et 640—TROYA, *O. c.* nn. 529 et 548.

(2) Doc. ex *Regest. cit.* P. III, n. 31, supra laudatum.

(3) *Regest. Benev. S. Soph.* P. III, n. 22 in UGHELLI, *O. c.* VIII, 589.— Cf. ASSEMANI, *O. c.* II, 572, 580.— Diploma vero eiusdem anni 742 m. sept. de S. Ægidio, quod in Addit. dicti *Regesti* ap. UGHELLI. VIII, 755 habetur aut omnino spurium aut interpolatum iudicat idem ASSEMANI, p. 583.

17 et dies 10; alii denique, ut *Catal. Salern.* annos 7 ei tribuunt. Id vero, ne omnes erroris arguam, ea potissimum de causa factum suspicor, quia in ipsis annis summandis diversa ab unoquoque ratio habita fuerit. Nam, qui annos 14 supputant, hi in Gisulphi ducatu etiam annos 3 Godescalchi, et 2 Audelachis forte comprehendunt; qui a. 17 et d. 10, hi et 3 Godescalchi, et 7 Gregorii cum annis Gisulphi colligunt; qui denique annos 7 tantum adnotant hi solam Gisulphi in ducatum restituti epocham respiciunt; et hanc, non quidem recte, annis primo et extremo, qui forte cavi fuerunt, imminuunt. Ceterum, utcumque sit, certum mihi ex diplomate februarii a. 751 (1) videtur Gisulphum usque ad ea tempora vitam duxisse.

Iterum in ipsius (Constantini) XXII anno VIII indict. Gregorius dux Neapolim anni 15 dies 15.

Ex notis chronologicis supra notatis liquet Gregorium ducem inter m. februarium et m. augustum anni 740 collocandum esse. Cum autem ducatum rexerit an. 15 et d. 15, eius regimen anno 755 finem habere debuit.

De hoc duce quaedam alia discimus ex supra notata charta a. 763. Ibi memorantur bona q. d. *Gregorii eminentissimi consulis*, *imperialis spatharii et ducis.* Titulus vero *imperialis spatharii*, quo ipsum inter nostros duces primitus ornatum videmus, nobis, nî fallor, patefacit Neapolim, tunc duci, qui Byzantinis imperatoribus favebat, paruisse. Quae coniectura, si vera est, ad haec tempora ablegat Sergii, neapolitani episcopi (a. 717-745), a romano Pontifice ad Cpolitanum Patriarcham defectionem, de qua IOH. DIACON. n. 37 meminit, et ego infra dicam.

Et XXXIII eiusdem (Constantini) anno IV indict. Liutprand, dux Beneventi an. 8, m. 2.

Annus 33 Constantini Copronymi et quarta ind. annum 751 inter mm. martium et augustum denotant. Tunc ergo Liutprandus ex nostri Chronographi ratione dux effectus fuit (2). ASSEMANIUS, II, 591 propemodum, Di Meo autem *ad a.* omnino, in hanc sententiam veniunt.

Ipse successit patri adhuc in minori aetate constitutus, nam quaedam diplomata a matre Scauniperga (3), et ab eo insimul data extant (4).

Ducatum rexit annis 8 et m. 2 vel 3, ut Chronicon nostrum, *Catal. Benev. S. Soph.* et *Catal. Vatic. Anon. Salern.* sed ipsi fortasse usque ad diem, in quo iam e Benevento *fuga lapsus Ydruuti* post annum (5) obiit, supputandi sunt. Contra ex falso forsan calculo *Chron. de mon. S. Bened.* et *Catal. Salern.* annos 6 ei tribuunt.

Verisimiliter anno 758 ineunte, Desiderius rex, sub initio regni sui, cum Spoletini et Beneventani defecissent, *hyemis tempore cum suo exercitu pergens eos per pugnam* devicit. (*Chron. anon. Salern.* c. 19.) *Appropiuquante* autem eo *Beneventum*, scribit Paulus I. PP., *illico dux Beneventanus Liutprandus fugam arripuit in Otrantinam civitatem, et dum diu immineret, ut ex ipsa civitate exire eumdem ducem suaderet, et nequaquam in eo suam adimpleret voluntatem, constituit ducem alium in Beneventano ducatu, nomine Aregis.* (2).

Et XXXVII ipsius (Constantini) an. VIII indict. Stephanus dux Neapolim ann. 12.

Hae notae chronologicae annum 755 inter martium et augustum indicant. Ex hoc temporis ter-

(1) *Regest. Benev. S. Soph.* III, 5, in UGHELLI, VIII, 627; TROYA, 643.

(2) *Catall. Benevv. Casin. et Cav.* hunc ducem omittunt — *Catal. Salern.* eum vocat *Limpradium.*

(3) Male ASSEMANI, II, 391, Scaunipergam non matrem, sed uxorem Liutprandi ducis putavit. Error aperte coarguitur ex *Catal. Benev. S. Soph.*, ex diplomate in *Chron. Vult.* ap. MURATORI, I, 2, 274 relato, et ex *placito* Arichis principis a. 762 in *Regest. Benev. S. Soph.*, III 15, ap. UGHELLI, VIII, 617.

(4) *Regest. Benev. S. Soph.* III, 25, et I, 25, in UGHELLI, VIII, 637, et 590. TROYA, *Cod. dipl. Long.* n. 669, et 703. Quaedam alia diplomata indictionem erratam habent, et idcirco ad nullum certum annum adsignari possunt.

(5) Id ex ep. Pauli I. PP. Pipino regi Francorum missa (V. *not.* sequ.), ubi Desiderium regem *diu* Ydruntinae urbi *imminentem* nunciat, et ex quorumdam veterum scriptorum testimonio, qui Arechim ducem anno uno postponunt (V. infra in *Arechi*) facile coniici potest.

(6) *Cod. Carol.* ep. 15 in R. I. S. III, 2, c. 122. Cf. CENNI, *Mon. Dom. Pontif.* I, 152.—Ad annum 758 ineuntem haec pertinuisse putant et PEREGRINIUS in PRATILL. V, 50; et ASSEMANI, III, 432; et DI MEO denique ad a.

mino igitur Stephanus usque ad annum 767, postquam Neapolis episcopus electus fuerat, per annos 12 neapolitanum ducatum rexit. De eo autem, et de eiusdem factis, quae ad rem neapolitanorum publicam spectant, et usque dum ipse maximam in ducatu auctoritatem habuit, ab a. 755 ad a. 800 evenere, infra in *Excursu historico* dicam; quae vero ad ecclesiasticam rem pertinent itidem infra in notis ad Ioh Diaconi *Chronicon* exponam.

Item in XLI illius (Constantini) anno XII indict. Arichis dux Beneventi an. 29 menses sex.

Chronographus noster et *Chron. monast. S. Soph.* in a. 759 ind. XII. Arechim ducem ponunt. Nec aliam rationem habuere *Acta translationis ss. XII fratrum*, ubi in die 15 maii ind. XIII. scil. a. 760 annus secundus ipsius adnotatur (1). Verisimile igitur mihi videtur Arechim, uti supra innui, a Desiderio rege beneventanorum ducem circa m. martium a. 758 constitutum fuisse, sed vel circa m. martium a. 759 post mortem Liutprandi ab omnibus *acclamatum* revera integrum ducatum pacifice obtinuisse (2), vel potius chronographos istos a septembri, idest ab initio anni graecanici, epocham Arechis supputare voluisse. Ceterum, utcumque sit, diplomata, quae ad eum pertinent certam rationem annorum eiusdem a m. martio a. 758 ducunt (3).

Arechis *stirpe ducum regumque satus*, ut Paulus Diaconus in eius epitaphio dicit, uxorem habuit Adelbergam, regis Desiderii filiam (4), ex qua Romualdum, qui die 21 iulii a. 787 mortem obiit (5), Grimoaldum, qui ei in ducatu beneventano successit, et duas filias (6), genuit. Summis laudibus ab eodem PAUL. DIAC., ab ERCHEMPERTO c. 2-3, et a Chronographo Salernitano c. 17-19 cumulatur, ut et a quibusdam aliis contemporaneis, quos omitto. Ipse primus (circa a. 774) Beneventi principem se appellari iussit, cum *usque ad istum*, qui Benevento praefuerant, duces appellarentur. (LEO OST. *Chron.* I, 9 ex ERCHEMP.)

Praeterea in *LL. Langob.* volumine *capitulare* addidit, quod ex *Cod. Cav.* Peregrinius primo typis vulgavit (V. PRATILLI, t. III, p. 184) et post eum, alii complures, inter quos praecipue laudandi sunt *Vesme*, qui in *Mon. Hist. Patr.* t. X; BLHUME, qui in M. G. H. *Leges*, t. IV, et p. d. Bernardus Caetani, O. S. B., qui in *Cod. dipl. Cav.* t. III, illud iterum edidere. Pactum denique cum Neapolitanorum duce de Leburiae terris et hominibus constituit, quod cum supra memorato capitulari editum fuit, et infra dabitur.

Arechis sedit a. 29 (expletis) ut in *Catal. Benev. Cav.*—vel a. 30 (non expletis) ut PAUL. DIACON. in epitaph. *Catal. Benev. S. Soph.* et *Catal. Salern.*; sed accuratiori calculo a. 29 et m. 6, ut Chronographus noster, et *Chron. anon. Salern.* c. 15 recte adnotant.

Obiit die 26 aug. 787 ind. X, si notis epitaphio eiusdem appositis, quae ceteroquin recentiores videntur (7), fides habenda est, et sepultus (8) fuit Salerni *iuxta ecclesiam Dei genitricis sedis ipsius.* (*Chron. Anon. Salern.* c. 17.)

(1) AA. SS. *Bolland.* ad diem 1 sept.

(2) *Chron. Anon. Salern.* c. 19.

(3) Cf. praesertim chartam in instrum. a. 1020 insertam ap. GATTOLA, *Hist. Cass.* I, 34, et aliam ex *Regest. Benev. S. Soph.* I, 20 in UGHELLI, VIII, 588, quae data dicitur *temporibus d. viri gloriosissimi Arichis summi ducis gentis Langobardorum, a. 24 gloriosissimi ducatus, qui m. martio ind. IV* (a. 781) *firmatus* (fuit?)

(4) *Chron. Anon. Salern.* c. 9.

(5) Epitaphium, cuius auctor fuit David Beneventi episcopus, habes in *Chron. Anon. Salern.* et in PEREGR. PRATILLI, III, p. 303.

(6) In notatione ad epitaphium Arechis apposita additur etiam alius filius nomine *Egisifus* vel *Gisifus* (Gisulphus?) sed de eo nihil alibi.

(7) Id etiam ex parte opinari videtur DI MEO, III, p. 155. Verisimiliter ipsa notatio eidem *Anon. Salernit.* qui epitaphium nobis servavit, tribuenda est.

(8) De Arechis imagine in opere anaglypho supra portam S. Sophiae Beneventi insculpta, quae illius temporis esse videtur, et in codd. membr. *Actorum S. Mercurii*, ab eo scriptorum, ac *Regesti Benev. S. Sophiae* ap. Vatic. Bibl. n. 4939, qui aliquanto posteriores sunt, depicta, videre est BORGIA, *Mem. stor. di Benev.* I, 263, et III, 388.

Et eiusdem (Constantini) quadragesimonono anno V ind. Gregorius dux Neapolim a. 27, m. 6.

De hoc duce, qui a. 767 ex nostri Chronographi sententia, Neapolim regere orsus est, et usque ad a. 794 in ducatu sedit, infra in *Excursu historico,* cum de Stephano duce et episcopo agere oportebit, etiam dicam.

776. ind. XIV. Leo et Constantinus a. 22·

Mirum est quantum nostrates in horum imperatorum epochis statuendis inter se discrepent, et a vero aberrent. Nam in *Chron. Cav.* A. 774, XII. *Leo qui et Gabaris.* A. 778, II. *Constantinus* et A. 789, XII. *Constantinus cum Irine matre sua* — in *Chron. monast. S. Soph.* A. 741, IX. *Leo, qui et Zaccaris.* A. 742, X. *Conztantinus filius eius cum Hirine matre sua* — et denique in *Chron. Fossaen.* A. 743, XI. *Constantinus cum Helena* (Hirene) *matre.* A. 756, IV. *Constantinus imp. excaecatus,* adnotatur. Revera ex Byz. Script.

Leo

A. m. $\frac{6268}{6284}$ = Chr. 767-768 = Æ. v. 775-776 ind. XIV (ut Chronographus noster asserit) die 14 septembris mortuo patre solus imperium obtinet. THEOPH. p. 300; ANAST. p. 82; *Hist. Misc.* p. 164—Ipsum Copronymus ex Chazara coniuge die 25 ianuarii III. ind. anno imperii nono (ae. v. 750) filium susceperat, et die pentecostes (6 iun). sequentis quartae indict. coronaverat et in collegam asciverat. THEOPH. p. 284; ANAST. p. 81; *Hist. Misc.* p. 157; ZONAR. XV, 6.

Eodem anno (776) die paschatis (14 aprilis) ind. XIV.

Constantinus

Leonis ex Irene filius, qui die 14 ian. ind. IX. a. trigesimo imp. Constantini Copronymi natus fuerat, item a patre imperator renuntiatur et sollemniter in Circo coronatur. THEOPH. p. 301, et 302; *Hist. Misc.* p. 162, et 164.

Leo imperat

a. 5 diebus sex exceptis. THEOPH. p. 304 (1); ANAST. p. 83; *Hist. Misc.* (2) p. 165 — vel a. 5 (omissis diebus) NICEPH. *Chron. Brev.* p. 321; HAMART. 234, 1; CEDREN. p. 370; GLYCAS, p. 220; IOEL. p. 130; MANASS. p. 74 (post a. quintum); ZONAR. XV, 9 (a. imp. V); *Catal. Byz.* IV et V; ac ex nostratibus *Catal. Casin. Impp. Romm.*; et ROM. SALERN.

Chronographus noster annos eius et Constantini filii una supputat.

Leo moritur

die 8 septembris ind. IV (780). THEOPH. et alii ll. cc.

Defuncto Leone,

Constantinus et Hirene

A. m. $\frac{6273}{6289}$ = Chr. 773-774 = Æ. v. 780-781 die 8 septembris IV ind. imperium ineunt. THEOPH. p. 304; ANAST. p. 83; *Hist, Misc.* p. 165.

Verum anno imperii decimo ind. XIII Irene, cum Constantinum filium, maternae tutelae pertaesum, contra se coniurantem accepisset, ipsum eiusque asseclas verberibus affici, nomen suum principe loco poni, ac exercitum, ne unquam eumdem Constantinum sibi in imperio praeferret, sacramento obstringi iubet. Id thema Armeniacorum ineunte ind. XIV facere recusat, et aliorum etiam thematum turmae postea aemulantur; unde legiones cunctae apud Atroam congregatae Constantinum solum imperatorem agnosci postulant. Ita

Constantinus

A. m. $\frac{6283}{6299}$ = Chr. 783-784 = Æ. v. 790-791 ind. XIV, mense octobri, vel potius die 9 novembris imperium solus obtinet, matre Irene in palatio ad Eleutherium seclusa. THEOPH. p. 312-313; ANAST. p. 85; *Hist. Misc.* p. 168.

(1) In editis male pro παρὰ ἓξ ἡμέρας, ut recte codd. Barberinus et Vaticanus, παρὰ ἓξ μῆνας legitur. V. *Notae in Theoph.* p. 79.

(2) In edit. Murat. deest τὸ *exceptis.*

Postea idem Constantinus anno secundo imperii solius, scilicet die 15 ian. ind. XV. (a. 792) Irenem iterum imperatricem salutari iubet, et populus *multos annos Constantino et Hirene* dicit. THEOPH. l. c. etc.

Constantinus imperat

cum matre Irene a. 10, m. 2, d. 2. NICEPH. *Chron. brev.* p. 321.
— solus a. 6, m. 9, die. 8. NICEPH. *ibid.*
— in totum a. 17, IOEL. p. 139; GLYCAS, p. 24. MANASS. p. 77.

Constantinus moritur

septimo anno imperii solius ind. V (a. 797), postquam ex iussu matris die 18 vel potius 19 aug. in quem Sabbatum incidit (1), captus et excaecatus fuerat. THEOPH. p. 314, et 317; ANASTAS. p. 87; *Hist. Misc.* p. 170.

Huius (Constantini) tertiodecimo anno XI indict. Grimoald Arichis filius primus princeps (2) Beneventi an. 18, mens. 10.

Hae notae chronologicae annum 787-788 designant. Et quidem defuncto Arichi (a. 787) „. Beneventanorum magnates legatos ad Karolum destinarunt multis eum flagitantes precibus, ut Grimoald, quem a genitore obsidem iam pridem susceperat, sibi praeesse concedere dignaretur. Quorum petitionibus rex annuens illic continuo praedictum contulit virum, simulque ius regendi principatum quibusdam pactis (3) largitus est. Accepta denique licentia repedandi, a Beneventi civibus magno cum gaudio exceptus est. „ ERCHEMP. c. 4. Verisimiliter Grimoaldus post m. februar. et forte m. martio vel aprili a. 788 Beneventi princeps coronatus fuit, ut ex chartis celebratis m. martio an. XIV per ind. X, et m. maio a. XV per eamdem ind. X, scil. a. Ae. v. 802 (4) coniici, licet. Male *Chron. Cav.* habet. A. 790, XIII. *Grimoaldus filius eius* (i. e. Arigisi).

Grimoaldus Wantiam neptem Augusti Argivorum in coniugem sumpsit, quam nullo filio suscepto repudiavit. ERCHEMP. l. c. Ex alia vero muliere, cuius nomen ignoratur, filium habuit, nomine Godefrid, qui ei praemortuus Beneventi in ecclesia S. Sophiae tumulatus extitit. V. *Epitaph.* ipsius, quod mutilum superest, et habetur in PEREGR. PRATILLII, t. III, p. 308.

Principatum rexit a. 18, et m. 10 ex Chronographi nostri sententia, vel a. 18 (expletis) ut *Catal. Benev. anon. Salern.* — vel an. 19, (an. 18?) et m. 6, ut *Chron. Anon. Salern.* c. 27. et *Catal. Benev. S. Soph.*—vel a. 20 (anno primo et extremo pro integris supputatis), ut *Chron. de mon. SS. Bened.* et *Catal. Benev. Cav.* adnotant. Discrepantiam fecit varia ad initium principatus Grimoaldi firmandum ipsorum Chronographorum ratio. Noster ex martio a. 788 annos 18, m. 10, supputans, obitum Grimoaldi in m. novembri, vel decembri ineunte, a. 806 (5) non inepte ponit. *Chron. Cav.* ei adstipulari videtur (V. infra). Male omnino *Chron. mon. S. Soph.* habet: 806, XIII. *Obiit Grimoaldus princeps successor d. Arichis.* Epitaphium eiusdem habes in *Chr. Anon. Salern.* c. 26 et ap. PEREGRINIUM PRATIL. t. III, p. 307.

(1) Ita ego concilianda puto dicta Theophanis, qui p. 314. Nicephorum excaesarem a Constantino eius nepote cum aliis excaecatum tradit m. aug. sabbati die, ind. XV (a. 792), eiusdem mensis et hebdomadae die scilicet, quc ipse Constantinus post quinquennium a matre oculis orbatus fuit; cum postea p. 317, sive ex memoriae lapsu sive ex librarii oscitantia, hoc factum asserit sabbati die 15 mensis eiusdem, qui, si ad mensem superius nominatum referri deberet, iunius esset; quod omnino absurdum demonstrari potest. Certe ex supputatione annorum imperii Constantini solius a Nicephoro prolata dies 18, vel potius, minima unius diei differentia posthabita, 19, quae in sabatum incidit, habetur. Male *Hist. Misc.* p. 170 diem 17 iulii indicat.

(2) Forte Chronographus noster Arechim idcirco primum Beneventi principem non tenuit, quia, cum in regimine successit, dux tantum habebatur.

(3) Praesertim ut chartas nummosque nominis eiusdem Caroli characteribus superscribi semper iuberet; quod Grimoaldus in initio sui regiminis praestitit. Diplomata et numismata huiusmodi aliqua adhuc nobis supersunt.

(4) V. GATTULA, *Hist. Casin.* I, p. 34.

(5) P. Di Meo, qui Grimoaldum die 2 mensis februarii huius anni obiisse contendit, nullam aliam rationem vel auctoritatem adhibuit, nisi falsum *Chronici Cavensis* Pratilliani testimonium.

DE STEPHANO DUCE ET EPISCOPO, DE CAESARIO EIUS FILIO CONSULE ET DE REBUS NEAPOLITANIS AB A. 755 AD A. 800

EXCURSUS HISTORICUS.

In neapolitani ducatus historia nihil unquam obscurius, nihil disputationibus ac dubiis magis obnoxium, quam quod ad Stephani ducis et episcopi principatum ac successionem attinet, mihi hactenus obvenit. Nam, praetermissis aliis, quae proprie in discrimen non veniunt monumentis, Chronicon hoc nostrum et Caesarii consulis epithaphium ita inter se de ipsius Stephani et Caesarii, eius filii, rebus, et praesertim de huius in ducatu consortio adversantur, ut aut unum aut alterum ex eis omnino respuere, vel saltem in dubium revocare oporteat. Et quamvis in amborum monumentorum interpretatione ego plurimum haeserim, et ad ea, que inde eliciuntur, apte componenda non parum insudaverim, tamen neque difficilem nodum omnino expedivisse, neque coniecturam ex omni parte probabilem proposuisse mihi arrogo. Rem praeterea scriptorum et monumentorum defectu ac discrepantia satis dubiam atque abstrusam, magis dubiam ac abstrusiorem reddiderunt pseudo-Ubaldi figmenta, et doctissimi p. Di Meo, qui in eius verba iurare consuevit, ingens in historia neapolitana medii aevi auctoritas. Nihilominus argumentum tot tantisque difficultatibus plenum diligentia, qua potero, maiori aggrediar, et, ut in disquisitione ordinate procedam, primum ducum neapolitanorum a Stephano ad Theophylactum successionem et res, quae per eorum tempora Neapoli gestas evenerunt, tum ex Chronico nostro, tum ex Iohanne Diacono ac aliis illius aevi monumentis exponam; dubitationes dein, quae sive ex Caesarii consulis epitaphio sive aliunde contra afferri possent, persequar; coniecturam meam denique, qua inter se monumenta ipsa aliquo modo concordare conatus sum, edisseram. De disputationis vero conclusione apud doctos viros iudicium sit, ut, si qua habent meliora, libenter impertiant, si non, ut Horatii scrinia expilem, his mecum utantur.

Stephanus itaque ex Chronographi nostri testimonio a. 755, forte m. septembri, dux effectus per annos 12 Neapolis regimen obtinuit. Tunc temporis variae Neapolitanorum in generalibus Italiae motibus vicissitudines. Et primo, nescio an eiusdem Stephani opera vel patricii Siciliae, cui eo tempore summa apud nos potestas, forte Byzantino imperatori vel occulte vel palam adaeserunt. Siquidem ipsis neapolitanis, ut videtur, consentientibus ac fortasse symbolam etiam in factione pollicentibus, a. 758 in ea urbe tractatus habiti inter Desiderium, Langobardorum regem et Georgium, imperialem a secretis, qui Franciam missus erat, ut coniunctis graecorum et langobardorum armis imperator Ravennam recuperare, rex Romam occupare posset (1). Postea a. 761 certe quidem partes imperatoris tuebantur. Paulus enim, qui ad episcopalem eiusdem urbis cathedram electus fuerat, *propter detestabilem imaginum, altercationem* novem men-

(1) Ep. 15, Cod. Carol. ap. MURAT. R. I. S., III, 2, c. 123; CENNI, O. c. t. I, p. 155.

sium intervallo Romam proficisci, et consacrari non potuit (IOH. DIAC. n. 40). Quamobrem Pipinus Franciae rex hortatu ac precibus PP. Pauli I, si, ut mihi videtur, ad haec tempora epistola 26 *Cod. Carol.* referenda est, Desiderium regem, qui tunc cum graecis confoederatus erat, admonuit, ut neapolitanos et caietanos *constringeret ad restituenda b. Petro patrimonia illic Neapoli sita,* et ad largiendam electis *solite licentiam properandi ad Apostolicam sedem, et episcopalem consecrationem suscipiendam* (1). Neque, postquam idem electus Paulus clanculo Romam profectus, et a Pontifice consecratus fuit, quod a. 762 ineunte accidisse mihi compertum est, Neapolitani mentem omnino immutaverunt. Nam *propter graecorum connexionem* per duorum fere annorum spatium noluerunt episcopum in urbem recipere; donec primates civitatis, sive Stephano consentiente, sive dissimulante, motu facto a. 764 uno consilio, unoque consensu tandem eum in episcopium introduxerunt, et pacifice in sua sede habuerunt.

Per haec tempora diploma anni 763, pluries a me supra memoratum, et infra deinceps transcribendum, habemus, in quo Stephanus dux, et Euphrosina abbatissa pacta in instrumento conventa servare iurant nedum *per salutem piissimi et tranquillissimi domini Constantini et Leonis a Deo coronatis magnis impp.*, sed etiam *per vitam, palleumque beatissimi et coangelici Pauli summi Pontificis, et universalis Papae, vitamque praecellentissimi a Deo servati d. n. Antiochi excellentissimi patricii et protostratigi.* Quod, nî fallor, et Iohannis Diaconi verba de graecorum cum Neapolitanis *connexione,* i. e. maiorem tunc temporis in ducatu neapolitano patricii Siciliae auctoritatem declarat, et neapolitanos ipsos neque omnino partes imperatoris tenuisse, neque a quodam erga romanam Sedem obsequio penitus descivisse demonstrat.

Paulo, qui in episcoporum nostrorum serie secundus habetur, post biennium, a. 766, vita functo, Stephanus, adhuc laicus, et in solio ducali constitutus, cum desaeviret in urbe Neapolis teterrima lues, et prope omnes clerici episcopii vitam finirent, a neapolitanis civibus in praesulem est electus. Qui eodem anno (2) et verisimiliter circa finem eiusdem, a PP. Paulo I, *regulari*

(1) Neminem certo latet epistolas *Cod. Carol.* omni temporis nota carere, ex quo variae et plurimae doctorum virorum disquisitiones, ut earum chronologia statui possit, habentur. Inde est quod epistola 26 a Pagio ad a. 757, a Muratorio ad a. 760, a Cennio ad a. 766, a Di Meo denique, qui parum sibi constans est, quandoque ad a. 759 (t. III, p. 13), quandoque vero ad a. 762 ex. vel 763 ineunte (*Ibid.* p. 27) collocatur. Ego vero eam circa finem a. 761 et initium a. 762 scriptam fuisse puto, ea potissimum de causa, quod tunc temporis ex sui episcopatus supputatione Paulus ad Romam accedere ob Neapolitanorum impedimenta non potuit, cum a. 766, quando Stephanus electus fuit, nihil intercessit quominus ipse Romam ad episcopalem consecrationem suscipiendam proficisceretur. Fateor tamen huic opinioni contrarium esse id quod in eadem epistola innui putatur, de concilio Galliis apud Gentiliacum a. 767 habito inter Graecos et Romanos, in quo *de Trinitate, de Spiritus Sancti processione, et de Sanctorum imaginibus* actum fuit. At Pauli PP. verba: *de missis graecis apud* Carolum regem *detentis interim quod aggregatis sacerdotibus et optimatibus* (ipse Carolus) *coniicere atque perpetrare valeret, quid de his quae ei directa fuerant respondendum esset,* nihil quidem, si recte video, habent quod ad spirituales, quae tunc apud Graecos agitabantur, quaestiones pertineat, ut de Synodo Gentiliaeensi certo certius cogitari possit. Epistolae locum potius ad Romanae Ecclesiae temporalia respicere mihi videtur ex sequentibus, quae *ad exaltationem sacrosanctae R. E., caput omnium ecclesiarum Dei,* et ad ea, quae *semel b. Petro* ipse Carolus *obtulerat* pertinere dicuntur. Neque huic tempori obstant aliae, quae ibi memorantur, res vel personae, ut Wulfardus cum socio a Carolo ad Pontificem misso, de quibus etiam in ep. 17 ad a. 761, ex eiusdem Cennii sententia, adsignata, loquitur, et *iustitiae* a Desiderio rege eidem PP. factae et ab eodem receptae, ac inter eumdem Desiderium et Carolum litterae pluries repetitae, et denique eiusdem Desiderii regis apud Graecos auctoritas.

(2) De anno et mense, in quibus Stephanus dux in episcopum consecratus fuit, infra aptius in notis ad Ioh. Diaconum disseram. Heic sufficiat observasse ipsum Diaconum sive ex falsa supputatione, sive ex memoriae lapsu male Stephanum nostrum a Stephano PP. III episcopum consecratum dixisse, cum Paulo I. id tribuere debuisset.

promotione consecratus ex Ioh. Diaconi et *Catalogi Blanchiniani* (1) concordi testimonio a. 33, m. 5, et d. 27 in episcopatu vixit, ac septuagesimo maior ind. VIII. (a. 800), forsitan circa m. martium, obiit.

In serie vero ducum Neapolis ex eiusdem Chronographi nostri adnotatione post Stephanum episcopali dignitate auctum ad a. 767 et, ut mihi videtur, a m. sept. Gregorius habetur per annos 27 et m. 6, qui in martio a. 794 finem faciunt. Deinde item Stephanus per m. 6, scil. usque ad m. septembris eiusdem anni, et denique post eum Theophylactus per a. 6, et m. 6, usque ad martium a. 801. Atque ita ex hoc monumento ducum neapolitanorum per ea tempora chronotaxis se se habet.

Quae vero de neapolitanis rebus aliunde scimus, haec sunt.

Ex epistola 64 *Cod. Carol.* ab Hadriano I. PP. Carolo (*magno*) regi Francorum missa eruitur " nefandissimos neapolitanos, et Deo odibiles graecos, praebente malignum consilium Arichi, duce beneventano, subito venientes Terracinensem civitatem, quam servitio b. Petri antea PP. subiugaverat, invasisse; ipsum PP. postea in festo S. Paschatis die placitum cum ipsis fallacibus neapolitanis per missum eorum, nomine Petrum, habuisse, atque eis, ut petita a Patricio Siciliae venia, et quindecim ex nobilissimis eorum filiis interim obsidibus datis, patrimonium b. Petri Neapoli positum restituerent, et Terracinam loco eiusdem retinerent, proposuisse; negotium denique ipsius Arechis, qui filium Desiderii regis expectabat, consilio ad finem non fuisse perductum „. Id, ut e pluribus eiusdem epistolae circumstantiis argui potest, inter a. 777 et 778 accidisse videtur (2).

(1) *Catalogus* scilicet episcoporum neapolitanorum a Blanchinio editus, de quo infra.

(2) P. Di Meo, ut pro more suo fidelem Ubaldum sectaretur, hanc Hadriani PP. epistolam ad a. 786 figit. Contra iampridem Muratorius ad a. 787, Contius vero, Pagius, et Cennius ad a. 780 illam amandaverant. Sed, cum in ea rex Carolus et regina Hildegarde nondum *compatris*, et *commatris* titulum habeant, ipsam ante a. 781, in quo Carlomannus sive Pipinus, ipsorum filius, sacro baptismate a PP. die Paschatis susceptus fuit, Cennius admodum probabili ratione collocandam esse contendit. Non ita vero, quoad annum 780, quem ipse Terracinensis urbis occupationi adsignat, dicendum est. Nam si epistolas 49 et 73 Cennius ipse ad a. 777 apponit, nihil est quod epistola 64, quae cum illis apertam connexionem habet, ad alia tempora adscribatur, et Terracinensem occupationem eodem a. 777 accidisse non dicatur. Quin immo epistolam 73, quam Cennius epistolae 64 anteiri putat, huic posteriorem esse, et ad a. 778 tribuendam mihi suadet, quae a Beneventanis cum Caietanis et Terracinensibus in Romanam Ecclesiam acta dicuntur, qui ab eiusdem nempe ditione civitates Campaniae romanae subtrahere decertabant; quod de Terracinensibus adhuc sub Pontificia ditione positis existimari non potest. Neque aliter adversus Cennium Contius, Pagius et Muratorius opinati sunt, quamvis illam anno 778 seriorem falso putavissent.

Quae cum ita sint, ego res, quae ad terracinensem factionem pertinent, hac ratione componendas esse censeo.

A. 777 vere ineunte Terracina a Beneventanis et Neapolitanis occupatur.

Eodem a. die Paschatis (30 martii) *placitum* a PP. cum Neapolitanis habitum.

Deinde omnia, quae evenerant, PP. regi Carolo nunciat; forsitan m. maio vel iunio, nam ipse PP. a rege petit ut Wulfrinum legatum celeriter mittat, quatenus kalendis augusti Romam pervenire possit.—Haec omnia ex ep. 64 eliciuntur.

Post haec a. insequenti 778 post pascha (19 aprilis) PP. ep. 49 legatos suos Philippum et Andream episcopos ac Theodorum ducem, nepotem suum, Franciam mittit, quibus in ore posuerat, quae regi minutius enarrare deberent.

Dein m. maio idem PP. ep. 73 regi nunciat Beneventanos aliquantas civitates Campaniae (romanae) una cum habitatoribus castri Caietani, seu Terracinensium, obligantes se valido sacramento cum Patricio Siciliae, qui in praedicto castro caietano residebat, decertasse a ditione b. Petri subtrahere et Patricio Siciliae subiugare. Adiicit ipsum reverendissimum fratrem Philippum et Paschalem suum nepotem ad eos direxisse, ut eosdem campanos salvos haberet, et Beneventanos ac alios admonerent, ut ad eius vel regis Caroli praesentiam pro his componendis convenirent. Cum autem ipsi minime eius admonitionibus optemperare voluissent exercitum generalem illuc contra eos dirigere disposuisse scribit.

Ita res se se habuisse mihi videtur. Ceterum, utcumque sit, annos quidem 786 et 787 omnino abiiciendos esse mihi persuadeo. — Epistolam vero 64 infra subiiciam.

Paulo post, ut ex alia eiusdem *Cod. Carol.* epistola (n. 66) ab eodem PP. eidem Carolo missa discimus, Arechis Beneventi dux " *iustitias* de hominibus suis quaerens exercitum duxit super Amalphitanos ducatus neapolitani, et, undique eos circumvallans, incendit omnes possessiones eorum atque habitacula foris posita. Quo audito Neapolitani direxerunt in adiutorium ipsorum plures homines, et exurgentes super eos interfecerunt plurimam multitudinem ducatus beneventani, et cum ceteros plures, tum optimates captivos habuerunt „. Haec inter annum 783 et annum 785 verisimiliter acciderunt (1).

Forsitan ad a. 786 pax inter Arechim et Neapolitanos, de qua Erchempertus loquitur, adtribuenda est. Nam Beneventi dux posteaquam Carolum regem cum innumerabili exercituum agmine super se adventurum accepit, protinus *Neapolitis, qui a Langobardis diutina oppressione fatigati erant, pacem cessit, eisque diaria in Liburia* (2) *et Coemeterio* (3) *per incolas, sancita dispensione misericordiae vice distribuit, titubans . . . ne ab eorum versutiis Franci aditum introeundi Beneventum reperirent* (4). Neque hac pace tantum contra hostem se praemunivit, sed etiam ad Cpolitanum imperatorem suos emisit missos, „ petens auxilium et honorem Patriciatus una cum ducatu neapolitano sub integritate, simul et suum cognatum Athalgisum cum manu valida in adiutorium sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura, quam in vestibus usu graecorum perfrui sub eiusdem imperatoris ditione. Qui haec audiens emisit illi suos legatos, scilicet spatharios duos, in ditionem Siciliae, ad patricium eum constituendum, ferentes secum vestes auro textas, simul et spatham, vel pectinem et forcipes, sicut illi praedictus Arichisus indui et tonderi pollicitus fuerat, petente Romualdum eiusdem Arichisi filium in obsidiatum; de Atalghiso vero, eius cognato, respondit illum cum exercitu Tarvisium vel Ravennam direxisse (5). „

Dum haec aguntur, interim a. 787. Carolus cum Francorum exercitu ducatum beneventanum

(1) Amalphis obsidionem et Neapolitanorum de Beneventanis victoriam ad a. 785-786 Di Meo collocat. Sed profligato Ubaldi testimonio, non habeo unde rem ad hunc annum sive ad alium adsignem. Ex his vero quae Cennius allegat, inter a. 783 et 785 recte collocari potest. V. epistolam infra.

(2) De *Liburia* infra peculiari dissertatione dicam.

(3) Ita Nola tunc temporis appellabatur. Cf. inter alios Di Meo t. IV, in praef. Agrum igitur nolanum intelligit.

(4) Erchemp. c. 2. — Quid autem haec verba, *diaria* scilicet Neapolitanis ab Arechi principe per incolas distributa, sibi velint non satis constat. Pratillius, qui ad ea interpretanda aggressus est (t. I, p. 80), in salebra haeret ac in ancipiti versatur. Coniicit enim illis verbis Erchempertum significare voluisse, aut terras in Liburia ab Arechi pro colonorum diario victu Neapolitanis vel adsignatas, vel restitutas, ne eiusdem Liburiae et Ducatus incolae diutina deinceps oppressione fatigarentur; aut diurna cibaria, panem vid. vinum atque obsonia ad victum necessaria, ab eodem Arechi colonis neapolitanis, qui quandoque pacis tempore cum Capuanis Liburiae campos excolebant, concessa vel suppeditata, ut suis subditis auxilio essent in agrorum cultura, omnia deinceps messis tempore in satorum divisione restituenda; aut denique, (*diaetas* pro *diaria* cum Bolvito legens) quantum terrae per diem uno aratro coli posset, et tum potestatem neapolitanis serendi colendique Leborinos campos, Liburiae parte eis concessa ac distributa pro victu comparando, tum etiam facultatem hospitia sive *zetulas (diaeta* enim eadem ac *Zeta* vel *casa)* extruendi ad agrorum custodiam atque incolentium commodum.

P. Di Meo, praetermissis aliis Iannonii, (*O. c.* L, VI, c. 4, n. 3) et Pellicciae (*De christ. eccl. polit.* t. IV, p. 30), sententiis, quae vel incertae vagantur, vel omni fundamento carent, postremam hanc Pratillii interpretationem contra morem amplectitur, et *diaria* sive *diaetas*, pro certa quadam terrae quantitate accipit; vel, si forte id non placet, *diaria* putat quamdam vectigalium, quae in dies singulas pro terris Liburiae a Neapolitanis persolvenda erant, immunitatem, per ea, quae quisque haberet, agri iugera distributam. At omnia incerta et dubia sunt. Id unum dumtaxat affirmari potest de servis, aut tertiatoribus ac de terris ac fundis inter Neapolitanos et Langobardos communibus, et forte etiam de quadam pensione Neapolitanis debita, et ob belli vicissitudines non amplius persoluta, quae ab Arechi concederetur, ibi agi. Varietas autem lectionis ex Bolvito a Pratillio proposita nulla codd. vetustiorum auctoritate innititur, et eiusdem potius Bolviti coniectura ad apertiorem vocis *Diaria* sensum reddendum excogitata, putanda est.

(5) Ep. 88, *Cod. Carol.* ap. Muratori, R. I. S., 1, 2, c. 257; Cenni, *O. c.* t. I, p. 486.

invadens regionem usque Capuam tenuit. Ibi tandem receptis obsidibus, Grimoaldo atque Adelgisa, ipsius Arichis filiis, ac cuncto thesauro, pacem Beneventanis sub foedere pensionis contulit (1). At eodem anno, Romualdus, alius Arichis filius, et ipse Arichis post mensem obierunt. Quamobrem tractatus initus inter hunc et graecum imperatorem incassum rediit, et " Spatharii duo, qui e Byzantio missi Italiam venerant, *cum Diucitin, qui latine dispositor Siciliae dicitur,* in Lucaniae Acropoli descendentes, terreno itinere Salernum ad relictam Arigisi ducis peragrantes tertiodecimo kal. februarii a. 788 pervenerunt; quos ibidem cum ipsis tres dies consiliantes Beneventani post tertium diem usque Neapolim deduxerunt. Neapolitani vero cum magno obsequio, cum signis et imaginibus eos susceperunt; ipsi vero Neapolim ingressi cum Stephano episcopo neapolitanae ecclesiae, cum Constantino (forte is qui tunc dispositor Siciliae erat), et cum civibus neapolitanis adversa perpetrantes diu tractaverunt (2). „

Aliis denique epistolis Hadrianus PP. ex quorumdam Capuanorum ac Campuli, Caietani episcopi, relatione eidem Carolo regi significat insidias a Neapolitanis una cum Beneventanis, Amalphitanis et Surrentinis contra ipsius Caroli legatos, ut eos apud Salernum interficerent, adstructas; adventum Athalgisi, Desiderii regis filii, in partibus Calabriae et consilia a graecis cum eo acta in perniciem et damnum Ecclesiae et Caroli, superba denique magnatum graecorum Neapoli residentium, et elata verba, quibus Apostolicae sedis ad regem duabus vicibus frustra missas legationes irridebant (3).

Rerum eventus ex chronicorum testimonio discimus. Athalgisus enim, qui, ut dixerat PP., Calabriae in finibus ducatus beneventani residebat, ac Iohannes, sacellarius et militiae logotheta, quem Constantinus imp. cum classe in Langobardiam seu Italiam miserat, ut de Carolo rege qui filiam sibi in matrimonium denegaverat, vindictam sumeret, vel potius ut Beneventanos iuxta Arichis promissa sibi subiiceret, et Theodorus patricius ac dux Siciliae, qui in expeditionem vires suas coniunxerat, a Grimoaldo qui tunc, mortuo patre, beneficio Caroli regis e Gallia redux Beneventanum ducatum obtinuerat, et ab Ildebrando duce Spoletino, et Winigiso eiusdem regis legato, copiis, quos hi ex Langobardis et Francis congregare potuerant, viriliter adorti sunt. Commisso praelio Graeci plurimis eorum, inter quos Iohannes ipse sacellarius, caesis, aliis fugatis vel in captivitatem ductis, profligati e beneventanis finibus cesserunt (4).

De Neapolitanis in hoc bello, cui facile interfuisse credendum est, nulla e chronicis sive monumentis illius aevi mentio. At mirum est quantum neapolitanarum rerum scriptores posthac belli ipsius narrationem mutaverint, et quantis eam commentis vel anachronismis corruperint; fabulam ipsam e Calabria in nostram urbem traducentes. Narrant enim Saracenos ex Africa Hispaniaque magno navigio solventes anno 788 in Campaniae oram impetum fecisse, Neapolim eiusque vicinos agros depopulavisse, ac pridie kalendas iulii, cum divi Pauli apostoli dies festus ageretur, in urbem per portam, quae *Donnursa* dicebatur, ingressos, atque ea regione, quae a porta ad Forum patebat, potitos cladem et necem plurimam civibus intulisse. Addunt Theophilum tunc Neapolitanorum ducem, a Desiderio rege olim urbi praefectum, comparata armatorum

(1) Erchemp. c. 2; *Chron. Anon. Salern.* c. 10-13; *Ann. Metens.* ap. M. G. H. I, p. 318; Leo Ostien. I, 12.

(2) *Cod. Carol.* epp. 88 et 92 ap. R. I. S., t. III, 2, c. 260 et 264; Cenni, *O. c.* I, p. 476 et 481. — Cf. Di Meo ad a. 788.

(3) *Cod. Carol.* epp. 90 et 86 ap. R. I. S., III, 2, c. 255 et 252; Cenni, *O. c.* p. 486 et 493.

(4) Theoph. p. 311 (a. 6281); Anast. p. 184; *Hist. Misc.* p. 167; Einhardi, *Ann.*, et *Ann. Loisel.* vel *Lauriss.* ap. M. G. H., t. I, p. 174 et 175.

civium lecta manu, hostibus audacter obviam prodiisse et fortiter dimicando hastae ictu occubuisse; neapolitanos vero pugnam non deserentes acriter in patriae defensione restitisse. Interea Athalgisum, qui ad Carolum magnum opem petiturus discesserat, Neapolim cum Francorum auxiliis reversum, castra ad Thorum posuisse loco, qui *Caroli campus* dictus fuit, et inde duo millia equitum, et decem millia peditum, Aimone et Bernardo ducibus, in urbem immisisse, ac neapolitanorum animos mirum in modum sublevasse et pugnam atrocem ac diu ancipitem iterum instaurasse. Demum ad Neapolitanos, prout iidem tradunt, victoria inclinavit. Saraceni ex urbe foras eiecti castra ad Meleczanum (loci extra urbem nomen) posuerunt, moenia arcta obsidione cingentes. Interim, Appulis Calabrisque in subsidium Neapolim advenientibus, obsessi ianuario mense, eo die, quo *Conversio S. Pauli* celebratur, eductis copiis, in barbaros eruptione ex urbe, facta tanta alacritate eos impugnarunt, ut palatos usque ad eorum navigia ad mare profligaverint multosque cum ipsis navigiis combusserint.

Ferunt in prima pugna ex Neapolitanis 500 et 27 interiisse, et ad sexcentos vulneratos fuisse, ex auxiliaribus ad 3000 occubuisse, ex gallis equitibus 500, ex peditibus 640; ex hostibus ad 42000, inter quos Fontanam Africae, Exdronem Boetiae, Mardunatum Stiriae reges! (1). In secunda vero pugna 46 gallos equites, Aimonem et quatuor eius filios, Adelgisumque Desiderii filium cecidisse, Neapolitanorum equitum ad ducentos, peditum ad duomillia occisos fuisse. Quapropter, sicut Belisarii aetate (2), ex vicinis oppidis incolas Neapolim admissos fuisse ad urbem novis civibus augendam amplificandamque. Concludunt denique Neapolitanos in tantae victoriae memoriam templum antiquum, olim Castori et Polluci sacrum, ob duas has victorias de Saracenis in diebus festis S. Pauli partas eidem apostolo summa cum laude dicavisse (3).

Fabulam, forte saeculo XII vel XIII ex vulgi rumoribus confictam, et postea ab antiquioribus patriae historiae scriptoribus temere receptam, singillatim excutere ac refellere supervacaneum puto, cum iam olim Assemanius hoc sibi munus susceperit, et ultra, quam satis erat, confecerit (4), atque fabulae eiusdem incongrua et falsa, ac contraria et inter se pugnantia satis superque ex se pateant. Heic eam tantum memorasse mihi sufficiat, ne antiquam Neapolitanorum traditionem, qualiscumque illa sit, omisisse mihi culpae vertatur.

Nunc difficultatibus, quae ex ducum serie a Chronographo nostro descripta oriuntur, quomodocumque occurrendum est. Et primum omnium ambigi potest an Stephanus assumpto episcopatu se se, saltem in speciem, ducali officio abdicaverit, aut idem dux idemque episcopus, utraque officia pariter retinuerit atque administraverit. Chronographus noster priorem sententiam tuetur; nam a. 767, forte m. sept., Gregorium quemdam post Stephanum episcopali dignitate auctum, Neapolis ducem per a. 27, et m. 6 adnotat. Ita etiam, meo quidem iudicio, Iohannes Diaconus, qui cum de Stephani episcopi electione loquitur, ipsum *laudabili quiete parthenopensem ducatum 12* rexisse *annis* asserit, et quotiescumque de rebus ante eius in episcopatu assumptionem gestis agit, verbis *adhuc eo consule* semper utitur. Neque his alia huius

(1) Nihil magis ineptum absurdumque in his regum ac regionum tam insipienter adstructis nominibus excogitari poterat.

(2) *Cronica di Partenope*, L. I, c. 52 et 53, edit. a. 1526, aut *Cronica di Napoli* in codd. Mss. eiusdem c. 46 et 47.— In cod. bibl. Vaticanae inter Ottobonianos signato n. 2940, membr. saec. XIV, fol. 69, fabula ipsa sermone latino scripta legitur. Incipit: *A. ab inc. D. 798* (corr. 788) *residente in cathedra b. Petri Adriano Papa . . .* Explicit: *ad memoriam tantae rei et ad honorem b. Pauli facta est ecclesia S. Pauli maioris*. Cf. PERTZ. *Archiv*. XII, p. 368.

(3) Cf. *Hist. Misc.* p. 106.

(4) V. ASSEMANI, *O. c.* t. III, p. 503 et ss.

vel proxime sequioris aevi documenta adversantur. Non modo enim *Acta* translationis S. Fortunatae (1), et Ss. Eutychetis et Acutii (2), ac alia id generis monumenta, quae de rebus ecclesiasticis tractant, sed etiam PP. epistolae, quae in *Cod. Carol.* supersunt, in iis, quae ad Neapolitani ducatus negotia spectant, Stephanum, cum de eo loquuntur, dumtaxat episcopum, non episcopum et ducem appellant. In ipso denique Caesarii consulis epitaphio Stephanus *consul post praesul,* non consul et praesul dicitur.

At contra in scriptoribus ac monumentis nulla huius Gregorii, per haec tempora neapolitani ducis, mentio. Quin immo cum de rebus a neapolitanis pace belloque tunc gestis agitur, Stephanus tantum memoratur, et quamvis nunquam ducis titulo decoratus sit, in omnibus tamen neapolitani ducatus negotiis ipse et non alius semper principem locum obtinet. Quamobrem, ego, ut haec inter se quodammodo pugnantia componam, suspicor Gregorium ipsum Stephani filium primogenitum fuisse, et patri, posteaquam is in episcopum electus fuit, in ducatu collegam. Inde eo post annos 27 et menses 6 mortuo Stephanus idem circa m. martium a. 794 solus ducatum tenuit per menses 6, ac denique, hoc tempore transacto, m. sept. eiusdem anni Theophylactum generum suum in imperii consortium ascivit.

Ita neapolitanorum ducum per haec tempora seriem, uti Chronographus noster eam refert, explico, et eiusdem cum aliis monumentis, quae dissentire videntur, discrepantias, nî fallor, compono. Sed dubium facit, et rem rursus in contentionem adducit Caesarii consulis epitaphium, a plurimis nostratibus scriptoribus relatum, quod olim Salerni in ecclesia S. Francisci, ordinis minorum conventualium, extabat, et nunc deperditum vel destructum querimur (3). Ex eo enim discimus Caesarium Stephani ducis et episcopi filium, dum multis crebrisque bellis inter se Neapolitani et Langobardi exagitarentur, aliquando icto foedere obsidem datum sub Arechis principis *moderamine sancto nutritum* fuisse; et, cum adhuc iuvenilibus annis virtute ac prudentia plurimum polleret, Cpolitani imperatoris indulgentia, Neapolitanis praefectum fuisse, et patris in ducatu collegam extitisse; item denique annos vix vigintisex natum, infinito patris moerore, imperii Constantini et Irenes a. XIIII, ind. XII die 20 septembris (a. 788) fato concessisse. Caesarius igitur, hoc monumento teste, consul et Stephani ducis, patris sui, usque ad a. 788 collega fuit, cum contra ex Chronico nostro tunc Gregorius Neapolis dux habeatur. Quomodo ergo haec duo inter se, uti videtur, pugnantia concordari et explicari possunt? Olim ego in hac opinione fui, Caesarii consulis epitaphium vel posterioribus temporibus confictum, vel saltem in notis chronologicis pessime transcriptum fuisse: tanta enim varietate lectionum a nostris scriptoribus prodebatur, et tantis eiusdem interpretatio difficultatibus urgebatur. Quamobrem diu marmor archetypum quaesivi, et hoc desiderio frustratus deperditum doleo. Sed re melius perpensa, hanc sententiam penitus abiiciendam esse nunc censeo. Nam locutio et stylus carminis haud indubie illius aevi indolem demonstrant, et ii, qui epitaphium summa, qua semper usi sunt, fide retulerunt, omnes in notis chronologicis conveniunt. Quin immo quaedam eiusdem phrases iis simillimae vel potius eaedem ac illae, quae in carmine sepulcrali Romualdi Arichis filii de-

(1) Cf. fragmentum *Actorum* huius translationis ap. CARACCIOLO, *De sacris Neap. Eccl. monumentis*, c. 18.

(2) Historiolam hanc a quodam Raynerio scriptam habes in Aa. Ss. *Bollandi*, ad d. 19 sept., t. VI.

(3) Epitaphium ipsum, cuius novum apographum ex cod. Vat. saec. XVI. nuperrime cl. vir MOMMSENIUS in *Neuves Archiv.* t. III, p. 403, edidit, ego infra cum varietate lectionis et notis, marmoreae tabulae casibus etiam expositis, iterum dabo.

prehendi possunt (1), ac ordo et dispositio sententiarum, quae in utroque iterantur, in hanc me opinionem impulerunt ut crederem unum eumdemque utriusque epitaphii auctorem fuisse; David scilicet beneventanum episcopum. Profligatis igitur falsitatis vel interpolationis suspicionibus ad coniecturam aliquam, qua difficillimus, et perobscurus nodus expediri possit, recurrendum est. Et nihil aliud ego habeo, ut ad rem proponam, nisi quod heic subiicio. Stephanus, si recte video, Gregorio primogenito in collegam ducatus suscepto, Caesarium quoque alium eius filium, cuius virtutem expertus fuerat, postea adsciverit, qui, cum minor fratre haberetur, et neque ante neque post Gregorium solus cum patre imperaverit, ideo in catalogo ducum a Chronographo nostro adscriptus non fuerit. Neque enim in hoc saeculo rarum, quamvis insequenti frequentius apud nostrarum regionum dynastas duorum filiorum eodem tempore in imperio consortium.

Atque haec sunt, quae ad res neapolitanas, Stephano duce et episcopo, illustrandas et ad difficultates, quibus ipsae per ea tempora praecipue afficiuntur, profligandas, ego afferre potui. Recte autem an secus id praestiterim, nescio. Certe si in tanta rerum obscuritate ac monumentorum defectu, quod tentaveram, minime assecutus fuerim, saltem propositi mei consilium ab doctis viris commendatum iri non diffidam.

FINIS.

(1) Phrases quasdam, quae in utroque epitaphio similes se praebent, hic subiiciam:

Vae tibi Parthenope. Epit. Caesar. v. 2.	*Vae tibi barda cohors.* Epit. Rom. v. 2.
Murus et arma suis. Id. v. 4.	*Murus et arma tuis.* Id. v. 4.
Cuius flamma. . . pectus ubique cremat. 18.	*Tristes quos maleflamma creat.* (*cremat?*) v. 8.
Consilio sollers v. 10.	*Consilioque vigens.* v. 8.
. . . *longaeva paterna senectus.*	. . . *fessa patris bene iam virtute senectus*
Tuta regebatur tamque quictus eram. v. 13-14.	*Tuta regebatur, tutio matris erat.* v. 5-6.

798. ind. VI. Hirinus a. 5.

Recte Cronographus noster; nam

Irene

A. m. $\frac{6289}{6305}$ = Chr. 789-790 = Æ. v. 796-797, ind. V, m. aug. sola secundo imperium suscipit; et dein m. sept. sequenti ind. VI imperii annum primum numerat. THEOPH. p. 317; ANAST. p. 87; *Hist. Misc.* p. 170.

Chron. Cav. annum antevertens adnotat. A. 796, IV. *Hirenes sola mater eius.*

Irene imperat

secundo an. 5, m. 2, d. 2. NICEPH. *Chron. brev.* p. 321 — vel a. 5, m. 2, d. 7, ut in ANAST. p. 87 — aut rectius a. 5, m. 2, d. 12, ut in *Hist. Misc.* a die enim 19 m. aug. a. 791 ad diem 31 m. octobr. a. 802, utroque termino excluso, ratio ad unguem constat.

Chronographus noster, ut IOEL. p. 139, et HAMZA ap. MURALT. *O. c.* p. 724, menses ac dies omittunt.

— in totum, sive sola, sive cum filio, annis 15 exactis. HAMART. 258, 1; et *Catal. Byz.* II, III et VI — vel annis 17 primum et extremum pro integris supputando. MANAS. p. 93; LEO, 192, 17; *Catal. Byz.* IV et V.

Irene deponitur

die 31 m. octobris ind. XI (a. 802), illucescente, qui erat feria secunda, scilicet hora noctis quarta, a Nicephoro patritio, ipsius leviro (1), qui perduellis factus imperium occupat, et eam prius in monasterio secludit, dein Lesbum ablegat, ubi ipsa a. sequenti die 9 m. aug. eiusdem ind. XI prae moerore mortem obiit. THEOPH. p. 319; CEDREN. p. 375.

Huius quarto anno nona ind. Anthimus dux Neapolim ann. 17, m. 3.

Annus quartus Irenes et ind. IX. in a. 801 initium ducatus Anthimi collocant, et, si ratio annorum ducis antecedentis recte constat, in m. martio vel aprili. Forsitan ipse Theophylacti filius fuit. Ducatum rexit vel a. 17, et m. 3, ut in cod. Vindobonensi legitur, vel a. 18 et m. 6, ut cod. Bruxellensis habet; quae diversa annorum summa non aliter mihi explicari posse videtur, nisi ex diversa utrorumque codd. in annis ducatus supputandis ratiocinatione. Coniicio enim Chronographum in altero cod. annos Anthimi forte a die, quo ipse a Theophylacto eius patre? in ducatus consortium ascitus fuerat, in altero autem a die, quo idem Theophylactus obierat, supputavisse. Secus vero eiusdem supputationis varietatem explicare nescio.

De isto duce vel de rebus Neapoli, tunc cum ipse imperavit, gestis, haec aliunde habentur. A. 813, ut ex Leonis PP. epistola eruitur, Michael Curopalates, Cpolis imperator, cum Saracenos sive Mauros ex Aphrica classem ad invadendam Siciliam instruere accepisset, statim patricium quemdam et spatharios cum classe misit, ut barbaris obsisterent et graecas regiones defenderent. Patricius Siciliam appulsus nuntios suos per Beneventum ad Anthimum ducem direxit, ut cum toto ipso neapolitano ducatu, qui ei obedire voluissent, navale auxilium praeberet. At Anthimus occasiones quaerens, vel quia Beneventanorum hostiles aggressiones timeret, vel quia ducatus intestinis discordiis agitaretur, (utraque enim ex illius temporis conditione ac statu coniici possunt) ad mandata ire contempsit. Caietani tamen et Amalphitani quibusdam paratis navigiis, eo profecti sunt. Mauri vero bifariam se se dividentes, alii ex eis insulam Lampedusam invaserunt et depraedaverunt, sed graecis navibus insequentibus, usque ad omnium internecionem deleti et caesi sunt; alii autem in Pontias et Ænariam insulas m. augusto egressi earum incolas occiderunt, agros devastaverunt, bona diripuerunt, et cum plurimis captivis secum abstulerunt, sine ulla Neapolitanorum, quibus altera illarum insula pertinebat, oppugnatione (2).

Paulo post a. 815 vel 816 bellum acerrimum Neapolitanis a Grimoaldo IV Beneventanorum principe commotum fuit, eo quod Dauferium quemdam, perduellionis reum, hospitio recepis-

(1) *Chron. Ms. ab Adamo ad Leonem philos.* ap. DUCANGE in notis ad Zonaram, p. 72, n. 14.

(2) Epistolam PP. infra dabo.

sent. " Grimoald de hoc certior factus confestim, inquit Erchempertus, iter Neapolim aggreditur exercitumque post se accelerare iubet. At ubi iuxta memoratam perapplicuit urbem continuo multae iuventutis populus eiusdem civitatis armis evectus obvius illi audacter eminus exivit in praelium. Quod ille ut intellexit, protinus itinera eorum revertendi prius irretire molitus est, et ita demum in eos insurgere voluit. Tantam denique hostium stragem coepto bello mari terraque fecit, ut fretum adiacens vix per septem et eo amplius dies cruore occisorum purgaretur; in terra vero tumuli nunc usque (*scriptoris scil. tempora*) interfectorum conspiciuntur cadaverum, et ut ab eisdem incolis referentibus compertus sum, quinque millia fere hominum eadem tunc in acie occubuere. Idem enim Dauferius una cum Magistro militum, qui tunc inibi regnabat, soli elapsi, fugibundi moenia illius urbis tandem ingressi, nec ibi siquidem requiem capiunt, nam egressae coniuges virorum peremptorum gladiis insequebantur illos dicentes: *Reddite nobis, o caduci viri proditores, quos nequiter interfecistis. Quare ...... adversus eos praelium insurgere conati estis quem pro certo invictum scitis?* Grimoalt vero acrius eos insecutus est usque ad portam, quae dicitur Capuana, ita ut proprio conto eam percuteret, nec erat quisquam qui resisteret. Clausis tantum obseratisque foribus, qui remanserant intra muros se tutaverunt. Reverso igitur Grimoaldo ad castra cum suo exercitu incolume, altera die pro fatigio sumpto et pro interemptis affinibus iamdictus perfuga Dux dedit in exenium octomillia aureos supradicto Principi, et memoratum Dauferium ad pristinam reduxit gratiam. „ (ERCHEMP. c. 7-8.)

De pietate denique Anthimi plura ex Ioh. Diacono habeo, quae infra dabo.

803. ind. XI Nicephorus et Stauracius an. 9.

Chronologus noster in eadem epocha, uti solet, Nicephorum et Stauracium adnotat. Sed

Nicephorus

A. m. $\frac{6295}{6311}$ = Chr. 795-796 = Æ. v. 802-803. ind. XI, die 1 nov. ex Patricio et generali Logotheta imperator fit. THEOPH. p. 319; ANAST. p. 89; *Hist. Misc.* p. 172.

Dein anno secundo imperii ind. XII. (a. 803) mense decembri (die 25?)

Stauracius

filius Nicephori a patre in collegam adsumitur, et a Tarasio, Cpolitano patriarcha, coronatur. TEOPH. p. 322; ANAST. p. 89; *Hist. Misc.* l. c.; CEDREN. p. 374; ZONAR. XV, 14.

Nostrates vel minus recte vel falso omnino. Siquidem *Chron. Cav.* A. 801, VIII. *Nicephorus fit imperator;* ac deinde A. 802, IX. *Stauracius*— et *Chron. S. Soph.* A. 757, X. *Nicephorus*, a. 8, m. 8, ac: A. 765, III. *Stauracius* m. 8.

Nicephorus imperat

a. 8, m. 9. NICEPH. *Chron. brev.* p. 321 (1); CEDREN. p. 375, qui certe ex librarii errore habet 9 dies pro 9 mensibus; LEO, 201; HAMZA ap. MURALT, *O. c.* p. 726.

— vel a. 9 (non expletis) ZONAR. XV, 15; GLYC. p. 221.

— vel, mensibus non supputatis, a. 8. IOEL. p. 139.

— vel annis 7, sive ex errore, sive ex eo quod imperii epocha a sept. sequenti supputata fuit, anno extremo, quia non expletus, omisso. HAMART. 259, 1; *Catal. Byz.* I.

Stauracius imperat

post mortem patris m. 2, d. 6. THEOPH. (ex quorumdam, ut ipse dicit, sententia) p. 333; ANAST. p. 93; *Hist. Misc.* p. 175; ZONAR. XV, 17. — vel, diebus non supputatis, m. 2. NICEPH. l. c.; HAMZA II, 5 ap. MURALT. p. 726.

— vel m. 2, d. 10. *Catal. Byz.* III.

Quidam, nescio quo calculo usi, a. 1 et m. 2, aut a. 1, et m. 4 ei tribuunt, ut HAMART. 260, 1; LEO, 204, 10; IOEL. p. 139, *Catal. Byz.* VI; Cf. MURALT. p. 396.

— ANASTASIUS menses 8 pro annis octo signat, forte ipsos ex quo Stauracius in collegam a patre ascitus fuit usquequo obiit supputans.

Chronographus noster, uti solet, annos Nicephori et Stauracii in unum colligit, et, numero rotundo, novem adnotat.

(1) Nicephorus dierum 5, qui ex mensibus 9 deficiunt, rationem non habuit.

Nicephorus occiditur

a Bulgaris, quos bello acriter impetiverat, ex inopinato circumdatus et interclusus, nocte, quae sabbatum 26 iulii, ind. IV (a. 811) praecessit, magna etiam ducum et militum graecorum caede facta. THEOPH. p. 330, ANAST. p. 92; *Hist. Misc.* p. 175 (nocte sabati); CEDREN. p. 380.

Stauracius deponitur

die 2 oct. ind. V (a. 811), cum, occiso patre, et ipso vulnerato, vix a Bulgaris Cpolim evasisset. Dein monasterio reclusus die 11 ianuarii eiusdem ind. (a. 812) vitam finivit. THEOPH. p. 352; ANAST. p. 93.

Huius (Nicephori) quinto anno XV ind. Grimoald princeps Beneventi anni undecim, mens. 1, dies 10.

Ex Chronographi nostri calculo Grimoaldus hic, Ilderici (*Chron. Anon. Salern.* c. 33) sive potius Ermenrici filius (1) inter mm. septembris et decembris ind. XV (a. 806), ex quo temporis intervallo a. quintum Nicephori ille supputat, in principali dignitate est elevatus. Cum eo optime conveniunt *Chron. Cav.* ubi: A. 807, XV. *Grimoaldus*, et instrumentum, quod primum nobis de eo superest, et *anno primo ducatus eius mense decembrio per ind. XV* actum dicitur. (Cf. *Chron, Vulturn.* in R. I. S., I, 2, c. 281). Sed si anni 18 et m. 10, qui Grimoaldo III, eius praedecessori, tribuuntur, a morte Arechis, scil. a 26 aug. a. 787 supputandi sunt, potius in m. iunio eiusdem anni successio huius collocanda videtur. Id etiam ex subsequentibus quodammodo confirmari potest. *Chron. mon. S. Sophiae* annum, antecedens, minus recte adnotat: A. 805, XIII. *Grimoald Falco* (2) *Thesaurarius instituitur.*

Is apud Grimoaldum III Thesaurarii, et Storesaiz (3) fungebatur officio; ex quo in historia nomen accepit. Erat etiam, si *Chron. Vulturn.* verum dixit, exadelphus eiusdem, sive potius ex sorore nepos (4).

Verisimiliter circa a. 810 pacem cum Carolo magno, et Gallis, tributo constituto, firmavit, et per ea tempora Neapolitis etiam *gratiam pacemque* donavit (ERCHEMP. c. 7).

Principatum rexit a. 11, m. 1, d. 10, ut ex Chron. nostro, *Catal. Benev. Casin.*, et *Catal. Anon. Salern.* (5).— Forte ex librarii errore *Catal. Benev. Cav.* habet a. 10, m. 1, d. 10, et *Catal. mon. S. Soph.* a. 12, m. 1, d. 10.—*Catal. Salern.* a. inceptum pro completo habens adnotat a. 12.

Grimoaldus a Radelchi comite Consino, et Sicone Agerentino Castaldeo et aliis, qui in eum insurrexerant, gladio, cum iam extremum spiritum traheret, peremptus est (ERCHEMP. c. 8: — *Chron. Anon. Salern.* c. 43), verisimiliter inter m. iulium (V. infra) et m. novembrem a. 817 (6).

(1) Ex *Vita S. Sabini* ep. Canusini (ap. AA SS. *Bollandi* ad d. 9 febr. t. II, 327) quae ibidem scripta dicitur: *principante viro gloriosissimo Hermenrici* (sive *Emerith* ut alii codd.) *prole Grimoalt.* Cf. ibi *Comment. praevium*, p. 312. — Male vocem *Emerith* ASSEMANI, *O. c.* t. I, c. 17-19, in *Arichisi*, et DE VITA, *Antiq. Benev.* diss. III, in *Romualt* corrigunt. Monetae eiusdem principis, quae adhuc supersunt cum epigraphe: *Grimoalt filius Hermenrih* (V. *Catal. del Mus. naz. di Nap. Monete del medio evo*, p. 2, et *Collez. Santangelo*, p. 3.) eos erroris aperte arguunt. Cf. etiam DI MEO, III, 269.

(2) Cur ita vocatus etiam fuerit, nescio. Hoc tantum in *Chron. Anon. Salern.* (c. 47) invenio quod Radelchis, comes Consiae, cum malevolam Siconis, iam principis, erga se mentem praesentiret, dixisset: *Ego iam nuper superavi falconem* (ad Grimoaldum alludens) *restat mihi vulpem* (sic), idest Siconem.

(3) Quidam Storesaiz unum et idem ac Thesaurarium putant sed, ut ex *Anon. Salern.* discimus, *lingua Todesca, qua olim Langobardi utebantur Stoleseyz* (vel Storesaiz) *fuit appellatus . . . . . qui ante obtutum Principum, et regum milites hinc inde sedendo praeordinat. Chron.* c. 33; Cf. DI MEO, III, 237.

(4) Id Di Meo in dubium revocat.

(5) In textu vero *Chronici* anni 11 et m. 7 adnotantur, nescio an ex errore, vel ex aliqua peculiari supputatione nobis ignota.

(6) Membranae, quae ad Siconem successorem spectant, initium principatus eiusdem in m. iulio collocant. (V. infra), sed membranae ipsius Grimoaldi signatae a. XI principatus mense augusto X ind. et a. XII mense octobri ind. XI, quae in *Chron. Vulturn.* afferuntur (MURAT. R. I. S. I, 2, 383, et 381), si recte se se habent, mortem Grimoaldi, vel initium principatus Siconis quibusdam mensibus protrahunt. Eas vero Di Meo falsitatis insimulat, iure nec ne, dicere non ausim.

812. ind. V. Michael et Theophilactus a. 2.

A. m. $\frac{6304}{6320}$ = Chr. 803-804 = Æ. v. 811-812, die iovis 2 octobris, ind. V,

Michael

qui et Rangabe, Curopalates, gener Nicephori imp. (Procopiam enim filiam eiusdem in uxorem duxerat), a senatu et militiis imperator salutatur et a Nicephoro Patriarcha coronatur. THEOPH. p. 332; ANAST. p. 93; *Hist. Misc.* p. 176.

Ita et in Chron. nostro habemus. Aliter, sed minus recte, *Chron. Fossaen.* ubi: A. 811, IV. *Michael imp.* — et *Chron. Cav.* ubi: A. 810, III. *Michael Curopalates.*

Theophilactus

vero Michaelis filius eodem anno die 25 decembris, feria quinta, a patre in collegam assumitur, et imperator coronatur. THEOPH. p. 333; INCERT. CONT. THEOPH. p. 340; ANAST. l. c.; *Hist. Misc.* l. c.

Michael et Theophilactus imperant

a. 1, m. 9, d. 11. NICEPH. *Chron. brev.* p. 321 (1)
— vel a. 1, m. 9 non habita ratione dierum. IOEL. p. 140; GLYC. p. 221, qui certe ex suo vel librarii errore annos 4 pro 1 signat;
— vel a. 2 (non exactis) THEOPH. l. c. ANAST. p. 94; HAMART. 261, 1; *Hist. Misc.* l. c.; NICET. *Vita S. Ignat.;* ZONAR. XV, 19, et *Catal. Byz.* omnes;
— vel a. 1 et m. 6, aut 4, nescio an ex errore, aut ex aliqua mihi penitus ignota supputationis ratione, ut HAMART. in quibusdam codd. ap. MURALT. p. 678, et CODIN. *Orig. Cpol.* p. 57.

Michael abdicat

se se imperio quinto id. iul. fer. secunda (*Hist. Misc.* p. 178), seu die 10 iulii ind. VI, et postea monachum in Proten insula induit. THEOPH. p. 358; ANAST. p. 95; Cf. CEDREN. p. 383.

Theophilactus deponitur

eodem tempore, et paulo post iussu Leonis, qui in imperium successit, eviratur, et in insulas cum matre et fratribus relegatur. INCERT. CONT. THEOPH. p. 342; ZONAR. XV, 18.

Ind. septima 814. Leo et Constantinus a. 8.

Iuxta aliquorum Byzant. scriptorum sententiam

Leo armenus

A. m. $\frac{6305}{6321}$ = Chr. 804-805 = Æ. v. 812-813, ind. VI, die 10 iulii feria secunda, imperator coronatur a Nicephoro patriarcha. THEOPH. p. 339; CONST. PORPH. *Chron.* I, 12. Erat Bardae filius, patricius, atque Orientalium dux.
— Secundum alios vero
A. m. $\frac{6306}{6322}$ = Chr. 806-807 = Æ. v. 813-814, ind. VII, die 10 vel 12 iunii, coronatus est. SYM. LOGOT. p. 401; INC. CONT. THEOPH. p. 342; ANON. ad LEON. Gramm. in cod. 713, *Bibl. imp. Paris.* in Notis ad THEOPH. p. 2; GENES. p. 2.

Cum autem anni imperii Michaelis Curopalates et ipsius etiam Leonis minime cum hac secunda epocha conveniant, vel istos scriptores in errorem incidisse, vel Leonem die 11 iulii anno 813 imperatorem proclamatum, dein anno sequenti 10 iun. coronatum fuisse, quod Theophanes ex memoriae lapsu permiscuit, dicendum est. Chronographus noster imperii initium, uti saepe solet, a m. sept. sequenti cum indictione suscipit.

Sammates, vel Sabbatius, vel Simpates aut Simpaticius Leonis filius a patre eodem, quo ipse anno, in Nativitate Domini in collegam assumitur et appellatur

Constantinus

ut ex CONST. PORPH. l. c. et aliis discimus.

Leo et Constantinus imperant

a. 7, m. 5, d. 12. NICEPH. *Chron. brev.* p. 322, et quidem recte; tot enim a die 11 iul. a. 813 ad diem 25 dec. a. 820 supputantur.
— vel a. 7, m. 5, dierum non habita ratione. ut CONST. PORPH. l. c.; SYM. LOGOT. l. c.; LEO GRAMM. p. 355; HAMART. 262, 1; CEDREN. p. 390; GLYCAS, p. 222; ZONAR. XV, 21; IOEL. p. 140; *Catal. Byz.* I, et VI.
— vel a. 7, m. 6, ut in *Catal Byz.* III.

(1) Revera dies sunt novem.

— vel a. 7, nec mensium nec dierum ratione habita, ut NICET. *O. c.*, et *Catal. Byz.* II.

Chronographus noster, annum inceptum pro completo habens, annos 8 adnotat.

Leo occiditur

in vigilia Nativitatis Domini hora decima noctis ind. XIV. (a. 820), Michaele Balbo ab Amorio, quem perduellionis reum capite damnaverat, acrius instante, a quibusdam eiusdem criminis sociis in ecclesia in ipsis sollemnibus, impetu repente in eum facto. Filii eiusdem evirantur, et in monasterio retruduntur. LEO GRAMM. p. 356; SYM. LOGOTH. p. 309; GEO. MON. p. 380; ZONARA, XV, 22; CONST. PORPH. I, 21; CEDREN. p. 390; GENES. p. 10.

Huius (Leonis) quinto anno, XI ind. fuit Extradus in Neapolim a. 3, m. 1.

Defuncto Anthimo duce facta est Neapoli, ut Ioh. Diaconus n. 42 testatur, magna seditio, *cupientibus quidem multis honorem ducatus arripere.* Tunc Neapolitani, cum voluissent magis extraneis quam suis subesse, miserunt Siciliam, et quemdam Theoctistum inde advectum sibi Magistrum militum statuerunt. Cui *aliquantis decursis temporibus, ut graecorum moris est, successit Theodorus protospatharius.*

Chronographus noster nomina eorum, qui tunc Neapolim rexerunt, silentio praeteriens, hunc reipublicae statum sub EXTRADI sive externi reginninis appellatione designat, ac seditionem ipsam a. 5 Leonis et Constantini, ind. XI. evenisse, annisque tribus et mense uno perdurasse memorat. Cum autem, si recte video, Anthimus m. junio ind. XI (a. 818) obierit, et anni 3 ac m. 1 iulio a. 821 expleantur, facile coniici potest Theoctistum, et Theodorum per huius temporis intervallum Neapolitanorum ducatum tenuisse.

De quodam Theoctisto, Nicetae patricii Siciliae apud Carolum magnum a. 797 legato, mentio habetur in *Annal. Bertin.*

Quid autem sibi velint Iohannis Diaconi verba: *ut graecorum moris est,* non satis constat. Mihi, si coniecturae locus, ea, vel ad officii dignitatem, vel potius ad tempus, quo ipsum officium durare solitum erat, respicere videntur. Nam pene iisdem verbis Andreas Dandulus (1) utitur, et graecorum usum memorat, cum post necem Ursi ducis, et seditiones ob successoris electionem obortas (a. 732) de magistri militum Venetiis recepto regimine loquitur. Et anno aut vix anno plus officium illud apud Venetos, ut et Neapoli, duravisse compertum est.

Et eodem anno Sico princeps Beneventi ann. 15, m. 2.

Chronographus noster Siconem in 5. a. Leonis et Constantini XI ind. scil. a. 817-818 principatum suscepisse adnotat. Ita etiam *Chron. Cav.* ubi: A. 818, XI. *Sico;* nec aliter *Chron. mon. S. Soph.* ubi: A. 818, XI *Sico constituitur.* Initium igitur principatus eiusdem ex his saltem non ante m. septembrem ipsius anni 817 statuendum videtur. Sed contra hanc ratiocinationem stat quarumdam archivi Cavensis membranarum auctoritas, in quibus nedum a m. augusto a. 817 Sico princeps habetur, sed etiam aperte principium imperii eiusdem m. iulio ponitur (2). Ut autem haec inter se repugnantia apte conciliari possent, ego coniicio alios ab obitu Grimoaldi, qui m. iulio a. 817 evenire potuit, alios a sollemni Siconis in magnatum Beneventanorum conventu proclamatione, m. oct. ind. XI, forsitan facta, epocham principatus eiusdem supputavisse.

Sico Foroiulii circa a. 774 natus, et adhuc puerulus cum matre sua Abula Beneventum transgressus, ex comite seu castaldo Acheruntino princeps effectus est (3). Creberrimis bellis, de quibus infra, Neapolitanos, quousque imperium tenuit, acriter vexavit. Principatum vero beneventanum rexit annis 15 et m. 2, ut recte Chronographus noster, et *Chron. monast. S. Soph.*, vel mensium ratione non habita a. 15, ut *Catal. Benev.*

(1) DANDULUS, *Chron.* VII, 4. *Rectorem sibi praeesse statuerunt, quem magistrum militum appellarent, quae quidem dignitas, secundum graecorum usum, Tribunatu maior super eos et cunctum populum potestatem obtinet.*

(2) Instrum. tabularii Cavensis has notas chronologicas habet, vid: *in anno quinto intrante in Dei nomine principatu domni nostri viri gloriosissimi Siconi magno princeps beneventane provincie mense iuliu quartadecima ind.* (a. 821)— *Cod. dipl. Cav.* I, p. 10.

(3) *Epitaph.* Siconis ap. PEREGRIN.-PRATIL. III, 309. IOH. DIACONI, *Chron.* n. 42.— Cf. Di Meo ad an. 817, et 832.

S. Soph. et *Epitaphium* eiusdem, vel, incepto pro completo supputato, a. 16, ut *Chron. de mon. S. Ben.* Numeros annorum, quos *Catall. Benev. Casin.* et *Cav.; Catal. Benev. Anon. Salern.* et ipsum *Chron. Anon. Salern.* (c. 52) habent, scil. a. 16, m. 2; et a. 6, et m. 3; a. 12 et m. 2, ac a. 14 et m. 2, ex librarii errore in codd. inducto fluxisse puto.

Ipse filium Sicardum *se superstite* heredem principatus effecit, sed nomen eiusdem in chartis non apposuit.

Item in VIII. (Leonis et Constantini) anno XIV indict. Stephanus dux Neapolim an. 10, m. 10.

Annus octavus Leonis, a die 13 m. iulii a. 813 supputatus, et ind. XIV. a 1 septembris a. 820 incepta, initium ducatus Stephani in m. iulio vel augusto a. 821 defigunt; quo *Neapolitani, Theodorum protospatharium propellentes,* ipsum *Consulem levaverunt.*

Stephanus, ut ex eodem Ioh. Diacono discimus, supra memorati alterius Stephani, ducis et episcopi, forsitan ex eo quod filiam quamdam Theophylacti ducis, si recte epitaphii ipsius notas intelligo (1), uxorem habuit, nepos fuit. Cum ducatum difficillimis reipublicae temporibus regendum suscepisset, parem fortunae animum gessit, et quid virtus, quid patriae amor posset, pluries ostendit. Neapolim enim, quam dux beneventanus subiicere summopere cupiebat, a Langobardorum armis continuo lacessitam, agrorum vastatione, ac militum caede oppressam, strictaque obsidione vallatam ita strenue, ac sive vi sive ingenio, neque absque sanguinis sui ipsius discrimine, contra hostes acerrime defendit, ut quoad vixit, nunquam in barbarorum dominio ipsam cadere passus fuerit.

Quae autem huius Langobardici belli varia praelia a chronographis memoriae prodita habentur, haec sunt.

Primum ex eis Erchempertus, postquam de suscepto a Sicone principatu, de foedere ab eo cum Francis iterum icto, et de Sichardo filio in heredem assumpto dixerat, ita memorat. " Per idem tempus, inquit ille, Neapolitis. . . bellum a Sicone creberrimum motum est, ac civitate valide obsessa, tellure pontoque, et fortiter iaculis et scorpionibus oppugnata, pene capta esset, si defuisset ingenium. Nam iuxta ora maris, muro arietibus et machinis funditus eliso, iam cum catervatim Siconis populus urbem ingredi niteretur, Dux iam dictae civitatis, data mox obside genitrice sua, ac duobus propriis liberis, magnopere eum callida arte exflagitans, per nuncios misit ita: *Tua est urbs cum universis quae infra se retinet; placeat ergo pietati tuae, ne inter praedam detur, crastina autem die cum trophaeo victoriae gloriosissime ingredere, possessurus nos omniaque nostra.* His ergo suggestionibus fidem accomodans, diem sustinuit venturum. Subsequenti vero nocte interrupta urbs muro firmissimo solidata est, et crepusculo, quo se suamque tradere pollicitus est civitatem, arma bellica suscipiens, contra eum se erexit ingenti certamine (2) „. (ERCHEMP. c. 10).

Tempus, quo haec neapolitana obsidio accidit, incertum est. P. Di Meo, infidam apocryphi *Chronici Cavensis* (3) auctoritatem secutus, de ea ad a. 829 loquitur, et factum ab Erchemperto relatum Bono, Stephani ducis successori, tribuit. Ego vero alterum, cum rationibus, unde in re certum quid elicere possim, caream, neque omnino improbo, neque facile affirmo; alterum autem, cum non aliunde nisi ex Pseudo-Ubaldi fallaci testimonio deductum sit, sine ulla dubitatione recuso. Contra alii patriarum rerum scriptores aliter sentiunt, et factum in a. 822, ac fortasse rectius, collocant. Ceterum, utcumque de tempore obsidionis opinandum sit certe ex ipsius Erchemperti, et Iohannis Diaconi dictis bellum inter Nea-

(1) In notis ad huius Stephani epitaphium appositis legitur: *Sed et eius coniux cum viro Theodor.* (*al.* Theo.) *neap. ducis f. ponitur hic.* Si autem ibi pro *Theodoro Theophylactum* leges, ratio, ob quam Stephanus iste alterius Stephani episcopi et ducis nepos a Ioh. Diacono dicitur, tibi manifesta erit.

(2) De obsidum deinceps fortuna nîl habet Erchempertus. — Huius vero et Anonymi Salernitani textum ex Pertzii editione in M. G. H. t. III, *Scriptorum* heic repeto, levibus quibusdam tantum, quae barbariem librarii vel idiotismum sapiunt, (Cf. t. III, M. G. H., p. 241), ut sensus facilior redderetur, ad Pratillianam editionem aliquando accomodatis.

(3) Ibi ad a. 829 legitur: *Sico et Sicard filius eius denuo Neapolem opsident.* PRATILLI, t. IV, p. 391. Idem habet Cod. Pratillianus *Chron. monast. S. Sophiae,* ubi ad a. 830. *Sico in Neapolites.*

politanos et Beneventanos in singulos annos, Stephano duce (a. 821-832), repetitum fuisse non sine ratione argui potest. Quapropter a Neapolitanis, ut ex *Annal. Franc.* (1) discimus, a. 826 legatos prima vice ad Ludovicum imp. Aquis missos fuisse puto, nempe ut contra Siconem auxilium et favorem obtinerent. Quid autem ex ea legatione ipsi assecuti sint, nescimus; sed Francorum in Beneventanos incursio, quam Siconis epitaphium (2) memorat, et Di Meo ad a. 828 ablegat, forte eidem legationi extranea non fuit.

Alterum praelium ab *Anonym. Salern.* memoratur. " Sico princeps, in eius *Chron.* habetur, exercitus sui copiam adunare iussit, atque magno apparatu Neapolim properavit, et eam undique constrinxit, et incendiis eam a foris silicet denudavit. Quam et obsedendo aliquanto tempore viriliter cum Beneventanorum exercitus constrincxisset, tunc Ursus (3), electus praedictus, Sico iam fatus princeps (*sic*) deprecatus est, ut etiam amplius malum non proveniret, neque sanguis effunderetur Christianorum. Ad haec Sico Langobardorum princeps ammonicionem Electi praedicti audiens, Dei dilectam (*al.* destitit et) pacem inientes atque in scripto pactum affirmantes inter Neapolitanos et Langobardos, et obsides neapolitanos isdem princeps abstulit. Spopondit ipse Neapolitanorum dux cum universis suis hominibus sub terribili fortissimoque sacramento, atque in eadem (eiusdem?) pacti foedera per scriptam paginam affirmavit, se daturum ilico omni anno tributum, quod inter eos statutum fuit, atque suos numismatibus in ipsa civitatem prae mercimonia graderent, et ipse princeps Sico Ianuariique sancti martyris corpus de basilica, ubi per longa temporum spacia requievit, elevans (4), et cum magno tripudio Beneventum regreditur „ (*Chron. Anon. Salern.* c. 57).

Alias eiusdem facti circumstantias addit Homilia quaedam de Translatione reliquiarum S. Ianuarii martyris (5). " Tempore, ibi dicitur, quo Beneventanorum ac Samnitium princeps Sico Neapolim obsidebat. . . . . repente in mentem principis immissum est qualiter corpus b. Ianuarii martyris Beneventum reduci possit; cepit namque quosdam perquirere, quo in loco eiusdem ossa sacra tumulata tenerentur. Illico quidam professus est se optime noscere. Mox itaque sacrum ad locum fideles mittuntur, qui propere quod princeps summus sciscitatus est, invenere. Nam aperto tumulo, mirabilem ac coelestem thesaurum repererunt. . . . Igitur trementes gaudentesque sacra ossa tulerunt. Nec diu in castris latere poterant. . . Urbs simul clamoribus ac clangore tubarum movebatur. Ex improviso urbis multitudo castrorum concursu nesciens tantummodo alter ad alterum dicebat. Tandem a quodam diligentius perquisita res inventa est. Is ad urbem cucurrit et nunciavit dicens: *praesidium urbis nunc ablatum est, nam patronus noster Ianuarius qui tot tempora nos protexit, peccatis nostris merentibus a nobis nunc aufertur*. Omnes quoque Samnitium ordinati stabant submittentes capita sua et dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* „

" Interea Pontifex et omnes clerici cum reverendissimo Gucti praesule (6) inter densissima

(1) EINHARDI, *Ann.* ap. M. S. H. t. I, p. 215.

(2) Ibi dicitur: *Defendit patriam Francorum gentis ab ira,* etc.

(3) Male hunc electum Neapolis episcopum faciunt CHIOCCARELLIUS, O. c. p. 79; MAZOCHIUS, *In kalend. marm.* ad d. 21 mart. p. 64 et 65, *De SS. Neap. eccles. episc. cultu* p. 66, et 69, et MURATORIUS, *Ann.* ad a. 833, aliique. Ipse ad Beneventanam ecclesiam electus fuit, ut ex plurium monumentorum attestatione iure meritoque evincit DI MEO ad a. 830, quem vide. Cf. etiam *Chron. mon. S. Sophiae,* ubi: A. 831, ind. IX. *Ursus eligitur an. 8, m. 7.*

(4) Cf. etiam LEON. OST. *Chron.* I, 20, et *Epit. Chron. Casin.* in R. I. S., IV, p. 368.

(5) AA. SS. *Bolland.* ad d. 19 sept. t. V, p. 888. Hanc homiliam falsitatis arguit DI MEO, *O. c.* III, 849, sed parum firmas, vel plane futiles rationes ad sententiam suam sustinendam affert. Aliqua tantum ibi ego animadverto, quae cōevi quidem auctoris ignorantiam credulitatemque potius quam fraudem demonstrant.

(6) Quidam *Guttum,* vel vocem in codd. pro *Electo* erratam putant, vel ipsum Beneventi episcopum faciunt. Sed utraque minus recte. Guttus, qui in Homilia ab Pontifice in eadem translatione intervento discernitur, et, cum Ursus in ea fuerit, Beneventanae ecclesiae episcopus esse non poterat, revera fuit Abbas monasterii S. Sophiae, ut ex diplomate Siconis principis dato Beneventi a. nono? ind. XIV? eruitur. (V. *Regest. Benev. S. Soph.* P. III, n. 7, ap. UGHELLI, VIII, p. 628). In eo: *Sico Domini providentia Langobardorum gentis princeps per rogum* GUTTI *ven. Abbatis. . . nostri* concedit *curtem*

agmina cum hymnis et lampadibus sanctissima ossa ferebant . . . Princeps vero eximius tantae laetitiae copulatus, quam si urbem illam suae subderet ditioni, laetaturque quod patrem sibi suisque reduceret, quem nullus poterat praecedentium principum revocare. — Fama vero iam Martyris beneventanam urbem invaserat, unde omnis urbs cum lampadibus et hymnis obvia illi facta est . . . Igitur urbem beatificantes cum martyre suo ingressi sunt, quem in basilica sui beatissimi diaconi Festi posuerunt, donec illi summo cum honore locus in sua sede pararetur. Nam iuxta basilicam Dei genitricis Mariae semperque Virginis, quae Hierusalem cognominabatur, fuit, in qua etiam sedes antiquorum episcoporum et illius fuit. Hanc ecclesiam martyri Ianuario miro opere renovaverunt ; in qua etiam cameram marmoream elegantius constructam eximius princeps fieri mandavit, in qua corpora sanctorum martyrum locarentur. . . . . . Nam venerabilis Gucti praesul cum omni plebe ac multitudine populi, ad locum, in quo senator Gryphius beatissimum Festum et Desiderium locaverat, pergens, eosdem ad suum pontificem transvexit . . . Sacra vero corpora in praedicto loco locata sunt. Omnis civitas ad illam aedificationem confluxit ; etiam excellentissimus princeps Sico, qui coronam auro optimo excellentemque gemmis praetiosissimis de capite suis manibus deposuit et super altarium b. Ianuarii martyris locavit, quod ipse simul cum presule auro optimo , gemmis pulcherrimis, et figuris variis undique per totum fieri mandavit (1). „

Neque Anonymus Salernitanus, neque Homiliae auctor annum , quo haec supra memorata acciderunt, proferunt. At ex Ursi electi mentione, quem *Chron. mon. S. Soph.* ad beneventanam ecclesiam evectum adnotat a. 831, ind. IX , et ex tempore translationis reliquiarum S. Ianuarii, quem die 23 oct. in beneventano martyrologio celebratam scimus (2), non inepte coniici potest Neapolis obsidionem per aestatem anni 831, pacem vero et sancti martyris reliquiarum e Neapoli abductionem autumno eiusdem anni evenisse.

Nec diu pax stetit. Anno insequenti (832) bellum rursus instauratum est, Neapolisque iterum obsessa. Tunc Sico princeps, ut Ioh. Diaconus asserit , cum Parthenopensium civitatem nullo modo ad suum imperium reducere posse videret , ad dolos se convertit. Corruptis enim quibusdam ipsius urbis civibus , et per multa munera ad defectionem inductis , legatos suos Neapolim misit, ut sub specie firmandae pacis, quam Stephanus dux petierat , cum coniuratis necem eiusdem ducis statuerent. Ita condicto die cum Stephanus, et ipsi legati, qui in aedibus episcopii moram elegerant, ante fores ecclesiae Stephaniae ad tractatum subscribendum convenissent, ex inopinato fautores Siconis principis impetu facto in ducem irruerunt, et eum peremerunt (3).

Id die 16 m. maii accidisse ipsius Stephani ducis epitaphium, quod plerique nostri scriptores referunt, et ego infra repetam, testatur, atque ex Chronographi nostri supputatione, et ex ducum , qui ante vel post eum fuerunt , annis

in Desiniano in integrum *Malloni hostiario . . . nostro et filio Magiperti castaldi. . . . nostri* etc. Ubi animadvertendum est extrema verba, in editis omissa, ex cod. Ms. eiusdem *Regesti* apud me servato addita fuisse, et vel annum principatus Siconis, vel indictionem in diplomate aliqua correctione indigere. Nam ind. XIV (a. 821) cum anno quarto vel quinto Siconis, et annum nonum eiusdem, qui in a. 825-826 incidit, cum ind. III, vel IV coniungere oportet.

(1) Eadem refert Siconis epitaphium (PEREGR.-PRATILL. III, p. 310), in quo haec habes :

Obsidione quatit Romanas saepe catervas Urbis Parthenope falsidicosque viros.
Qui dominis solita Samnitum fraude rebelles Pellere Bardorum fortia iussa volunt.
Quos Sico perdomitos congressu fortis in omni Servitia impellit, solvere quaeque iubet.
Ariete propulsat muros virtute suorum, Donec victa cadat pars inimica sibi.
Qua victi pugna servitia digna reposcunt, Quae Beneventanus solvere gaudet hians.
Abstulit inde etiam Beneventi in sede locatum Ianuarium quondam fortis athleta dehinc,
Cuius templa replens argento auroque recocto His dedit ut iaceat corpus inane locis.

(2) CARACCIOLO, *De sacris Neap. eccl. monum.* p. 245.

(3) *Chron. Cav.* Pratillianum mortem Stephani ducis a. 821 ind. VIII adnotat. *Stephanus* ibi dicitur, *magister militum a suis occiditur cum omnium displicentia.* Pseudo-Ubaldus contra ad a. 826 eam collocat; quod ex Muratorio facile depromserat. Male vero, uti ex supra dictis patet, in utrisque.

item confirmari potest. Nam anni 10 et m. 10, quibus Stephanus ducatum rexit, recte in m. maio a. 832 finem faciunt.

Neque his, ut mihi videtur, aperte obstat Iohannis Diaconi testimonium, qui *aestivo tempore quando segetes reponuntur*, Stephanum occisum fuisse dicit. Si enim Iohannes diaconus errore, vel memoriae lapsu deceptus non fuit, mensem maium ad aestatem referre facile potuit. Scio equidem epitaphium ipsum a p. Di Meo falsitatis nota insimulatum fuisse, sed doctum virum maxima, quam in Pseudo-Ubaldo reposuit, fides transversum egit. Nam argumenta, quibus ipse opinionem suam firmare conatus est, vel parum firma, utpote ex ipsius Ubaldi auctoritate desumpta, vel ad rem minime accomodata mihi videntur. Sed de his infra opportunius. Heic tantum animadvertisse satis est quaedam ex eo, et praesertim indictionem inibi appositam, minus recte a patriis auctoribus exscriptam fuisse.

822. ind. XV. Michahel et Theophilus an. 21.

Chronologus noster epocham Michaelis, qui *Balbus* ob linguae defectum, et *Amorraeus* ab urbe Amorii, in qua natus fuerat, dicitur, heic etiam a m. sept. sequenti adnotat. Revera

Michael

A. m. $\frac{6314}{6330}$ = Chr. 814-815 = Æ. v. 820-821, die nativitatis Domini ind. XIV, adhuc compedibus vinctus e carcere a coniuratis, qui Leonem occiderant, extrahitur, et in palatium ductus coronatur. LEO GRAMM. p. 357; SYM. LOGOTH. p. 310; ZONAR. XV, 21; GENES. p. 13.

Id vero GEORGIUS MON. p. 382 ad A. m. 6316 = Chr. 816 adnotat. — Cf. chartam a. 5, m. ianuario ind. IV (a. 826) ap. FANTUZZI, *Mon. Rav.* II, n. 7.

Male omnino *Chron. mon. S. Soph.* ubi A. 773, XI, *Michael alius a. 8, m. 9.*—A. 782, V. *Theophilus a. 12, m. 4.*

Michael imperat

a. 8, m. 9, NICEPH. *Chron. brev.* p. 322; LEO GRAMM. p. 357; SYM. LOGOTH. l. c.; GEOR. MON. l. c.; HAMART. 263, 1; ZONAR. XV, 24; IOEL. p. 143; GENES. p. 23.— vel strictius a. 8, m. 9, et d. 9 (1).

— vel a. 9 (non expletis) *Catal. Casin. impp. romm.*; IOEL. l. c. *Catal. Byz.* II, IV et V.

— vel a. 8 non habita ratione mensium. GLYCAS p. 223; aut a. 8 et m. 5. *Catal. Byz.* VI (2).

Michael moritur

m. octobri (die 4) ind. VIII (a. 829). CONST. PORPH., *Chron.* III, 1; SYM. LOGOTH. p. 311; CEDREN. p. 404; GENES. *l. c.*

Theophilus

Michaelis f., qui in collegam iam a patre ind. XV (a. 821-822) adscitus fuerat, ei

A. m. $\frac{6323}{6338}$ = Chr. 823-824 = Æ. v. 829-830, ind. VIII, octobri mense in imperium succedit, et die Pentecostes (5 iun.) sequentis anni ab Antonio patriarcha coronatur. SYM. LOGOTH. p. 312; CONST. PORPH. III, 1; CEDREN. p. 404; LEO GRAMM. p. 358; GENES. p. 24.

— vel A. m. 6326 = Chr. 826 iuxta GEORG. MON. p. 384.

Theophilus imperat

a. 12, m. 3, d. 20 vel 10 (3). NICEPH. *Chron. brev.* p. 322 et *Notae* ad eumd. p. 87.

— vel a. 12, m. 3, diebus non supputatis. CONST. PORPH. *Chron.* III, 41; HAMART. 264, 1; ZONAR. XV, 29; CEDREN. p. 419; IOEL. p. 178; GLYCAS, p. 223, et *Catal. Byz.* IV, V et VI.

— vel a. 12, non habita ratione mensium. LEO GRAMM. p. 358; SYM. LOGOTH. p. 414; GEOR. MON. p. 514; *Catal. Byz.* I, II et III; et *Catal. Casin. impp. romm.*

— vel a. 13 (non expletis) NICET. *Vita S. Ignat.* in Aa. Ss. *Boll.* ad d. 23 oct., t. X, p. 169 (4).

(1) CONST. PORPH. II, 28 et ex eo CEDREN. p. 404, pro annis menses et pro mensibus annos vicissim mutant, ac a. 9, m. 8 adnotant.

(2) Male *Catal. Byz.* III, eum forte cum alio Michaele confundendo, a. 11 signat.

(3) Rectius diebus 15.

(4) Auctor *Orat. hist. de Orthodoxia* ap. DUCANGE *Notae ad* ZONAR. p. 78, a. 12, et m. 6 ei tribuit.

Theophilus moritur

die 20 ian. ind. V. (a. 842) LEO GRAMM. p. 363, CONST. PORPH. l. c.

Chronographus noster annos utriusque cumulat, diebus omissis. Ita etiam in *Vita S. Athan.* n. 3, auctor diem nativitatis illius indicat notis chronologicis : *imperante Michaele et Theophilo ind. X.* (a. 832), cum Michael duobus ante annis iam obiisset.

Huius (Theophili) XI an. X. indict. Bonus dux Neapolim an. 2.

Ex hisce notis a Chronographo nostro signatis, et ex iis, quae de Stephano duce superius dixi, Bonum in m. maio a. 832 ducatum neapolitanum arripuisse satis liquet. *Mox ut Consul factus fuit, ex suis complicibus alios lumine privavit, alios perpetuo relegavit exilio.* (IOH. DIACON. n. 43). Tum Siconis principis ex fautore hostis praelia contra Langobardos iterum instauravit, et eos, ut in eiusdem epitaphio dicitur, *perdomuit bellis, triumphis subdidit.* Nam Acerrarum, Atellarumque castella, fugatis custodibus, diruit, et Furclas, concussis Sarnensis regionis locis, et multa praeda inde abacta, incendit. At brevi in fata concessit; nam m. ianuario ind. XII, a. 834 obiit, cum in ducatu vixisset tantum a. 1 et m. 6, ut IOH. DIACONUS l. c. et eiusdem epitaphium, aut annis duobus (non expletis), ut Chronicon nostrum adnotat.

Et XII eiusdem (Theophili) anno, XI. ind. Sicardus princeps Beneventi a. 5, m. 6.

Annus duodecimus Theophili et ind. XI, itemque anni principatus Siconis, qui, ut supra dictum est, in m. septembri finem habuerunt, initium principatus Sicardi ad m. septembrem ex. vel ad m. octobrem ineuntem a. 832 ablegant; quod, et documenta confirmant, et Di Meo consentit. Annum antecedit *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 831. X. *Sicardus*, adnotatur.

De bello, quo ipse Neapolitanos instanter lacessivit, infra dicam; hic tantum ea, quae his temporibus in Amalphitana (1) civitate evenerunt, unde ipsa a neapolitano ducatu penitus avulsa fuit, memorari sufficiat. Nam cum " quidam Amalphitanorum maiores natu, linquentes natalem solum, se huius (Sicardi) dominatui sponte subdidissent, alii vero, quamvis a suis affinibus et concivibus per missas clam epistolas excitarentur, quatenus propria linquerent, nequaquam huic rei acquiescere maluerunt. Quapropter Langobardorum phalanx, cum magna audacia a praedicto Sichardo principe absoluta, Amalphiam devenit, atque ipsa civitate sine humani sanguinis effusione? est silicet capta ac depopulata . . . Sed quamvis Sichardus princeps id enixe conaretur, ut Amalphitani cum Salernitanis inter se inirent connubia, et unus efficeretur populus, tamen duci parthenopensi quidam Amalphitanorum flexerunt caput. „ (*Chron. Anon. Salern.* c. 73-74).

Sicardus, qui uxorem habuit Adelchisam Dauferii *balbi* vel *muti* filiam (*Chron. Anon. Salern.* c. 50, 56, 68), principatum rexit a. 6, m. 10, ut *Catal. Benev. Casin.* et *Chron. monast. S. Soph.* atque *Catal. Anon. Salern.* habent. Quibus etiam, meo iudicio, accensendi sunt, Chronographus noster, qui vel ex ratiocinandi errore, vel ex librarii oscitantia habet a. 5, prò 6, et m. 10, ac *Catal. Benev. Cav.* qui contra an. 3 et m. 10 adnotat. *Catal. Salern.* a. 7 (non exactos) ei tribuit. Sicardus occisus fuit a. 839, ind. II, ut *Chron. monast. S. Soph.* asserit, verisimiliter m. iulio vel augusto. Cf. Di Meo ad a.

Et XIII. eiusdem (Theophili) anno XII. ind. Leo, dux Neapolim a. 7.

Bono, ut supra dixi, m. ianuario anni 834 defuncto, successit in ducatu neapolitano Leo filius eius, quem post *sex mensium dies* Andreas socer eius e solio expulit (IOH. DIACON. n. 44). Concordat Chronographus noster, qui vel dies ultra mensem sextum transactos pro mense integro habuit, et m. 7 Leoni in ducatu tribuit, vel, diebus aliquot successoris posthabitis, initium ducatus eiusdem cum initio anni graecanici coniungere voluit.

(1) Cf. etiam *Hist. inventionis ac transl. et mirac. S. Trophimenis* n. 20 ap. Aa. Ss. *Bollandi*, ad d. 5 iul. II, 223; et APICELLA, *Relaz. stor. crit. degli atti di S. Trofimena*. Nap. 1789, in 8.

Et XIIII ipsius (Theophili) anno XIII ind. Andreas dux Neapolim a. 5, m. 5.

Hae notae chronologicae, et quae supra de Leonis ducatu conieci, mensem septembrem a. 834 designant, quo Andreas *factus est Consul.*

Contra hunc, ut Ioh. Diac. asserit, Sicardus, Beneventanorum princeps, innumerabiles molitus est irruptiones, quarum aliquas a chronographis speciatim memoratas heic subiicio.

Mortuo enim Sicone, neapolitanus dux, ut ex Anonymo Salernitano discimus, "quod iureiurando promisit tributum, distulit dare. Post aliquantum temporis spatium furore vehementer repletus princeps Langobardorum Sicardus cum universo principatu suo Langobardorum prope neapolitanam advenit urbem, quam et trium mensium spatium obsidens, atque ex omni circumdans parte, cotidie fortiter eam expugnabat, omnia extra urbem ferro et igne devastans atque funditus demoliens, consumsit, ut neapolitanam capere potuisset urbem, nam et corpora sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria abstulit. Haec dum gesta fuissent, Neapolitani de intus veniam poposcebant, sed ipse Princeps ironiam eis nimirum faciens, iuxta ipsius civitatis moenia, telam ordire denique fecit. At illi tanto metu percussi (sunt), ut sermones non lapides ei iniicerent; sed consilium inierunt quatenus iram eius saevissimam mollirentur. Tunc bonam famam habentem monachum (1) nimirum miserunt, ut ab eodem principe veniam obtinerent. Dum monachus ante tentorium principis devenisset, mox tellure prostratus pro suis civibus veniam poposcebat, atque, eius ditioni demum civibus (cives) deservirent, vehementer scilicet asserebat. Ipse princeps misericordia motus in eadem civitate. . . Rofrit legatum denique misit. Dum Rofrit Neapolim introisset, civitatem ipsam undique expiavit, atque in eius platea montuosam terram cernere coepit. Sed dum sciscitaret atque diceret: *quid velit hoc esse;* illi Neapolitani nimirum taliter verba prompserunt: *Nostrae aedes tritico nempe sunt plenae, sed tritico remanente proinde ipsum in platea eiecimus, sed iam denique periit.* Sed aliud non erat nisi nimirum arena, et pauca tritici grana super arenam sparsa habebant, et iam ipsa denique renascebant. In hunc modum virum strenuissimum illuserunt, quia iam valida fame oppressi erant et mensis iulii ipso tempore percurrebat, et inchoante mense maii ipse iam dictus princeps ipsam civitatem circumdedit. Atque, ut ferunt plurimi, quod vulgus vas *flascones* vocant, solidorum plenum dederunt Rofrit in tali videlicet ordine, ut citius regredi (principem) faceret. Dum Rofrit ad dominum suum venisset, talibus eum allocutus est verbis: *Mi domine princeps, hic minime maneamus, et ad propriam nimirum regrediamur, atque illorum dimitte denique noxam, et omni anno vestrae eminentiae exolvant tributum, quia modiorum multorum triticornm ego ibidem vidi; proinde, si placet, per paginam scriptam vestrae ditioni tributa persolvant.* Hiis auditis, princeps acquiescit denique sermonibus suis, atque ut talia fieri iussit. Sic namque per paginam scriptam talia firmaverunt, atque ipsum foederis scriptum in sacro salernitano palatio adhuc hactenus manet, et in sua inchoatione huiusmodi textum invenimus: *Eu ego Sicardus Domini gratia princeps concedo vobis Neapolitanis pacem et firmissimam libertatem.* Et ibidem continetur numerus solidorum, et foedera pactionum, quae ommisimus plane sigillatim retexere cuncta. His ita gestis callem, quem reliquerat, iterum repedavit, atque cum magno tripudio Beneventum remeavit. „ (*Chron. Anon. Salern.* c. 63 et 64.)

Si tractatus pacis, de quo Chronographus loquitur, idem esset ac ille, cuius adhuc priora capita nobis supersunt, et deinceps exponentur, certo supradicta Neapolis obsidio ad a. 836 ind. XIV. ableganda esset. Sed dubium facit varietas verborum, quibus uterque incipit, et solidorum in tractatu ab *Anon. Salern.* memorato pactum, de quibus nulla in alio anni 836 mentio, ex quo non sine ratione alterum ab altero diversum Di Meo putavit. Quae cum ita sint, hanc obsidionem potius in anno 835 accidisse existimo, *quo tempore*, ut *Vita S. Athanasii*, si eius verba strictim accipienda sunt, tradit, *ingentem sustinebat dicta urbs (Neapolis) a Langobardorum agminibus persecutionem.* Pax autem anno insequenti facta ad aliam obsidionem referenda est, et fortasse ad illam, quae Saracenorum ope resoluta fuit. Nam sive Neapolitanorum sive Langobardorum culpa,

(1) Pseudo-Ubaldus ei Altravalli mentitum nomen tribuit. PEREGR.-PRATILL. III, 42.

rupto foedere, et urbe iterum a Langobardis obsessa, dux Andreas periculo commotus per legatum suum a Saracenis, qui omnem tunc Siciliam occupaverant, auxilium petiit, quod ei libenter largitum est. Ita a barbaris classe Neapolim advectis urbs ab obsidione liberatur; Sicardus enim eorum adventu perterritus infidum, cum duce Andrea et *quasi ad tempus* iniit foedus, atque *omnes ei captivos reddidit.* Saracenicae autem cum duce Andrea pactionis monumentum, nî fallor, extat adhuc nummus ille arabicis characteribus inscriptus, in quo Andreae neapolitani ducis, nomen legitur (1).

Per haec tempora scil. vel in una, vel in altera ex iis expeditione id, quod vetus *Vita S. Antonini Abbatis* tradit, accidisse (2) dicendum est. " Princeps beneventanus Sicardus, ibi narratur, ceteris finibus suae ditioni subiugatis terram etiam Syrrentinorum eadem intentione invasit. Cunctis ergo in circuitu terminis hostili manu vastatis praedictam civitatem, acie in gyrum ordinata, expugnare aggreditur.... Interea per totam civitatem trepidatur; uterque sexus omnis aetas, omnis ordo pavore percellitur...et, quod extremae spei residuum fuerat, ad ecclesias curritur, divina clementia, et sanctorum suffragia implorantur. Cum interim lapis murali tormento emissus vasto impetu stridens ferebatur, et muri locum, ubi corpus sanctum (divi Antonini) fovetur, advolavit sed non violavit, assiluit sed non comminuit, clamor furentium attollitur, plausus interea dissultat credentium se hiatu per lapidem facto pro porta mox usuros. Sed cum ingenti crepitu repercussa mola ne signum quidem collisionis dedisset, mirantibus quidem cunctis, sed coeco furore ad repetendum ictum machinam reficientibus, nox soporifera perveniens praelium diremit. Ducem dehinc in somnum artus fessos resolutum sanctus Christi confessor Antoninus superassistens: *Tu ne*, inquit, *et ossa in Christo quiescentium dissipare venisti? Et viso auditoque Dei miraculo ne sic quidem ab incepto noxio desistere voluisti? . . . . Disce nunc, qui levem admonitionem sprevisti, severa saltem correptione castigatus resipiscere* . . . Haec dicens virga, quam manu gestabat itus et reditus per dorsum emetiens salubris magisterii graviter ad viam eum errabundum retraxit. Mane igitur facto visa per ordinem referens, et minus credentibus lividos ictuum tractus in cute demonstrans, quod opus esset facto sciscitatus est. Illis in diversum consilia distrahentibus, et de statu discessuque, bello et pace dissentientibus, ecce nuntii propero cursu vix respirantes astiterunt, qui filiam herilem a daemonio vehementissime correptam .. asseverant. A quibus cum didicisset eandem horam filiae primum desipientis, quam petrae tumulum sanctum pridie ferientis, omnis iam erroris perpetrati, et confessoris exacerbati ambiguitate remota, castra illico deserens, propria repetit, et filiam confestim male sanam, salubri consilio reperto, gemmis auroque fulgentes vestes indutam et pretiosissimo metallici operis apparatu exornatam, sui monitoris arbitrio misit regendam. Rogabat ab eo veniam, cui nuper intulit iniuriam..... Nec preces supplicis, solitus subvenire miseris, aspernatus Antoninus inimicum expulit, animum reddidit. . , . et quae veniebat rationis et sui nescia, redibat tranquillissima mente composita (3) .„

Non multo postquam dux Andreas infidelium Sarracenorum ope liberatus fuerat, ipsis Siciliam regredientibus, Sicardus rupit foedus et *ampliavit adversus Neapolim inimicitias.* Tunc Andreas Consul Franciam legatum suum direxit a Lothario imperatore deprecaturum, ut saltem eius praecepto Sicardus ab continuis adversus eum incursionibus se se abstineret. Lotharius vero Contardum, fidelem suum, misit, et ei iniunxit, ut beneventano principi praeciperet, ne

(1) SPINELLI, *Monete cufiche*, p. XXVI.

(2) *Chron. Cav.* Pratillianum illam ad a. 835 refert sic: *Surrentus a Sicard aggreditur, sed Dei ope statim liberatur ab obsidione per socios suoz. Postea Neapolim aggreditur pro tributo quod ei debebant Neapolites per ind. 14.*

(3) *S. Antonini abb. Vita,* ab anonimo auctore, saec. IX vel X descripta, extat in Aa. Ss. *Bollandi* ad d. 14 febr. t. II, p. 789. — Hanc vitam primus edidit Neap. a. 1626, P. d. Antonius Caracciolus ex cod. Ms. papyraceo, qui iam olim descriptus fuerat ex antiquiore cod. Langobardico monasterii S. Renati in agro Surrentino. Iterum recusa in Annalibus et Actis Ss. O. S. B. (IV, 1, p. 417), postremo inserta fuit, et commentario illustrata in libro, cui titulus: *Dissertazione critico-storica circa l' età di S. Antonino abate* etc. Nap. 1789, in 8.°

amplius Parthenopensem populum persequi vellet, sin minus *vesanum eius furorem ipse medicaretur*. At Contardus, cum Neapolim pervenisset, Sicardum a suis concivibus occisum repperit, et idcirco ad suum *seniorem* reverti voluit. Sed Andreas, magister militum, *propter ingruentem Langobardorum inimicitiam*, tenere curavit, promittens ei Eupraxiam, filiam suam, dare in matrimonium, quae uxor fuerat praedicti Leonis, filii Boni ducis. Qua sponsione accepta, consistens repedare contempsit; sed ubi cognovit idem Contardus huiusmodi copulam illudendo protelari, coniuravit cum inimicis Andreae Consulis, et eum in loco basilicae S. Laurentii, qui *ad fontes* dicitur, gladio percussit, et consulatu suscepto, eamdem duxit Eupraxiam. (IOH. DIACON. n. 57).

Id, ut ex Chronographi nostri testimonio argui potest, verisimiliter m. februario vel martio a. 840 accidisse dicendum est. Nam si Andreas m. septembri a. 834 ducatum neapolitanum arripuit, et ipsum per annos 5 et m. 5 tenuit, eius occisio in dicto tempore collocari debet.

Item in XVIII anno (Theophili) II. ind. Radelchis princeps Beneventi, ann. 11, m. 10.

Chronographus noster initium principatus Radelchis in a. 18 Theophili et ind. II, idest inter diem 1 m. septembris a. 838, et diem 31 m. aug. anni 839 collocat. Cum autem anni, quibus imperavit Sicardus, finem habuerint, uti supra dixi, in m. iulio ipsius a. 839, Radelchis m. iulio exeunte, vel augusto, in quo ind. II. decurrere desiit, principatum suscepit. Quod et *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 839, II. *Radelchis constituitur*, habet, et diploma eiusdem principis *actum Beneventi in palatio primo anno decimoseptimo (die ?) intrante m. iulio ind. III* (a. 840) confirmat (1). Male autem *Chron. Cav.* habet A. 843, VI. *Radelchis.*

Sicardo itaque a suis interfecto, Radelchis thesaurarius eius, sive secretarius palatii, ei successit in principatu, quem pacifice paucis mensibus tenuit (2). Is ex uxore Caretruda, cuius epitaphium adhuc superest (3), filios habuit, praeter alios, Ursum, qui ei praemortuus fuit, et epitaphium cuius etiam habemus (4), Aionem, qui fuit Beneventi episcopus, et Radelgarium atque Adelchim, qui ei deinceps successerunt.

Principatum denique rexit annis 11 et m. 10, ut Chronographus noster, et *Catal. Benev. S. Soph.* aut ann. 11 et m. 11 (non expletis) ut *Chron. Anon. Salern.*, aut ann. 13 (primo et extremo pro integro habitis), ut *Chron. de monast. S. Ben.* et *Catal. Benev. Cav.* adnotant. Obiit vero m. maio vel iunio anni 851.

Primo anno principatus ipsius per ind. III? prid? (5) Kal. sept. (a. 839) Amalphitani egressi sunt de Salerno, et Comitem sibi praeposuerunt quemdam Petrum nomine. (*Chron. Anon. Salern.* c. 90). Ab isto incipit series iudicum et comitum ac praefectorum, qui Amalphitanum ducatum rexerunt usquequo ipsi ducum titulum assumpserunt (6).

Et eiusdem (Theophili) XVIIII, anno III ind. Sikenolphus, primus princeps salernitanus, a. 10.

Anno XIX Theophili, ind. III, idest inter m. septembris 839, et m. aug. 840, et proprie m. decembri anni 839, ut ex aliquorum instrumentorum notis chronologicis argui potest (7), Siconolphus, Siconis principis filius, e Tarento, ubi exul

(1) *Regest. Benev. S. Soph.* P. III, n. 36 in UGHELLI, VIII, 644.

(2) Cf. DI MEO ad a.-*Anon. Salern.* (c. 69) asserit Radelchim tenuisse *pacifice principatum tantum duobus et dimidio anno*: sed vel hallucinatus est, vel librarius annum, ut Di Meo suspicatur, ex errore pro mense scripsit.

(3) V. PEREGR.-PRATILL. III, p. 312.

(4) V. PEREGR.-PRATILL. III, p. 315.

(5) Si haec lectio recte se se haberet, vel indictionem a kal. ianuarii supputatam fuisse, ut ASSEMANI, t. I, c. 16, n. 26 autumat, vel *pridie kal.* pro *per diem kal.*, ut editores *Annalium* p. Di Meo coniiciunt, scriptum fuisse dicendum esset. Sed Cod. Vat. ex editione Pertzii, ac *Chron. Amalph.* ap. MURATORI, *Antiqu. Ital.* I, c. 209, kalendas septembris et ind. III recte adnotant et omnem difficultatem penitus amovent.

(6) Cf. eruditum opus, et quamplurimis usque adhuc ignotis documentis refertum ab egregio viro MATTHAEO CAMERA, nuper editum, cui titulus: *Memorie storico-diplomatiche della città e ducato di Amalfi*, Salerno 1875, p. 141.

(7) Ex duobus instrumentis tabularii Cavensis, altero eorum mense decembri ind. VII (a. 843) et anno quinto principatus Siconolfi, altero mense octobri ind. XII (a. 848) et anno nono eiusdem inscriptis (*Cod. dipl. Cav.* t. 1, p. 21, et 36),

et captivus a Sicardo fratre detinebatur, fuga lapsus, quorundam magnatum beneventanorum, et præcipua Salernitanorum ac Amalphitanorum ope Salernum transgressus, ibi primus salernitanus princeps constitutus est. Landulphus etiam, Capuae comes, a Radelchisii dominatione tunc se subducens, Siconolpho sociatus est, ac primum cum Neapolitis pacis coniunxit foedera (1). Ex illo atrox, et ut *Ignoti Casinensis* verbis utar, *perexecrabile* bellum inter Radelchim cum Beneventanis, atque Siconolfum cum Salernitanis per plures annos exarsit; Saracenis, qua ex Aphrica, qua ex Hispania accitis, utrimque pugnantibus, et omnia in Italiae cis-Tiberinae regionibus caede, rapina, incendio complentibus. Demum circa a. 847, praesertim Guidonis, Spoleti, ac Sergii Neapolitanorum ducis consilio et opera, facta est inter aemulos pax et *divisio terrae* sive principatus beneventani, atque a. 849 ab imperatore Ludovico firmata et absoluta (2), cuius capitulare ad-

recte erui potest ipsum saltem a m. decembri a. 839 initium principatus sumpsisse. Cum autem in alio instrumento eiusdem tabularii mensis item december, ind. XI (a. 847), et annus octavus ipsius principis habeatur (DI BLASI, *Series principum, qui Langob. aetate Sal. imper.* mon. CV.), qui ex dicta supputatione nonus esse deberet, non inepte doctissimus vir p. Di Blasi Siconolfum postremis m. dec. diebus principem dictum fuisse putat, *ita ut primis inde eiusdem mensis sequentis anni diebus primum adhuc annum numeraret, ultimis secundum.* DI BLASI, *O. c.* p. 53 not.

(1) ERCHEMP. c. 14-15; *Chron. Anon. Salern.* c. 79; *Ignot. Cassin.* c. 8, 10, 11.

(2) De anno, in quo principatus Beneventanus divisus fuit, et pax inter Radelchisium, et Siconolfum principes firmata inter scriptores ambigitur. Sunt enim qui, ut MURATORIUS, ad a. 848, qui, ut GRIMALDIUS, ad a. 850, qui, ut IANNONIUS et ASSEMANIUS, LEONIS OSTIENSIS sententiam secuti, ad a. 851, qui denique, ut DI BLASI et DI MEO, ad a. 849 id factum putant. Et hi quidem rectius, nam eorum opinio pluribus argumentis probatur, ut videre est apud ipsum DI MEO, t. IV, p. 107 et ss. Cf. etiam DI BLASI, *O. c.* p. 4 in not.

Animadvertendum tamen est primum pacis et divisionis tractatum paulo ante annum 849 initum et consultum, quamvis non absolutum, fuisse. Id iam Di Meo ex *Chron. Anon. Salern.* c. 84; ubi vero nulla temporis nota inscribitur, coniecit, et auctoritate praesertim *Chronici Amalfitani*, et *Cavensis* ad a. 844 ablegavit. Sed potius rem circa a. 847 actam fuisse documentum nuper editum apte demonstrat. Nam Lotharius imp. in Synodo habita Franciae eo anno, quo *ecclesia b. Petri* Romae a Saracenis *vastata est et direpta*, a. scil. 846, plura pro tuitione et securitate eiusdem ecclesiae et urbis decernit, et inter alia missos ab eo constitutos fuisse declarat, qui *in Beneventum ad Sigenolfum et Radelgisum vadant* ut *eos inter se pacificent, et regnum beneventanum inter eos aequaliter dividant.* Documentum ipsum ex cod. Ms. Capituli Novariensis, sign. XXX, et manu saeculi X exeuntis vel XI ineuntis exarato, cl. vir FRED. MAASSEN primus vulgavit in *Sitzungsberichte der Akad. der Wissenschaften — Philosoph. Histor. Classe* Vindobonensis t. 46, f. 68, a. 1864, et post eum BLUHME in *Zeitschr. für Rechtsg.* vol. XI, a. 1873, ac ex parte REIFFENSCHEID in *Bibl. patr. lat. it.* II, 2. (Cf. *Archiv. stor. ital.* III serie, t. XXI, p. 347). Cum autem plura ibi habeantur, quae ad rem nostram faciunt, ea in lectorum commodum excerpta heic repetere utile fore duxi:

Incipit Synodus habita F(r)ancia tempore Domini Hlotharii Imperatoris pro aedificatione novae Romae.

Cap. I. Quia divina pietas nos et karissimum filium nostrum ad commune colloquium pervenire concessit, prudentiae devotionique vestrae, de quibus hic tractavimus et definivimus, breviter intimavimus.

. . . .

VII. Quia pro peccatis nostris et offensionibus aecclesia (*in codd.* aecclesie) beati Petri hoc anno a paganis vastata est et direpta, omni desiderio et summa instancia elaborare cupimus, qualiter ecclesia restauretur, et deinceps ad eam paganonum accessio prohibeatur. Itaque decernimus et hoc apostolico per litteras nostras et missos mandamus, ut murus firmissimus circa ecclesiam beati Petri construatur. Ad hoc vero opus collationem pecuniae ex omni regno nostro fieri volumus, ut tantum opus, quod ad omnium gloriam pertinet, omnium subsidio compleatur.

VIII. Admonendi erunt episcopi per omne regnum domini Imperatoris Hlotharii, ut praedicent in ecclesiis suis, et civitatibus, et eos, qui sine beneficiis sunt et alodos atque pecunias habent, atque cohortando et incitando suadeant, ut, sicut illi facturi sunt, qui beneficia possident, ita ipsi etiam de pecuniis suis collationem faciant ad murum faciendum circa ecclesiam beati Petri Apostoli Romae, eo quod hoc doceat (*sic in ed. an* deceat?) plurimum, ut matrem filii honorent, et in quantum valent tueantur atque defendant.

IX. Decretum quoque et confirmatum habemus, ut karissimus filius noster cum omni exercitu Italiae et parte ex Francia, Burgundia atque Provincia in Beneventum proficiscatur (*in cod.* proficiscantur), ut inde inimicos Christi Sarracenos et Mauros eiciat, tam propter hoc, quod ipse populus nostrum auxilium expetit, quam propterea, quod certissime novimus,

huc extat (1), et a Peregrinio vulgatum fuit.

Siconolfus, cui coniux Itta (*Chron. Anon. Salern.* c. 86), huic divisioni non diu supervixit, nam eodem anno III. dec., quo successoris nomen in instrum. Cavensi habetur (V. infra), obiit; cum principatum obtinuisset a. 10 ex Chronographi nostri, et *Catal. Salern.* affirmatione; mensium, vel plus, vel minus, iuxta varios calculos, ratione non habita. Aliquot menses vero addit *Anon. Salern.* c. 86, epocham forte a morte Sicardi supputans.

Eodem anno Contardus in Neapolim dies quindecim.

Contardus, occiso Andrea, ducatum neapolitanum arripuit m. februario a. 840, iuxta Chronographi nostri sententiam per dies 15. At Iohannes Diaconus tribus diebus tantum post mortem soceri eum imperavisse asseverat. *Neapolitani,* ille enim inquit, *commoti de morte turpissima sui ducis post tres dies unanimes irruunt episcopium, quo ipse manebat, et, confecto feroci bello, Contardum suamque coniugem, et homines eius trucidarunt.* Forte a Chronographo nostro dies duodecim, in quibus res ad interregnum rediit, ipsi Contardo adtributi sunt, vel potius trium dierum intervallum non a morte Andreae, sed a die, quo Contardus *consulatu suscepto eamdem duxit Eupraxiam* et in ducatus possessionem venit, accipiendum est.

Iterum XVIIII anno (Theophili) tertia ind. Sergius dux Neapolim a. 25, m. 3.

Eodem anno XIX Theophili, ind. III, scil. a. 840, et forte m. (2) martio Neapolitani, postquam Contardum occiderant, inito consilio Sergium ducem *libenti animo* constituerunt. Erat hic Marini et Euprassiae filius, ac castri Cumani comes. Diluculo ipsius diei, quo peremptus est Andreas dux, ad Siconolfum, *obsidentem tunc Beneventum,* forte legatus profectus fuerat. Cum autem illinc reverteretur, in suessulano territorio audivit Contardi occisionem, atque, ut se de hac re certiorem faceret, Cumanum castrum recta tetendit. Ubi nuntios Neapolitanorum, qui ei Duçatum offerebant, accepit, et statim Neapolim adiens, supremum illud munus obtinuit (3). Ex ea die Neapolitanae reipublicae summa apud huius Sergii familiam semper fuit, et usque ad Rogerium I. Siciliae regem stabiliter permansit.

si infideles illam terram obtinuerint, eos Romaniam, quod absit, et magnam partem Italiae invasuros. Ipse vero filius noster ita ire debebit, ut VIII kal. febr. ad Papiam cum exercitu veniat, medio Marcio ad Alarinum (*Minus recte editor corrigit hic* Apostolicum. *Alarinum est Larino in aprutina provincia*) perveniat.

X. Summopere iubemus et modis omnibus observandum censemus, ut quicumque illuc ibunt, sine praedatione Christiani populi vadant, quoniam propter hoc magnum nobis malum accidisse non dubitamus.

XI. Missos quoque nostros constitutos habemus Petrum venerabilem episcopum, Anselmum vocatum episcopum, et Witonem, inlustrem comitem (Cf. *Chron. Anon. Salern.* c. 83 et 84), qui in Beneventum ad Sigenulfum et Radalgisum vadant, et eos inter se pacificent, legesque et condiciones pacis aequissimas inter eos decernant, et regnum Beneventanum, si pacificati fuerint, inter eos aequaliter dividant, atque ex nostra parte eis securitatem et consensum honoris sacramento confirment, et ab eis similiter ad nostram partem adiutoriumque filii nostri expulsionemque Sarracenorum sacramentum accipiant.

XII. Sergio quoque magistro militum mandamus, ut ipse pacis auctor inter illos et auxiliator filii nostri existat: similiter Apostolico et Petro Venaeciarum (*sic*) duci, ut adiutorium et Pentapolim et Venecia navali expeditione faciant ad opprimendos in Benevento Sarracenos etc.

(1) Peregr.-Pratill. III, p. 212.

(2) Huc usque liber processerat, cum tandem ad manus meas pervenit novum M. G. H. volumen, in quo *Scriptores rerum Langobardicarum et italicarum saec. VI-IX* iterum recensentur. Ego igitur deinceps et in operis continuatione, et in *Addendis*, si qua mihi iam supra praetermissa obvenerint, novis doctorum Alamannorum studiis, quatenus ad res nostras pertinent, utique gratus, libentissime utar.

(3) Di Meo initium ducatus Sergii ad d. 6, m. aug. anni 843 ablegat; sed argumenta, quibus hanc sententiam firmare nititur, nullam auctoritatem habent, cum ex ipso Pseudo-Ubaldo eruta sunt, et petitione principii, uti dici solet, laborant. Neque obsidio Beneventi a Iohanne Diacono, cum Sergii ducis electione coniuncta, ex aliquo authenticorum scriptorum, vel monumentorum testimonio, ad memoratum annum 843 adsignari potest, quamvis neque ad a. 840 illam recte posueris. Altera enim sententia solo *Chronico Cavense* Pratilliano probatur, altera, cum facti conditiones et tempora repugnent, neque probabilis quidem est. Iohannem igitur Diaconum vel memoria lapsum, vel *obsidentem* pro *oppugnantem* ibi usum fuisse autumo.

Sergius, ut ex *Vita S. Athanasii* discimus, " anno 835, ind. XIII (1), vir per omnia strenuus, Neapolitum de prosapia procerum ortus, ab ipsis cunabulis gemino de germine nobilis, sed longe nobilior mente, gratus parentibus, sed Deo non ingratus . . . (2). Quo videlicet tempore ingentem sustinebat dicta urbs a Langobardorum agminibus persecutionem, ita ut singularis hic quereretur ab his interimendus, veluti Moyses famulus Dei ab Egyptiis; metuentes procul dubio, ne sicut ille illis ad ruinam; ita iste istis ad perniciem daretur aliquo modo; ideoque innumerabilia probra, dispendiaque non parva pertulit pro sua suorumque optata civium commoditate. Cum autem ad virilem pervenisset aetatem, litteris tam grecis quam latinis favorabiliter eruditus est; ita ut si casu librum grecis exaratum elementis in manibus sumeret, latine hunc inoffense cursim legeret, et latinos libros in greco expedite sermone rimaret. Tantae namque prudentiae ac modestiae, tantaeque patientiae bonitate decoratus est, ut penes Gregorium, Romanae Sedis Pontificem, ergaque serenissimos viros Lodoicum piissimum, cognomento Almum eiusque sobolem Lutharium, invictissimos cesares, familiarissimus esset, maximumque obtineret honoris locum; quoniam frequentius eorum iura regalia adibat, ob infestationem iam dictarum gentium suam gentem urbemque sepe impugnantium. Hinc ergo non ab re salvator propriae gentis nuncupari potest, per quem populus et civitas ab offensione immunis efficitur. Huius rei gratia etiam suae gentis primatum obtinere promeruit: Nam rectore obeunte iam dictae civitatis, dum hic absens esset, cives affinesque illius omnes ducem sibi illum statuerunt, pari consensu et petitione. Mox, Dei opitulante misericordia, quievit persecutio sinistrae immissionis. „ (*Vita S. Athanasii*, n. 2 (3)).

De rebus ab hoc duce gestis plura ex Ioanne Diacono, ex Anastasio Bibliothecario et ex scriptoribus langobardicis discimus, quae ordine chronologico heic breviter digerere operae pretium duxi. Et primum " mortuo Theophilo, filioque eius Michaele imperante, Sergius (rupto foedere ab Andrea duce cum Saracenis icto, ex quo

(1) Quae ex *Vita S. Athanasii* excerpta heic infero, ea ex textu Corsiniano edito transcripsi, et cum codd. Mss. Neapolitanae bibliothecae, de quibus supra innui, contuli.

(2) Heic in omnibus codd. verbum aliquod quod periodum compleat, et quid eo anno gestum sit, doceat, sine aliqua dubitatione deest. CUPERUS, ut lacunam impleret, vocem *florebat* supplet et fortasse non inepte. Mazochius autem (*De Ss. N. E. episcoporum cultu*, p. 372) de Sergii electione in Ducem, vel in *Lociservatorem* agi putat, quod omnino vel falsum vel arbitrarium est.

(3) *Vita S. Athanasii* ep. Neap. in duplici forma ex duobus archetypis ad nos pervenit; altera, aliquando brevior, ex cod. Casinensi, qui registrum S. Placidi a Petro diacono compilatum continet, transcripta, atque a Bollandista CUPERO in Aa. Ss. m. iulii, IV, p. 77, et postea a MURATORIO S. R. I., II, 2, p. 1051, typis vulgata; altera, in quibusdam varia et a §§ 22, ad finem operis fusior, ex cod. romano corsiniano, n. 777, olim monasterii S. Severini apud Neapolim, membran. fol. min. saec. XIII, qui vitas plurimas sanctorum Neapolitanorum vel Neapoli specialiter cultorum habet, eruta, et a Mazochio in libro: *De SS. Neap. Eccl. Episcoporum cultu* cum Casinensi, in his, quae illa variat, vel deficit, collata, adnotata ac edita. Textum hunc nuper in M. G. H. in vol. *Script. rer. lang. et ital. saec. VI-IX* integre edidit cl. vir Waitz p. 439. Extant etiam, quoad scio, alii duo huius generis codd. et quidem Corsiniano antiquiores, in Bibl. neapolitana, quam *Nazionale* vocant, quorum aliquam notitiam dedit. d. Ioachim Taglialatela, sacerdos neapolitanus, in opuscolo: *Discorso accademico intorno al Vescovo di Napoli S. Attanasio il grande*, p. 25. Eorum alter, sign. VIII, B, 1, membr. in fol. saec. XII, charactere langobardo, vitam S. Athanasii habet a p. 28 ad 40. Hic olim Bartholomaeo Chioccarellio, viro neapolitanarum rerum benemerentissimo, pertinuit, ut nota in ima ora primae paginae adscripta testatur his verbis: *Liber hic dono datus fuit a me Bartholomaeo Chioccarellio neapolitano Bibliothecae sanctae Aedis Ss. Apostolorum clericorum regularium die XII octobris 1643* (De eo Cf. *Antist. Neap. Catal.* p. 95). Alter cod. sign. VIII, B, 8, idem membran. in fol. charactere maiusculo langobardo, de quo iam supra innui p. 22, in not., eandem vitam continet a fol. 10 ad 23. Textus in ambobus codd. Corsiniano quandoque correctior est.

Quis autem huius vitae auctor fuerit incertum est. Baronius, qui eam ex maxima parte in *Annal. Eccl.* t. XV, p. 262 et ss. ex supra memorato cod. Casinensi erutam inseruit, a Petro Diacono eiusdem Coenobii, qui saec. XII floruit, et plura ingenii sui monumenta reliquit, scriptum fuisse putavit; Muratorius contra Petro subdiacono neapolitano, qui alias etiam neapolitanorum sanctorum vitas composuit, ipsam adscripsit. Sed uterque perperam; nam ex una parte idem ipse auctor pluribus in locis, et praesertim multis laudibus, quibus Neapolim urbem effert, se non monachum Casinensem, sed neapolitanum civem

Neapolitani barbaros in Messanae oppugnatione adiuvarunt (1)), ipsos qui insulas Pontias invaserant et alios qui Licosae latitabant, a. 845 (2) felici bello, una cum Amalfitanis Caietanisque ac Surrentinis celeriter profligavit.

Tunc evenisse puto ea, quae in cit. *Vita S. Antonini Abbatis* tradita sunt „ Saracenorum, ibi dicitur, infinita multitudo contra christianae pacis tranquillitatem coniurata, omnia, quae attigit loca, more nimbosissimae grandinis proterens erasa reliquit. Emenso tandem infesti illi praedones pelagi spatio applicuerunt ad insulam Neapolitanae potestati subiectam, quae Aenaria, usitatiori vero nomine Insula maior, nuncupatur. Navibus in alto relictis, terram liburnicis petierunt, et, castris sitis, considerunt, terrarum culta flamma predaquae vastantes, cultores sine humanitate, sine pietate, miserabiliter necantes, aut in captivitatem et exilium traducendos, ad naves vinctos trahentes. Illorum immanissimam crudelitatem, adhuc autem et securam stationem, vicinarum urbium habitatores, scilicet

prodit; et ex altera stilus eiusdem vitae ab illo, qui in aliis Petri subdiaconi opusculis animadverti potest, ut recte Mazochius iam observavit, omnino diversus est. Certe autem nulla alicuius Petri in omnibus codd. Mss., quos scio, mentio, unde opus ei tribui possit, habetur.

At contra in duobus neapolitanis codd. aliquid, a nemine adhuc animadversum, inest, quod quamdam huic argumento lucem, nî fallor, afferre potest. Ibi enim in fine vitae S. Athanasii leguntur hî versiculi, quos post laudatum Taglialatela iterum heic repetere iuvat:

Quisquis Athanasii vitam, miraque beati,
Que gessit legeris, talia scripta patris
Lunissi, scito, renovavi mente serena
Presulis exiguus, ductus amore prolis,
Illius ut caream probris, prece, nec ne piaclis
Ingrediar summi elisiique zetam.

Itaque ex his, si perobscuram et ambiguam poetae dictionem forte fortuna assequi potui, elicitur quemdam, cui Lunissi nomen, amore prolis (id est *filiali*) ductum, vitam et miracula S. Athanasii (ex textu Corsiniano, illo scil. qui in extremis capitibus fusior est) a patre scriptam, mente serena renovavisse, ut ingredi mereretur aulam (*zetam*) summi Elysii· Lunissi autem nomen, quod saeculo XI in cognomen *de domino Lunisso* etiam translatum invenio, extat in instrum. a. 1071. ap. R. N. A. M., t. V, p. 51. At qualem operam is in vita S. Athanasii praestitit? Quid voce *renovare* exprimi voluit? De simplici illius in novo exemplo transcriptione locutus est, aut de eiusdem ex novis periodis ac sententiis erga finem amplificatione; ita ut ipse Corsinianae lectionis auctor, et quidem recentior, existimari posset? Ego in tanta rerum obscuritate nihil certius affirmare audeo; sed, si qui coniecturae locus, primam potius quam secundam ex his suppositionem amplector; rudis enim versiculorum stilus ita a tota vitae Athanasianae quasi eleganti dictione abhorret, ut nunquam unus idemque utriusque scripti auctor putari possit. Si Lunissi igitur opusculum transcripsit, non aliam, meo iudicio, in illo interpolationem fecit, nisi conclusionis verba, quibus lectorem ampliora de translatione S. Athanasii scire cupientem *ad scriptum apud eius ecclesiam* servatum remittit. Ea verba ab antecedentibus absona, et repugnantia, talia sunt, qualia ille, qui priora scripsit, dicere non poterat, et insuper quaedam rudiuscula praeseferunt, quae mihi ab auctore versiculorum non aliena videntur.

Ceterum, utcumque de auctoris nomine iudicari placeat, nihil est quod vetat, cur eius libellus ad eamdem, qua S. Athanasius floruit, aetatem adscribatur. Mazochius frustra id impugnare, et illum ad saeculum XI vel XII retrahi totis viribus conatus est; argumenta enim, quibus opinionem suam firmat, nullius ponderis sunt, et omnia ab optimo clarissimoque viro Iohanne Scherillio, cuius obitus usque adhuc patriis litteris recens est, ample profligata fuerunt in opere: *Della venuta di S. Pietro in Napoli*, p. 260-287. Nec aliter sentit nuperus eiusdem vitae in Germania editor. (Cf. M. G. H. *Script. saec. VI-IX*, p. 401). Verumtamen hoc unum ego Scherillio non assentior, quod scil. textus Corsinianus Casinensi posterior sit. Nam contradictio, quam in hoc textu doctus vir deprehendit, et ita eum opinari cogit, non alibi invenitur, nisi in illa adiectione, de qua supra monui; quae cum ad textum genuinum non pertineat, ut Mazochii de aetate auctoris, ita Scherillii de prioritate codicis Casinensis opinionem refellit. Denique est magis secundum amanuensium naturam scriptum erga finem breviari quam ampliari, nec aliunde rationem video cur Metaphrastes, quisquis ille fuerit, extrema tantum capita, non integram vitam amplificaverit.

(1) Cf. AMARI, *Stor. dei Musul. di Sicilia*, I, p. 314, ubi Ibn-el-Athîr, Ms. A. t II, f. 2, et Ms. C. t. IV, f. 212 de hoc auctorem prodit.

(2) Annum etiam 845 ex Pseudo-Ubaldo Di Meo adnotat.

Surrentini, Neapolitani et Caietani non ferentes, felici foedere et omine prospero conspirarunt, christianos captos et capiendos liberare, patriam defendere, gentem nefandam propellere. Hic, Antonino, ut paullo post apparebit, duce, et ceteris, quorum corpora Surrentum fovet, sanctis comitantibus, gloria Syrrentinorum emicuit. Quibus non immerito victoria ascribitur, dum ipsorum patronis signiferis rabies hostilis vincitur. Triduo namque ante futurum praelium quinque, quorum nomina posterius liquebunt, in navi gentilium ductrice deambulantes apparuerunt. In quos hostes aut vinculorum nexibus extricatos fugam temptare aut occulte inlapsos navim amoliri suspicantes, caeco furore irruerunt. Sed sanctis subito ab aspectu subtractis, ab incepto haud sine admiratione desierunt. Rursus cum armis in abditis latentibus sese occultius locantes, et custodiam vigilantius adhibentes; ecce iterum priore habitu et incessu eodem in loco spatiantes sanctos Dei viderunt. Quos subitaneo terrore et clamore assilientes, alius gladio, alius saxo furibundi petierunt, sed sanctis item disparentibus, cum ictus non nisi in navem cecidissent sese miro modo frustratos obstupuerunt. Sed cum iterum atque iterum mente coecati, eodem impetu temptato, eadem illusione deciperentur, ductor idemque augur eorum a longe rei ordinem considerans: *Isti*, inquit, *dii sunt Christianorum, ad quorum, ut opinor, defensionem aut ultionem convenerunt.* Deinde, cum sors, gentilis superstitionis more, consuleretur et paganis adversa portenderet; *acceleremus*, clamat, *fugam, et navibus festinanter armatis advolemus.* Iuxta verba praecipientis sociis circumquaque dispersis cum rapinarum congerie congregatis, et ceteris omnibus ordinatis, cum festinanter diis ieiunaturi retulissent; ecce praedictae conspirationis socii subito irruentes, cunctis, quos consequi potuerunt, occisis, decem navigia cum armamentis, cum praeda, cum captivis arripuerunt, iis quae superfluerunt, sine remigiis, sine gubernaculis, sine sustentaculis vix et inutiliter elapsis. In ipsius autem noctis bellum antecedentis extremitate, idest matutino tempore, in ipso, inquam, imminentis pugnae articulo, quinque viri superius in navi demonstrati cuidam civi Neapolitano seni, cui Sergius Pipinus nomen, tali ordine, sicut ipse postea retulit, apparuerunt. Praecedebat habitu monachi venerandus et sancta canitie reverendus, qui sese de nomine interrogatus, Antoninum dicebat, quem velut ordine, et ut mox patebit, affatu priorem comitabantur reliqui quatuor, quorum unus calvus, barba prolixa, canus, maturus, venerabilis se se Renatum; duo vero comitantes ambo senes, ambo barbam rasi, sed alter calvus Athanasium se se, alter caesarie crispus se se Bachulum, quartus vero iuventutis gratia floridus Valerium se se nominavit. Illis ita ordinatis Antoninus, sicut prior venit et stetit, ita excellentioris personae, etiam in loquendo prosequebatur officium, et semivigilem senem ita affatur, severa increpatione et amica cohortatione admonens: *Vos*, inquit, *nunc istius urbis habitatores per stratus vestros mollissime compositos securi laborum quiescitis, et civibus vestris pro rei publicae salute in ipso extremi periculi discrimine laborantibus subvenire, nec cogitatis. Ignavi, pigri, inertes, qui nec precibus, nec viribus vestros adiuvetis, qui nec divinam nec humanam opem eis conferre curetis, qui tot defensores vobis a Deo concessos, et pro vobis quamvis ingratis sollicitos implorare negligatis! Nam egomet ipse modo dominum Ianuarium vestrum patronum conveniebam, et sicut nos nostros in periculo non reliquimus, ita eum ad vestrum auxilium invitans cum imminente vestrorum periculo citius eum subvenire urgerem, et nisi ocyus succurreret aliquot de suis casuros affirmarem.—Sustine,* inquit ille, *paullulum, nam istius, quam offero, immolationis consummato mysterio, absque mora veniam.* His dictis b. Antoninus cum sociis comitantibus abscessit, et senex somno solutus visa per ordinem retulit. Cuius visionis approbatio mox consecuta est. Nam confecto praelio, venerunt, qui dicerent, hostibus fusis, fugatis aut captis, victoria feliciter parta, ex Neapolitanis septem tantum in primo congressu cecidisse, ex Syrrentinis vero nec unum quidem vel leviter plagatum esse; in qua assertione probantur verba Antonini, nam ipse et superius nominati sancti suis Surrentinis continuatim assistentes, omnes pariter ad portum salutis evexerunt. Tardante vero in oblatione sacrificii b. Ianuario septem, ut diximus, ex tota multitudine Parthenopensium corruerunt. Factum est autem post haec ut unus ex nobilioribus Nea-

politanorum, Gregorius Prancacius (1), civili decreto in exilium Syrrentum relegaretur, qui unum ex Saracenis in praelio captum et iam baptizatum secum deduxit. Quo referente, seseque unum ex persequentibus esse affirmante quinque iam nominatos sanctos tali habitu et forma in navi regia apparuisse didicimus, qualem habitus aut formae proprietatem unicuique eorum in visione senis assignata supra docuimus. „ (*Vita S. Antonini*, n. 20-24).

Post haec “ magnus exercitus Panormitanorum adveniens castellum Misenacium comprehendit, ac inde Africani (a. 846) in forti brachio omnem hanc regionem divastare cupientes, Romam supervenerunt (2), atque . . . . ecclesias apostolorum et cuncta . . . . extrinsecus . . . . diripuerunt. Idcirco motus Lhotharius, rex francorum, ferocem contra eos populum misit, qui celeriter properantes eos usque Caietam sunt persecuti. Hic autem Sarraceni . . . . in locis angustis et arduo calle nonnullos audaciores absconderunt; Franci vero ignorantes calliditatem eorum, conabantur viriliter super eos descendere. At illi de latibulo exilientes, irato Deo, primum ipsorum percusserunt signiferum, quo peremto, cunctis terga vertentibus, validissime occidebantur (10 nov.): et nisi Cesarius filius, Sergii ducis, qui cum navigiis Neapolitanorum et Amalfitanorum venerat, litoreum conflictum (3) cum eis cepisset, nullatenus a persequendo recedebant. Laetantes igitur. . . . Caietanam urbem capere minabantur. Sed Cesarius, praedicti Sergii filius, hoc animadverso, cum ratibus suis et Amalfitanorum in portum eiusdem civitatis . . . divertens. . . illis obsistebat. Interea Salvatoris omnipotentia. . . tempestivam excitavit procellam in puppes . . . unde perterriti a Cesario sibi dari pactionem petierunt, quatenus naves ad terram subducerent acceptaque serenitate ad sua repedarent. Hoc e vestigio nuntiato Sergio duci, iussit illud sub iureiurando fieri, pavens, ne navibus allisis terram caperent. Quo peracto et serenitate reddita, ire ceperunt; sed pelagi vastitatem sulcantibus excitavit Dominus austrum, quo dispersi atque demersi paucissimi ex eis ad sedes remearunt suas. „ (Ioh. Diac. c. 60).

Paulo post (a. scil. 849) “ nefandam et lugubrem omnique plenam miseria Saracenorum depraedationem, quam in primo ecclesiarum omnium capite, Sancta scil. Romana Ecclesia, hortatu diabolico, peregerunt, voluerunt iterum ipsi Satanae filii in romanos fines et ecclesiam beatissimi apostoli Petri, ut olim, damna inferre. . . Quamobrem pristinum reminiscentes lucrum vel praedam, quam fecerant, multiplicata iterum perversorum hominum manu, multisque cum navibus ad urbem expugnandam Romanam, XII. ind. vigente, venire crudeliter decreverunt. Multisque etiam diebus in loco, qui Torsarum dicitur, iuxta insulam Sardiniae demorati sunt. A qua digressi romanum portum, Deo illos non adiuvante, inire conati sunt. „

“ Quorum iniquus ac nefandus adventus Romanos non mediocriter terruit. Sed quia Ecclesiam suam Deus omnipotens semper inviolatam custodivit, et deinceps custodire non desinit, excitavit tunc inter ceteros omnium Neapolitanorum, Amalphitanorum, Caietanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere ac dimicare fortiter debuissent. Mox etenim a locis propriis egressi ante Saracenos inutiles (4) ipsi cum suis navibus coniunxerunt, suumque repentinum adventum beatissimo Leoni IV pontifici notum fecerunt. Et quod se ob nullam rem venisse aliam sunt professi, nisi ut de paganis, Domino auxiliante, victores existerent. Tunc demum venerabilis Papa aliquantos ex eis prius ad se Romam venire praecepit, volens specialiter scire ab eis si eorum pacificus esset adventus vel non, sicuti et factum est. Inter quos tunc filius Sergii,

(1) Idest Brancacius, ex familia Neapoli nobilissima. In instrum. anni 961 memoratur *terra heredum domni Gregorii tribuni Brancatii*. R. N. A. M. t. II, p. 94.

(2) Cf. etiam *Ign. Cassin.* c. 9 et 19; *Epitome Chron. Casin.* ap. R. I. S. II, 1, c. 369; Prud. Trecensis, *Ann.* ap. M. G. H. *Scr.* I, p. 442.

(3) Ioh. Diaconus vel praelium hoc cum alio anni 849, de quo infra, confundit, ut Di Meo autumat, vel potius, si magis recte, et stricte verba eius accipi volumus, de conflictu in littore, non in mari habito, ut ego puto, loquitur. Nec aliter censet cl. vir Amari, *O, c.* p. 365.

(4) Quid sibi velint verba: *Saracenos inutiles,* nescio. Forte locus ab amanuense corruptus est.

magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, nomine Caesarius, advenit, quos benigne in palatio Lateranensi suscipiens, causam, pro qua venerant, inquisivit. Illi autem ad aliud non venisse testati sunt, nisi ob hoc quod superius legitur exaratum. Quorum pius Apostolicus credulus verbis cum magna armatorum procinctu. mox ad civitatem Ostiam properavit, omnesque Neapolitanos grandi atque eximia devotione suscepit. Qui, ut summum praesulem conspexerunt, pedes eius humo prostrati venerabiles sunt osculati, gratiasque Omnipotenti altithrono retulerunt, qui ad se confortandos talem dirigere decrevit Antistitem. Qui, ut meliores de Belial filiis victores existerent, summopere deprecati sunt, ut de suis sacris manibus corpus Dominicum percipere meruissent. Quibus ore suo missam in ecclesia b. Aureae decantavit, atque universi illius, ut dictum est, manibus communionem sumpserunt. Et antequam haec fierent usque ad praefatam ecclesiam cum hymnis ac laetaniis, canticisque praecipuis simul cum ipsis Neapolitanis, Christo auxiliante, profectus est. In qua etiam flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus suis ipse Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur. Super quos etiam multis cum lacrymis hanc orationem obtulit dicens: *Deus, cuius dextera b. Petrum apostolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, et coapostolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis horum fidelium vestrorum brachia, contra inimicos S. Ecclesiae tuae dimicantia, omnipotenti dextera tua corroborentur, et convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum nostrum* etc.„ (1).

"Die vero altera postquam a iam dicta civitate venerabilis reversus est Praesul, ipsi sceleratorum socii sive participes iuxta litus maris Ostiensis multis cum navibus apparuerunt (2). Contra quos Neapolitani impetum facientes dimicare fortiter voluerunt, etiam aliquantos vulneraverunt ex illis, et deinde triumphum accepissent, si unum non citius impedimentum accidisset. Nam dum ad invicem attentius dimicarent subito tam validus et supereminens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat, qui usquam naves confestim divisit. Tum Saracenorum naves primo veniebant usque ad oram maris, deinde, vento flante marique elevato, procellis dispergebantur, et iterum post aliquantulum confractis viribus revertebantur. Deus enim omnipotens, pro certo credimus, hunc ex thesauro suo produxerat ventum, qui eos ad nocendum foris minime permisit exire. Super his novis mysticisque miraculis. . . semper glorificanda et conlaudanda est Dei nostri clementia, qui eos ad locum, quem desiderabant permisit aspicere, et tamen, ne capere potuissent virtutis suae potentia longius expulit, multosque postea non tantum per intercessionem et merita beatissimorum Petri et Pauli principum, maris profunditas, verum etiam fames et gladius indesinenter extinxit. „ (*Lib. Pontif.* (3) in *Leone* IV).

Non ex Iohanne Diacono vel ex Langobardicarum Chronicarum testimonio, sed ex lapide nuper Capuae reperto (4) de quadam Neapolitanorum factione a. 851 peracta notitiam habemus. In eo enim, sermone perquam barbarico, et nullis grammatices legibus adstricto, ita ut sensum eiusdem vix ac ne vix quidem pluries assequi possis, epitaphium cuiusdam AUSENTII, viri *inter nobiles facundi*, legitur, *cui ducturis Sichardi summa potestas nolanum commisit regere castrum, propter* (quod) *Romanorum* (Romanis) *sollers* (erat) *struere bella*, ubi (enim) *cyrita* (5)

(1) Haec oratio adhuc in Ecclesia dicitur. *Quid gloriosius unquam*, Capacius hic exclamat, *Neapolitani adipisci potuere, quam pro tantae victoriae trophaeo huius orationis memoria in ecclesia Dei celebrari? Hist. Neap.* t. I, p. 128.

(2) In aliis codd. post. *apparuerunt* sequitur: praefati autem homines super illos facientes impetum omnes superaverunt orationibus Apostolorum et sancti Praesulis.

(3) Cf. BLANCHINIUM, t. I, p. 373-375.

(4) V. *Iscrizioni e sculture rinvenute nelle fabbriche del camposanto della chiesa Collegiata di S. Maria Capua Vetere.* Caserta 1873 in 8. (Estr. dal Bullett. della Commissione di antichità e B. A. della provincia di Terra di lavoro.)

(5) Voces *Romanorum* et *Cyrita*, id est *Quirita*, Neapolitanos significant. In tumulo enim Siconis legitur: *Obsidione qualit romanas saepe catervas Urbis Parthenope.—Ignot. Cassin.* c. 25, cum de bello inter Capuanos et Neapolitanos agit, alteros Langobardos, alteros Quirites vocat. PEREGR.-PRATILL. I, 217.

bella conspexit per campis (campos), *et in viis inimicis vires struebat. Is sacra cum Christo claresceret dies, et proxima* (Nolano castro) *latrunculi vastarent Parthenopenses* (1) *inimici mille*, *audens sic* in eos, *quasi cervus ad instar* fortiter irruit, *donec iuxta urbem* (Neapolis) *inimicorum* (qui in fugam se coniecerant) *terga cedebat.* At Neapolitani, *unianimiter ex urbe properantes ad illum* (contra illum) *eum vallo dedere fortiter undique* (2) *cedentes, sed gradiens et bellans. . . in ipso certamen* (certamine) *heu et ipse peremptus* fuit.

Subdit epitaphium: *Te* (o Auxenti) *celebrant omnes pro patria, qui morte* (mortem) *subisti, Staldius hic situs quiescit in antro, qui vix. ann. XXXVII, m. VII. O*(biit), *XII. k. Apr. in ind. XIIII. Dp. est die domco R*(esurrectionis), idest 21 martii a. 851.

Haec ex marmore ipso eruere posse mihi videor, et ea ad motus, qui, mortuo Siconolpho, in principatu Salernitano, et in comitatu capuano facti sunt, pertinere puto. Nam tunc temporis Sergius dux, Landulpho, seu Landenulpho Landonis senioris filio, auxilium praebuit, ut Suessula, e salernitana ditione subtracta, potiretur (3). Quod fortasse in causa quidem fuit cur inter Ausentium, nolani castri Staldium, qui partes sui principis (ad salernitanam enim dominationem Nola pertinebat) tuebatur, et Neapolitanos, qui capuanis comitibus tunc foederati erant, bellum exardesceret (4). Ceterum, utcumque de hac mea coniectura iudicari placeat, certe nunquam opinio cl. v. d. Gabrielis Iannelli excipienda videtur, qua de Saracenis in epitaphio Ausentii loqui sine aliqua dubitatione affirmatur. Ibi enim nihil unquam simile deprehendi potest, et vox *latrunculi*, quae cl. virum transversum egit, ad Parthenopenses refertur; quos nemo miretur ita a Langobardo homine appellatos fuisse, cum graecos et proinde Neapolitanos ab ipsis saepe probris et iniuriis lacessitos videamus.

“ Per idem tempus (et proprie anno 858, si supputationes a Di Meo propositas sequi volumus) veterem inimicitiam vindicare volens Ademarius (filius Petri Comitis, qui, extorre facto et vita functo Sicone, ac pulso sive mortuo eodem Petro, principatum Salernitanum arripuerat) Sergium filium Marini Amalphitani, cognatum vid. Pandonis, dolo cepit, et ad Sergium, magistrum militum, cum quo foedus inierat, exulem tradidit, qua pro causa ab eodem Sergio etiam Marinus fraude captus est. „ (ERCHEMP. c. 26).

“ Non multum post (a. 858-859) Sergius magister militum, praesidiis illectus Ademarii. . . . dirupit iuramentum, quod cum Landone (seniore) pactum fuerat, et adversus filium illius (Landonem iuniorem) bellum excitavit. Nam octavo ydus maias (5), quo b. Michahelis archangeli solempnia *Langobardi solempniter celebrabant*, quo etiam die priscis temporibus a Beneventanorum populis Neapolites fortiter caesos legimus (6), hac ergo die, nullum honorem dans Deo, misit duos

(1) Graeci tunc temporis haud raro latrones ob contumeliam appellabantur. Ita in *Fragm. Anon. Benev.* c. 8 legitur : *Argiva phalanx seu latronum manus.* PEREGR.-PRATILL. III, 299.

(2) Lectio huius versus incerta est. Cf. cit. *Relazione*, p. 8.

(3) Cf. ERCHEMP. c. 23.

(4) Regionum nostrarum conditiones ita his temporibus incertae ac mutabiles erant, ut bella et paces sive foedera inter varios, qui tunc apud nos extabant, status raro in longum perducerentur, et iidem principes ac populi inter se continuo ex amicis hostes, et ex hostibus amici fierent. His accedit saepe scriptorum silentium sive obscuritas, et monumentorum defectus. Quapropter haud facile est alicuius facti, praesertim cum tempus, quo illud evenit, chronographi silent, rationem et epocham definite circumscribere. Verumtamen ex *Anon. Salern.* dictis coniici licet Sergium ducem, qui iam Siconolpho contra Beneventanos adhaeserat, paulo antequam is mortem obiret, Guaiferium Dauferii filium, qui iram eiusdem principis metuebat, humanissime suscepisse. (V. c. 86). Inde fortasse inter ipsum, et qui principatum Salernitanum regebat, inimicitiae ; inde auxilium Landulpho, ut supra dixi, datum.-

(5) IGN. CASIN. n. 14 al. 25, tantummodo b. Michaelis festum, tacito mense, adnotat, ex quo, et ex *Chron. Cav.* et *Cinglensis* a Pratillio, IV, p. 395 et III, p. 49 vel editi vel relati testimonio Di Meo temere Erchempertum vel eius librarium erroris arguit ac factum supra memoratum ad d. 29 sept. in quo aliud b. Michaelis festum agitur, ablegat.

(6) Scriptor ad bellum inter Grimoaldum Beneventi ducem, et Graecos actum, de quo PAUL. DIAC. IV, 45, alludit. Graecos postea vulgaris Langobardorum traditio cum Neapolitanis confudit, et factum varie ex temporum decursu corrupit. De eo agunt BLANCUS et PRATILLIUS ad PAUL. DIAC. I, p. 13, et fusius idem PRATILLIUS ad IGNOT. CASIN. I, p. 216, et ASSEMANIUS, *O. c.* I, p. 426-450.

liberos suos, Gregorium, magistrum militum, et Cesarium, nec non Landulfum generum suum Suessulanum, cum quibus Neapolitum et Malfitanorum exercitum, tam pedestrem, quam et equitum, pene ad septem millia viros misit, dans ei in preceptum ut Capuam obsideret. Quibus audacter occurrit, ceu leo fervidus, Lando iunior, reperitque eos transvadatos pontem Theodemundi (1) suos acriter expugnantes, totis viribus super eos irruit, atque cuneum eorum scindens gladiis ventilavit, captumque Cesareum et ferme octingentos alios; reliquos in fugam vertit.... Pando autem illius avunculus, Ademarii metuens adventum, ad monumentum quondam Trasarici (2) interius observabat excubias. Post haec Pando, erepto Marino e vinculis, Cesarium (3) cum universis libertati restituit. „ (ERCHEMP. c. 27).

Alia, quae de Sergii ducis rebus gestis, Pseudo-Ubaldus refert, et ex eo Di Meo replicat, missa facio, quippe quae a nullo, si ipsum Ubaldum et *Chron. Cav.* Pratillianum excipies, certo testimonio probata invenio. Haec sunt Neapolis a Saracenis obsessa et ipsius Sergii ac praecipue Caesarii virtute liberata (4); Sergii ad Ludovicum imp. apud Spoletium iter; atque auxilium Landulpho Capuano episcopo a Neapolitanis praestitum, ut ille capuano principatu potiretur; quae omnia vel silentio coaevi scriptores praetereunt, vel saltem generatim, aut obscure innuunt.

Extremis sui ducatus temporibus Seodan, Saracenorum Calipha " egressus a Barim totam devastabit Capuam, Cantias, Leborem, et suo nequissimo throno (sic) posuit in campo de Neapolim. Nullus omnino praeteribat dies, quod ad quingentos et eo amplius non interficeret homines, et hoc pars Dei esse dicebat, ut illud compleretur evangelicum: *Omnis qui interficit vos, arbitratur se obsequium prestare Deo.* Nam sevus ille tyrannus super cadavera mortuorum sedens, edebat tanquam unus putridus canis. „ IGNOT. CASIN. c. 16, al. 28).

Sergius ex uxore Drosu (*Vita S. Athan.* n. 1) filios habuit 1. Gregorium, postea item Magistrum militum, 2. Caesarium, 3. Athanasium, Neapolis episcopum, 4. Stephanum, Surrenti, et postea etiam Neapolis episcopum; de quibus infra dicam. Habuit quoque filiam, cuius nomen ignoratur, quae Landoni, ex Landulpho suessulano comite genito, nupsit. (ERCHEMP. c. 23.)

Ducatum rexit, ex Chronographi nostri supputatione, a. 25 et m. 3 (5), qui in m. iunio vel iulio a. 865 desinere deberent; sed, cum ex eiusdem Chronographi sententia Gregorius in a. 22 Michaelis, et in ind. XII, idest a. Æ. v. graecanico more 863-864 in ducatu successerit, ipsum Chronographum, aut in Sergii epocha erravisse, aut initium ducatus Gregorii a die, qua in collegam assumptus fuit, supputavisse, dicendum est. Verum ex *Vita S. Athanasii* omnino argui potest Chronographum nostrum in numero annorum ducatus Sergii hallucinatum fuisse, et a. 25 pro 24 scripsisse; nam ibi Gregorium iam inde ab a. 850 ducatum habuisse, et in electione S. Athanasii cum clero et populo consensisse dicitur. (Cf. *Vita* cit. n. 5.)

843. ind. VI. Michael filius eius (Theophili) an. 25.

Defuncto Theophilo.

A. m. $\frac{6335}{6350}$ = Chr. 833-834 = Æ. v. 841-842, ind. V, mense ianuar. die 20 — vel

A. m. 6339-6340 = Chr. 839-840, secundum GEORG. MON. p. 394 supputationem,

Michael

temulentus dictus, qui *admodum adhuc puer* (MANASS. p. 83) iam a patre in collegam an. 11 (SYM. LOGOTH. p. 321) vel 12 (MANASS. l. c.)

(1) PRATILLIUS, t. I, p. 112 hunc pontem unum ex iis fuisse putat, qui nunc *Ponterotto* seu *di Casapuzzana*, vel *di Carbonara* vocantur.

(2) Situs huius monumenti ignoratur. Cf. PRATILL. ib. p. 113.

(3) Id *Ign. Casin.* l. c. tacet scribens: *Caesarius, militum magistri filius, capitur, Capuaque adductus ferro in compedibus habetur;* quaedam vero nota, in margine cod. Vaticani Iohannis Diaconi apposita, Erchemperti dicta refellere videtur. Cf. infra ad locum.

(4) PRUD. TREC. sive *Annalista Bertinianus*, qui ad a. 856 scribit: *Saraceni de Benevento Neapolim fraude adeuntes vastant, diripiunt et funditus evertunt;* si certum scivit, verisimiliter de quadam incursione in territorio neapolitano facta, uti Muratorius recte putat, non quidem de urbis obsidione et captione loqui voluit.

(5) Pseudo-Ubaldus annos 18, quos Di Meo corrigit in 19, ei tribuit; Pratillius vero annos saltem 21, nec quidem rectius.

imperii ascitus fuerat, cum matre Theodora imperium suscipit. LEO GRAMM. p. 361; SYM. LOGOTH. p. 329; GENES. p. 37; CONST. PORPH. IV, 1.

Aliquantum antecedit *Chron. Cav.* ubi: A. 840, III. *Michahel Porphirogenitus*. Male omnino *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 843, II. *Theodora cum Michaele* a. 14.

Chronographus noster ab anno graecanico proxime sequenti epocham eiusdem signat.

Michael, matre, m. mart. vel apr. a. 856, ex imperio eiecta, Bardam, avunculum suum (1), in diebus Paschatis, feria quarta, ind. X (a. 862.) Caesarem nominat. LEO GRAMM. p. 367; GENES. p. 37. Quo, vel 1 (CEDREN. p. 444) vel 21 apr. (CONST. PORPH. IV, 4) ind. XIV occiso, Basilium, iam ab eo adoptatum, die Pentecostes 26 maii eiusdem ind. (a. 868), augustum, et collegam imperii declarat. LEO GRAMM. p. 370; SYM. LOGOTH. p. 336; CONST. PORPHIR. IV, 42; GEORG. MON. p. 403; GENES. p. 54; ZONAR. XVI, 7; CEDREN. p. 444.

Michael imperat

cum matre Theodora a. 14, m. 1, d. 22. NICEPH. *Chron.* p. 322 — vel a. 14, non habita ratione mensium et dierum. SYM. LOGOTH. p. 322; CONST. PORPH. IV, 44; CEDREN. p. 437; ZONAR. XVI, 8; GLYCAS, p. 225; IOEL. p. 170; *Catal. Byz.* II.—vel numero rotundo a. 15 (non exactis) LEO GRAMM. p. 363; HAMART. 268, 1; GEORG. MON. p. 394; *Catal. Byz.* III, IV.

— solus, postquam matrem eiecit, a. 11 (10), m. 1, d. 9. NICEPH. *Chron.* 322; vel a. 11, mensibus et diebus omissis, CONST. PORPH. l. c.; CEDREN. l. c.; ZONAR. l. c.; *Catal. Byz.* II.—vel a. 10 exactis. HAMART. 268, 11; GEORG. MON. et SYM. LOGOTH. ll. cc.

— cum Basilio a. 1, m. 4, LEO GRAMM. p. 363 et 373; HAMART. l. c.

— in totum a. 25 expletis, non habita ratione mensium, ut in CONST. PORPH. l. c. et in Chronographo nostro. — vel a. 27 et m. 4 (a die quo in collegam a patre ascitus fuerat, scil. a m. iunio a. 840). SYM. LOGOTH. p. 322; LEO GRAMM. et IOEL. ll. cc.

Michael occiditur

die S. Theclae (24 sept.), feria tertia, ind. I (a. 867) hora noctis tertia, dum vino iuxta morem maderet. SYM. LOGOTH. p. 339; CONST. PORPH. IV, 44; NICET. *Vita S. Ignat.* p. 710-711; CEDREN. p. 437.

Huius VIII anno XIII. ind. Sico princeps salernitanus a. 8.

Mense decembri, forte ineunte, anni 849 (in quem annus octavus Michaelis et XIII ind. incidunt), ut Chronographus noster asserit et documenta confirmant, Sico filius Siconolphi *adhuc anno carente* in principatu salernitano sub regimine Petri Comitis subrogatus est (2). Et post aliquantulum Franciam puerulus transducitur. (ERCHEMP. c. 23; IGN. CASSIN. c. 13; *Chron. Anon. Salern.* c. 87 et 88). Annum, vel indictionem, antecedit *Chron. Cav.* ubi: A. 849, XII. *Sicus filius eius Salerni.*

Principatum *specie tenus* rexit iuxta Chronicon nostrum a. 8; vel iuxta *Catal. Salern.* a. 5. Ego nihil habeo unde hanc discrepantiam conciliem. Certe in Cavensis tabularii instrumentis nomen Siconis cum Petro Rectore eius, usque ad m. maium ind. III. (a. 855), qui sextus principatus eiusdem agebat, inscriptum legitur (3). Item ibidem ex m. apr. II. ind. (a. 854) annus primus Ademarii principis, filii eiusdem Petri habetur, ac post m. dec. a. 855 Petri nomen non amplius apparet (4).

Si *Anon. Salern.* fides habenda, Petrus et Ademarius clam per haustum lethale ipsum Siconem Capuae fecerunt spiritum exhalare. (*Chron. Anon. Salern.* c. 88).

Et nono eiusdem (Michaelis) anno XIV ind. Radelgari princeps Beneventi anni 3, m. 3.

Annus nonus Michaelis et ind. XIV a 1 sept. a. 850 usque ad aug. anni sequentis decurrit. Ra-

(1) Bardam Caesarem memoratum invenio in notis chronologicis cuiusdam chartae Casinensis Neapoli a. 865 celebrata quam infra dabo.

(2) V. instr. m. dec. ind. XIII. *Cod. dipl. Cav.* t. I, p. 39.

(3) *Cod. dipl. Cav.* t. I, p. 48.

(4) *Cod. dipl. Cav.* t. I, p. 51.

delgari igitur filius Radelchis inter hos terminos collocandus est, et verisimiliter m. iunio vel iulio a. 851 patri successit. Minus recte *Chron. monast. S. Soph.* habet: A. 849, XII. *Radelgarius.*

Principatum rexit a. 3, m. 3 ex Chronographi nostri supputatione, quibus dies 21 vel 6 adiicit *Catal. Anon. Salern.* (1). In hac ratione epocha eiusdem ab initio anni civilis graecorum, idest a 1 sept. a. 850, supputata est, ut mihi videtur—vel a. 4, et m. 2, ut *Chron. monast. S. Soph.* et *Catal. Benev. S. Soph.* adnotant — vel denique a. 4 et m. 3 iuxta *Catal. Benev. Cav.* aut numero rotundo a. 4 (*bis binis*), ut in *Epitaph.* eiusdem legitur; quod adhuc extat (2). Haec monumenta rationem, ut Di Meo coniicit, ineunt a die quo ipse patri collega ascitus fuit.

Uxorem habuit Tasselgardam, ex qua liberos non suscepit. Obiit circa m. dec. a. 853, et forte obitus diem adnotare voluit *Chron. Cav.* ubi: A. 853, I. *Radelgarius filius eius.*

Et XII. ipsius (Michaelis) anno II. ind. Adelchis princeps Beneventi a. 24, m. 6.

Mense novembri vel decembri a. 853, in quem annus XII. Michaelis et ind. II. incidunt, Adelchis, frater Radelgarii, in principatu beneventano successit. Consentit *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 854 (gr.) II. *Adelchis.* Nescio cur *Chron. Cav.* habeat: A. 857, V. *Adelchus frater eius.*

Is ex uxore Adeltrude filios habuit Radelchisium, Aionem, et Malonem, si alius hic est, atque filias Ageltrudem, Guidi II. Spolitensium ducis uxorem, ac Garichisam.

Principatum rexit a. 24 et m. 6, ut Chronographus noster, *Catal. Benev. Casin.* et *Chron. monast. S. Soph. Catal. Benev. Cav.* ac *Catal.* et *Chron. Anon. Salern.* uno ore affirmant.

Mense maio ex. vel iunio a. 878 occisus fuit a suis nepotibus et amicis (ERCHEMP. c. 39), nam extremum, quod de eo habetur diploma, signatum est: *anno principatus 25 m. maio ind. XI* (3).

De eo extat capitulare a Peregrinio primum editum, et postea ab cc. vv. Vesme, et Bluhme, praeter alios, quos praetereo, iterum typis vulgatum. Prooemium, quod antecedentes editores ignorarunt, primus ex cod. Matrit. protulit laudatus Vesme (4).

Item XVI illius (Michaelis) anno VI. ind. Ademarius princeps salernitanus anni 3.

Ex Chronographi nostri sententia, Ademarius a. 16 Michaelis ind. VI, idest inter diem 1 m. sept. a. 857 et diem 31 aug. a. 858 principatum salernitanum arripuit. Eidem fere consonum est *Chron. Cav.* ubi: A. 857, V (idest ante m. sept.) *Ademarius Salerni.* Sed documenta huic sententiae adversantur, nec ego habeo unde rem aptius explicem (5).

Ademarius sive Adelmarius, Petri rectoris, vel comitis, et Audebergae filius, uxorem habuit Guimeltrudem, et filium Petrum, Salerni episcopum. Principatum salernitanum arripuit, concedente postea etiam Ludovico imp. circa a. 854, (ERCHEMP. c. 20), quem tenuit a. 3, ut Chronographus noster ait, ex eo fortasse tempore, quo Sico obiit, supputatis. *Catal. Salern.* annos 6 adnotat; *Chron. de monast. SS. Bened.* annos 9. Hi forte, ex quo Sico extorris factus est, numerati sunt (6).

(1) In c. 95 vero *Chron.* eiusdem legitur a. 3, m. 6, forte ex librarii errore, qui post verba *a. 3, m.* alia *3 et dies* omisit.

(2) Cf. PEREGR.-PRATILL. t. III, p. 313.

(3) *Regest. Benev. S. Soph.* ex P. I, n. 16 ap. UGHELLI, *O. c.* VIII, p. 596.—Aliud diploma cum notis a. 25, m. febr. ind. XI extat in *Chron. Vult.* ap. R. I. S., I, 2, 242.

(4) Adelchis, ut ibi dicitur, *communi habito eloquio in . . . . Beneventano palatio cum domino Adone* (Aione), *fratre eius ven. episcopo, seu cum comitibus, abbatibus ceterisque. . . . magnatibus anno aeducatus* (sic) *nostri duodecimo mense martio et indic. quinta eadem capitula statuere curavit.* Verum animadvertendum est annum principatus cum indictione minime concordare, et aut in uno, aut in altera errorem inesse.

(5) In istrum. tabularii Cavensis Ademarius cum Sicone m. febr. ind. II, a. 854, cum Petro mm. oct. et dec. a. 855, solus a m. febr. a. 856 inscriptus apparet. Cf. *Cod. dipl. Cav.* I, p. 47, 50, 51, 53.

(6) Ultimum cum nomine Ademarii inscriptum instrumentum habet notas chronologicas m. nov. ind. IX. *Cod. dipl. Cav.* I, p. 75.

Iterum in XX. ipsius (Michaelis) anno X ind. Guauferius princeps salernitanorum a. 16.

Anno 861 m. septembri, ut mihi videtur, in quem annus vigesimus Michaelis et ind. X respondent, Salernitani . . . suum principem Ademarium comprehenderunt, et in ardua custodia incluserunt. Postremo Dauferium Mayonis filium, qui fuerat Guaiferii germanus, sodales sui in principem sublimarunt. Sed cum talia Salernitani cognovissent. . . . super eum irruerunt, eumque protinus comprehenderunt. . . et in obscuro carcere retruserunt. Cum namque talia peracta fuissent, omnis populus, nec non et sublimes una omnes Guaiferium (Dauferii *Balbi* filium) principem sublimarunt. (*Chron. Anon. Salern.* c. 94). —Consentit *Chron. Cav.* ubi: A. 862, X. *Guaiferius Salerni.*

Prima uxore, cuius nomen ignoratur, *non propria morte defuncta* (Cf. *Chron. Anon. Salern.* c. 22), Landelaikam, Landonis Capuani comitis filiam, in matrimonium accepit (*Chron.* cit. c. 96); ex qua filios Guaimarium, Arigisum, et Dauferium suscepit.

Principatum rexit, usquequo Guaimarium filium in collegam ascivit, a. 16, ut Chron. nostrum, et *Catal. Salern.* affirmant. A. vero 880 monachus effectus est, et cum coenobium b. Benedicti per marinum iter Neapolim profectus properare satageret, in itinere diem clausit extremum. (*Chron. Anon. Salern.* c. 128; ERCHEMP. c. 48).

Et eiusdem XXII. anno, XII. ind. Gregorius dux Neapolim an. 5, m. 7.

Annus 22 Michaelis, et ind. XII, initium ducatus Gregorii ex Chronographi nostri supputatione inter diem 1 m. septembris a. 863, et 31 m. augusti a. 864 collocant. Ex his vero, quae supra in Sergio dixi, Gregorium m. iunio vel iulio a. 864 socium in ducatu a patre ascitum fuisse, haud inverisimile est.

Nam, ut in *Vita S. Athanasii* dicitur, is parentibus " adhuc viventibus militum magister constituitur, vir per omnia strenuus, ut genitor, et in greca latinaque lingua peritissimus. . . . . Huius autem genitor, dum sibi e vicino languore excessum adesse cerneret ultimum, suos mox accersivit natos, eumque, quem consortem sui ducatus fecerat, cum reliquis Emathatie (1) vice monuit, ut Deo subditi existerent, et huic viro egregio (scil. *Athanasio episcopo*) in cunctis obtemperarent dicens: *Huic estote subiecti, quasi patri et domino; hunc tamquam celeste consulite oraculum omni tempore.* Cui tamen et ipse dux (*Gregorius*), ut patri similis et eius monitis obtemperans, in cunctis ei paruit omnibus diebus vite sue: auxilio fretus superno commoda universa messuit. „ (*Vita S. Athan.* n. 2 et 10).

Eo autem ducatum regente, Saracenorum ferocitas ita in his praevaluit regionibus, ut multarum urbium atque castrorum quotidianum fieret excidium. (IOH. DIACON. n. 45).

Eo igitur tempore, quo Lodoycus, piissimus augustus Beneventanam provinciam ab exulatione Sudan (*Seodan*) crudelissimi Hismahelitum regis advenit eruendam (2), suae nexus coniugi, spretis iam Neapolitum legatis, submissione antiqui aemuli, sicut dictum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala;* hic venerandus vir (*Athanasius*) pro suorum civium salute frequentissime adiit caesaream celsitudinem, a quibus officiosissime excipiebatur ob piae famae rumorem, et

(1) Ita in codd. Mazochius, *O. c.* p. 381 in not. (33) *e Mathatiae vice* legit, hoc est Mathatiae exemplo, qui morti proximus natos adhortabatur, ut Simoni et Iudae, fratribus suis, dicto audientes essent.

(2) Imperator Hludovicus augustus (invitatus . . . . in commune a Beneventanis, Capuanis, cunctisque comarchianis ad tuitionem perditae patriae. ERCHEMP. c. 32) cum uxore sua pariter gloriosa Angelberga augusta Benevento properantes, (per Suram ERCHEMP. l. c.) iunio mense ad monasterium veniunt Ss. Benedicti patris. . . . (*Ignot. Cassin.* c. 7); quo ad eum legati de diversis urbibus venerunt. (ERCHEMP. l. c.) Inibi Capuanorum frustrata calliditate post dies aliquot obsidens (tribus mensibus ERCH.) obtinuit Çapuam, ingreditur Salernum, navigans Malfim, Puteoli utitur lavacris, et per Neapolim Suessulanam adiit urbem; dehinc castrametatur Caudim. Mense autem decembri . . . ingressus est Beneventum, anno quidem septimodecimo augustalis imperii sui. *Ignot. Cassin.* l. c.—Omnia haec anno 866, ut recte Di Meo, III, 205 observat, evenerunt. — Quod vero *Ign. Cass.* asserit Ludovicum scil. per Neapolim tunc transgressum fuisse, id vel falsa ad eiusdem aures fama pervenisse dicendum est, vel ita intelligendum, ut vox Neapolis pro neapolitano territorio, non pro ipsa urbe accipienda sit. Nam ut IOH. DIAC. et *Vita S. Athanasii* testantur, Ludovici *adventui omnium circumquaque urbium patuit introytus. Solummodo neapolitanam non est ingressus civitatem, quia tantam d. Athanasius familiaritatem apud ipsum obtinuit, ut saltem in modico non amaricaretur ab eius potestate.*

sanctitatis reverentiam, qua non mediocriter pollebat. „ (*Vita S. Athan.* n. 11).

Interim memoratus Gregorius dux aegritudine captus Sergium, filium suum dudum iam ducem constitutum huic sancto viro tradere curavit, deprecans nimium, ut paterna illum caritate diligeret, ipsique hoc in mandatis dedit, ut illi subiectus et obediens existeret ac si vernaculus suo domino: *Si enim,* inquit, *tanto parueris viro pro certo salvus eris; sin autem non erit tibi profuturum.* (*Vita S. Athan.* n. 12).

Gregorius, ut Chronographus noster habet, ducatum rexit a. 5, et m. 7, ita ut m. ian. vel febr. anni 870 Sergium in collegam adsciverit et paulo post in fata verisimiliter concesserit.

869. ind. I, Basilius an. 11.

Annus Æ. v. indictioni heic non respondet. Pro 869 legendum igitur esse puto 868, ut utraeque notae chronologicae apte inter se conveniant (1). Revera ex Byz. scriptoribus

Basilius

A. m. $\frac{6360}{6376}$ = Chr. 860-861 = Æ. v. 867-868, ind. I. die 24 septembris, occiso Michaele, solus imperium tenuit. CONST. PORPHYR. *Chron.* IV, 44; ZONAR. XVI, 4; CEDREN. p. 437; NICET. *Vita S. Ignat.* p. 710-711; GEORG. MON. p. 406 et in *Annalibus Russorum* ap. KRUG. *Chronol. der Byzant.* p. 4 — vel

A. m. 6362=Chr. 862, ut SYM. LOGOTH. p. 339, adnotat.

Is, ex munere Accubitoris in aula Constantinopolitana pridem perfuncto, *paracoemumenos* (παρακοιμώμενος) appellatur a nostris Chronographis; qui in eiusdem epocha adnotanda vel annum, in quo Basilius die Pentecostes (26 maii) a Michaele in societatem imperii ascitus fuerat, ut *Chron. Cav.* ubi: A. 866. *Basilius paracimumenius eius,* signant; vel notas erratas aut corruptas habent, ut LUP. PROTOSP. (et *Ignot. Bar.*) sive *Ann. Bar.* ubi: A. 861 ind. VIII. *Mortuus est Michael imp. et surrexit Basilius parascensumenus filius eius* (parakikumeno eius. *Ign. Bar.*) *et regnavit a. 21 ipse solus, et an. 9 cum filiis suis.*

Basilius imperat

cum Michaele a. 1, m. 4 (non exactis) SYM. LOGOTH. p. 339; GEORG. MON. p. 406; HAMART. *Contin.*, IOEL. p. 179 (Cf. MURALT., *O. c.* in praef. p. XXI) — vel a. 1, m. 3 (expletis) CONST. PORPH. l. c.; LEO GRAMM. p. 373 — vel a. 1 tantum, non habita ratione mensium. CEDREN. p. 464; *Catal. Byz.* II.

— mortuo vero Michaele, scil. a die 24 sept. 867, an. 19. CONST. PORPH. l. c.; LEO GRAMM. p. 373; SYM. LOGOTH., et IOEL. ll. cc.; GENES. p. 61; ZONAR. XVI, 11; CEDREN. l. c.; GEORG. MON. p. 406, et *Catal. Byz.* III, V. VI.— vel rectius a. 18, m. 11, d. 6, ut ex *Contin.* NICEPH. Ms. in bibl. Escurial. ap. IRIARTE, *Bibl. Real. Matrit.* p. 481. Ita etiam omissis diebus in NICEPH. Χρον. in cod. Ms. bibl. Bodlei. ap. ZACHARIAE, *Prochiron,* p. 325, et in *Annal. Russorum* ap. KRUG, *O. c.* p. 8.

— in totum a. 21 (non exactis), ut ex nostratibus LUP. PROTOSP. — vel a. 20 (expletis) GLYC. p. 294, *Catal. Byz.* II, et *Ign. Bar.*

Anni vero undecim, qui Basilio a Chronographo nostro tribuuntur, supputati sunt a die, quo ipse secundum ipsiusmet Chronographi rationem imperium suscepit, usque ad diem, quo Leonem et Alexandrum in collegas adscivit. Annos 11 etiam *Chron. Vult.* signat.

Basilius moritur

die 23 vel 29 augusti anno 886. PHILOTAEUS ap. CONST. PORPHYR. *De caerem. aul. Byz.* p. 451; NICET. in *Vita S. Ignat.* p. 711. — Cf. DI MEO, t. V, p. 12, et KRUG, *O. c.* p. 5-11, qui Panuinium, Labbaeum, Ducangium, Pagium et alios, mensem martium adnotantes, iure erroris arguunt.

Huius tertio ann. III. ind. Sergius dux Neapolim a. 7, m. 6.

Sergius, quem Gregorius pater, habito cum suis germanis consilio, praesertim cum domno Athanasio episcopo, suum collegam et consulem statuerat (IOH. DIAC. n. 45), m. martio vel aprili anni 870, in quem annus tertius Basilii ab a. 868, et ind. III. incidunt, paulo post mortuo patre,

(1) Animadvertendum est heic, non ut alias ubi ab initio indictionis proxime sequentis, sed ab eodem, quo imperium susceperat, anno epocham Basilii supputatam esse. Hoc autem ideo factum arbitror, quia et annus graecorum et imperium Basilii iisdem ferme diebus initium sumpserunt.

solus ducatum obtinuit. (1) Tunc „ cepit vir sanctus (*Athanasius*) Dei fratrisque zelo, prefatum nepotem suum spiritualiter et mundane diligere, et, ut in omnibus se aptissimum preberet, sedula admonitione exhortari. Cuius exhortatoria ille (2) graviter ferens, per socrum (3) suam, maxime diabolo instigante, subversus (est?), ut in nullo supradicto viro obtemperaret, cepitque cor eius diabolica decipere locutione, ut si vellet monarchiam solus obtinere non solum huic nullam exhiberet obedientiam, verum etiam hunc a latere suo aut procul eliminaret, aut omnino perderet. In qua deceptionis fraude iniquissima Gezabel calliditatis duelliones conscios reperit, qui more burdonum vel mulorum nati sunt, ut conceptum semel virus, prout decreverat, possit auribus, immo et per aures pectori inserere generi sui; quod et factum est. Nam ad hoc usque perductus est tam vi cupiditatis, quam linguae vipereae assidua meditatione illectus, ut servum Dei captum custodiae truderet. „

“ Erat namque vir ille mobilis, ut arundo, quae omni vento movetur, et avidus in cupiditate, et patri in nullo similis. Hic viros suae malitiae conscios in domo sua clam recondit cum gladiis et fustibus, et virum Dei subdole, quasi ad consilium adscitum, ceterosque germanos illius fraude tenuit; Deum nichilominus parvipendens, patris monita pro nichilo ducens; virique Dei sanctitatem abdicans, prout conceperat, circumvenit eos prestigiis suis, ut Iudas proditor iustissimum Dominum. Reverentissimum Dei famulum, cum omnes metuerent saltem fimbrias indumentorum contingere, ab uno Dei adversario eiusque satellite irreverenter captum et indutum orario (4) tractum, ceu vile mancipium, clericorum adempto solatio, custodiae arctiori delegari fecit. „

“ Quo peracto, commota est tota civitas, atque aerem miserrimis verberabat vocibus, hoc modo lugubrans: *Vae miseris nobis, ad quos tam crudele pervenit facinus! Virum iustum et pium quid oportuit talia pati? Quis enim ad eum aeger aut egenus vel captivus unquam advenit, et inauxiliatus abscessit?* Inter haec graeca latinaque pars sacerdotalis et monachica turba, precipueque Antonius, vir satis idoneus et provectae aetatis, monachorum abbas, diutinis ieiuniis, et aegritudine, corpore iam defecto, alienis erectus manibus, cum universo clero ad praetorium advenit, qui ita exorsus est: *Dic miser et Dei contemptor, quid est hoc quod fecisti? Hoc ergo pro infando scelere noveris te non solummodo periturum, cunctumque genus tuum; sed etiam tota urbs, quae Athanasii hactenus oratione gubernata est, sive dubio desolabitur, Pastore decedente; redde nobis, inquiunt, Patrem nostrum qui nos spirituali carnalique protectione tuebatur; si enim hunc retinere temptaveris, omnes hinc egrediemur et tibi extemplo veniet perditio.* „

“ Quibus auditis amens effectus, primo quidem velud regulus venenatus in eos sibilis irruit; deinde ait: *Ite nunc ad propria, et post decreta respondebo vobis.* Venientes igitur ad eum secundo et tertio, similiter illis dixit. Tunc universi flentes regressi, dicebant ad alterutrum: *Omnium altaria divinorum Templorum exuamus inferamusque ei Dei inimico anathema perpetuum, quo nunquam excipietur.* Cernens autem ille erga se huiusmodi conspirationes, consilio habito cum sequacibus suis, misit et accersivit praedictum virum et S. Salvatoris abbatem cum Clericis, et Monachis; pietate (*pietatem*) simulatus, die octabo absolvit virum Dei, veniamque illi, licet ficte, petens, dimisit eum, fratribus eius retentis. Sed Deus iustus, qui unicuique reddit secundum opus suum hic vel in futuro, hunc iustissime perculit. Nam in eo loco, ubi virum Dei retrusit, non multo post captus est, sicut malefactor. Dimisso namque eo, facta est talis laetitia in urbe tota, qualis solet fieri in caris mortuis ad vitam reductis. Hanc

(1) Pseudo-Ubaldum et Di Meo, qui initium ducatus Sergii ad a. 866-867 figunt, vel ex hoc falsitatis ac erroris arguo, quod apertissime testimonio *Vitae S. Athanasii* adversantur. Ex ea namque discimus sanctum episcopum idibus iulii V. ind. (scil. a. 872) diem obiisse postquam *in angustiis huius saeculi per menses 21* fuisset. Cum autem compertum quoque sit Sergium paulo post mortem Gregorii ducis, et, ut ipse Ubaldus fatetur, *in primo anno sui regiminis* patruum suum persecutum fuisse et carceri mancipasse, concludendum est nunquam ad a. 866-867 initium ducatus eiusdem retrahi posse.

(2) *Monitionem uxor illius graviter ferens*, habet *Cod. Casin.* sed male; nam inferius Sergius gener monitricis diserte dicitur, non maritus, ut observavit iam MAZOCHIUS, *O. c.* p. 391.

(3) Ita etiam legitur in vetusto eiusdem Sancti officio a. 1525 edito.

(4) In Cod. Casin. *episcopalibus indumentis exutum*, quod ineptum esse MAZOCHIUS, l. c. notavit.

videns ille laetitiam poenituit quod eum dimisit: tamen posuit undique insidias clam, ne quis ad eum ingredi aut egredi auderet. Tunc laniebatur hinc inde grex Dominicus, viduae et pupilli opprimebantur; quia preco obmutuerat, et tuba Evangelica non audiebatur. „

" Haec videns vir Deo plenus flebat amarissime, magis illius ruinam ut Saulis Samuhel, quam contumeliam ab eo sibi illatam. Et David mitissimum imitans, eius rabiem dum sedare non posset multis deprecationibus, ab urbe egressus est, thesaurum Ecclesiae signatum anulo suo reliquit, et titulum ibi posuit sic continentem: *Anathema sit illi, qui fecerit vel iusserit absque mea praesentia vel iussione, hanc iannam aperire vel aliquid hinc contingere;* in predicta insula Salvatoris abscessit. Quod ille dux audiens praedicto Dei famulo mandavit, dicens: *Si vult, ut eum non persequar, reiecto candidatorum tegmine, fiat monachus, mihique ad ordinandam Ecclesiam sponte relinquat; Clericos vero, quos secum detulit, illico remittat.* Ad haec vir Dei remandavit ei: *Sponsam, quam Deo cedente suscepi, nulli viventi vivens volensque relinquam, nec ordinandi, me superstite, licentiam dabo: Monachicum schema, illo vivente, non accipiam; scortum est enim, primam sinendo coniugem, adulterae sociari; eos autem, qui me charitatis causa secuti sunt, non tradam, necque reiiciam, unum ab illo peto, ut liceat mihi loco in tuto manere, quousque Dominus duritiam cordis illius mansuescat.* „

" Reversi igitur nuncii, verba venerandi Pontificis retulerunt ei. At ille solito furore insanivit; nam inter alia hoc praecipuum habebat. Confestim armavit se contra eum et omnes sequaces suos; et sub voce preconis clamari per plateas iussit. Et, ut verbis eius utar: *Omnes*, inquid, *audite iussionem dominicam, et ite ad pugnandum ad Salvatorem* (1): cum quibus et Saracenos, qui tunc ibi erant, multis eos praecibus (2) muneribusque evocans, misit, hoc modo eos adhortans: *Testor Deum, quia si* (3) *emporium, ad quod vos destino, quocumque artificio vestrae calliditatis compraehenderitis, cuncta, quae* (4) *in se retinet, cum omnibus hominibus, duobus exceptis, vestro relinquam iuri; insulam solummodo vacuam mihi reddite; et post haec maiora vobis de thesauris meis propriis premia tribuam.* Tunc armati omnes una cum Saracenis profecerunt ad ipsam insulam, expugnantes eam diversis modis, et arcta custodia custodientes, ne cui liceret ingredi vel egredi. Sed Deus custos bonorum custodivit eum illesum ibi per novem dies. „

" Hoc audiens Lodoycus imperator, Benevento degens, nondum capta Bari, doluit ex intimo corde una cum Augusta, et concite miserunt Marino, Praefecto Amalphi, ut veniret et tolleret (5) sanctum virum ex iam praefata insula, et sanum duceret Beneventum. At ille iussis obtemperans Augustorum, venit cum viginti sagenis, et tulit inde sanctum virum. Hoc audientes Neapolites exierunt super eos navaliter una cum Saracenis, persecutique sunt eum procul ab urbe. Sed Deus, qui subvertit Pharaonis currus (6), confregit et illorum tunc superbiam, et in fugam versi sunt; Saracenis captis ibidem et occisis (7). Ille namque illesus una cum sancto viro ivit Beneventum. Videntes eum Augusti fleverunt valde, quod tam sancto viro talis evenisset tribulatio et apud se tenuerunt, consolantes eum diligenter in omnibus. Haec videns militum Magister, quia recessisset sanctus vir sanus, primo doluit quod illesus recessit; sed post animatus est ab iniquis et putridis consiliaris, misit ad inquirendas tamen facultates et res Ecclesie avidissime devorandum. Venientes in Episcopio, ascenderunt locum thesauri, videruntque titulum, legentes non ausi sunt aperire prius; tamen placere ei, qui misit, volentes, aperierunt, nihil de maledictione et excommunicatione hesitantes. Tunc unus ex his, nobili genere, sed mente nobilior, cursu velocissimo exivit; in hoc non consentiens, plus Deum timens quam hominem. . . . Tunc distrahebantur cymilia et res Ecclesiarum et ini-

(1) Salvatoris insula, olim *Megaris* sive *Magalia*, nunc *il Castello dell' ovo.*

(2) Ita in codd. Neapp. quos heic et alibi praesertim sequor.

(3) Male in cod. Corsin. *quasi* legitur. Mazochius correxit: *quod si.*

(4) Sic in codd. Neapp. Male in Corsin. *cunctaque.*

(5) Verba: *et tollerent* adieci ex codd. Neapp.; desunt in cod. Cosin. et in editis.

(6) In editis: *Pharaonem.*

(7) Ita in codd. Neapp.

quis dabantur; sacerdotes Dei contempti erant in tantum, ut etiam ex ipsis fusticatis et tonsoratis nudis per plateas traherentur. Ecclesie Dei, que a religiosis prius tenebantur custodibus, his tribuebantur, qui, contempta religiositate, donum (1) Dei muneribus mercabantur. Et videntes luctum ineffabilem et flentes dicebant: *Quid putas hoc erit? numquid mundi finis est? an Antichristus exivit? nos talia non vidimus, nec audivimus, nec legimus facta fuisse tempore Valentis impii Augusti; nec quando Eudoxia Iohannem sanctissimum a sua sede pepulit.* — Hoc nefandissimum scelus et impium nuncium audiens Adrianus, summus pontifex, gemuit valde, simulque et omne collegium sacerdotum, et qui timebant Deum; et misit legatos suos cum epistolis Neapolim, unam antefato duci (2), et alteram clero, exhortans eos et deprecans, ut reconciliarentur et susciperent suum pontificem, ut patrem et dominum; sin autem, extranei essent ab ecclesiastico collegio, et a communione sacri corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi. At illi iussionem Apostolicae sedis pro nichilo computantes, de suo pontifice nichil gesserunt: insuper missas celebrabant excommunicati (3). Iterum misit praefatus universalis pontifex legatos suos Anastasium bibliothecarium, virum eloquentissimum, et ad exhortandum idoneum, cui iuncxit (4) Caesar Bertarium, reverentissimum abbatem, qui venientes Neapolim, deprecati sunt eos vice Apostolici et Augusti, ut suum pontificem susciperent, pastorem et patrem, et noluerunt audire eos, inflati ab eo qui sedem suam dixit ponere ad Aquilonem. At ille iussus ab eo, a quo venit, firmavit priorem excommunicationem manifeste; in tantum ut etiam in ecclesia cum eis noluit ingredi. At illi, et hanc excommunicationem pro nichilo habuerunt sicut priorem. . .—Vir autem Domini interea tristis, et lugens, et vagus, dum degeret huc illucque, bestialis illa Dalila virum Dei persequi non cessabat, submittens filios Belial, ut quocumque modo sanctum virum extingueret; et, ut aiunt nonnulli, multociens venenum misit etiam Romam ad hoc perficiendum. Sed ille, qui non dormit, neque dormitat, custodivit famulum suum inter tot procellas saeculi, et tribulationes, servavitque illesum.—Dum haec agerentur Benebentani inspirati a demone, et ab aemulis viri Dei, animati zelo eius, comprehenderunt Lodoycum augustum, pium virum, liberatorem scilicet Benebentanae provinciae, et custodiis manciparunt. Dum praedictus imperator custodia teneretur, et Athanasius episcopus, ut peregrinus degeret, excitavit Deus spiritum Hismaelitum, et venerunt Misenum ac Salerno, ut ulciscerentur Augusti et praesulis Athanasii opprobrium. . .„ (*Vita S. Athanasii*, c. 21-25).

“ Tunc Salernum, Neapolim, Caieta et Amalfim pacem habentes cum Saracenis navalibus Romam graviter angustiabant depopulationibus; sed cum Carolus, filius Iudithae (5), sceptrum insigne Romam suscepisset (a. 874), Lambertum ducem, et Guidonem germanum illius Ioannis (VIII.) Papae in adiutorium dedit, cum quibus Capuam et Neapolim profectus est. „ (ERCHEMP. n. 39; *Chron. Anon. Salern.* c. 121). Iam PP., ut et Hadrianus II. antea fecerat, *per crebros missos et litteras* Sergium ducem pluries admonuerat, *ut ab infidelium Sarracenorum consortio declinaret, et a tam prophano tandem aliquando foedere recederet;* sed *quia spes eius frustrata fuerat*, ipse postremo, *assidua quamvis corporis incommoditate tunc detineretur*, volens neapolitanam civitatem cum

(1) *domum* in codd. Corsin., et Casinen.

(2) *iudici* in codd. Corsin. et Casinen. Dux enim Neapolis etiam iudex dicebatur, ut videre est alibi.

(3) Vocem: *excommunicati* adieci ex codd. Neapp.

(4) In cod. Corsin.: *conlux Cesarium reverentissimum abbatem;* quae cum obscura et prorsus absurda sint, MAZOCHIUS, *O. c.* p. 396, not. (57) *conlux* sive *coniunx* pro *coniunctim* legendum putat, et nuperus editor M. G. H. *Script. rer. Lang. et Ital.* p. 447 in *coniunxit* corrigit. In cod. Casin. autem habetur: *Anastasius sedis Apostolicae bibliothecarius una cum Caesario Abbate ex parte Apostolici et imperatoris Neapolim venientes eamdem civitatem anathemate innodaverunt;* ita ut ea ex Corsin, vel ex aliquo simili codice breviata videri possint. At ambo codd. Neapolitani, de quibus iam innui, lectione supra relata, rem aperiunt, et pro Caesario, quem omnino nescire iure fatetur Mazochius, Bertarium, abbatem Casinensem, qui pluries in huius temporis historia memoratur, a Caesare Ludovico missum reponunt. Errorem hos codd. secuti CAPACIUS I, 131, et GIANNATTASIUS, I, 142 effugerunt.

(5) Carolus imperator, qui dictus est *Calvus*.

omni devotione salvare, non recusavit laborem, et Neapolim advenit ut cives eiusdem *in beneplacito Dei adiuvaret.* Sed obturato ipsi corde preces et monita recipere, atque *ut aspides surdae*, audire despexerunt, quamquam PP. Athanasium, Sergii fratrem, secundum eorum votum et desiderium, antistitem ordinare non praetermisisset, multis super hoc aliis etiam bonis promissis, si desiderium suum devota mente complessent. Postea Romam reversus novis litteris ad eumdem Sergium datis increpationes et monita iteravit, minas adiecit, ut resipisceret, et, ut missos fideles ad se de tali negotio tractaturos destinaret, rogavit ; sin minus non solum *spiritali iterato gladio*, sed etiam *materiali* per S. Ecclesiae defensores et vindices arrepto impugnatum iri praemonuit (1). Cum autem Sergius pactum cum Saracenis initum rumpere promisisset, PP. eum, ut ad Traiectum, quo ipse erat iturus, se conferret hortatus est,et se paratum ad ea,quae proposuerat,et maiora etiam, si dux in sententia persisteret, collaturum,spopondit. Congressu m. iunio habito interfuere, praeter PP. et Sergium, etiam Guaiferius princeps salernitanus, Docibilis dux Caietanus, et Pulcari amalfitanorum praefecturius. Data a PP. non modica pecuniae quantitate, et alia in posterum pollicita, omnem cum Saracenis communionem penitus abnuendam esse omnium consensu constitutum fuit. (2)

Sed facta verbis minime responderunt : " Sergius, magister militum, consilio Adelgisi et Lamberti deceptus noluit se ab illis (Saracenis) alienare (3) ; qui statim anathematizatus est et cum Guaiferio belligerare cepit; unde contigit, ut ipse octavo die anathematis XXII Neapolites milites apprehensos decollari fecit : sic enim monuerat Papa. Quo etiam anathemate mulctatus idem Sergius non multo post a proprio germano captus, et Romam mittitur suffossis oculis, ibique miserabiliter vitam finivit. Ipse autem frater eius in loco illius se ipsum Principem instituit. „ (ERCHEMP. c. 39).

Sergius ducatum tenuit a. 7, m. 6, ut Chronographus noster asseverat. Cum autem patri successerit m. aprilis anni 870, eum m. octobri a. 877 e solio ducali expulsum fuisse dicendum est, ut infra melius patebit.

Et eiusdem (Basilii) XI anno, XI. ind. Athanasius, episcopus et dux Neapolim, an. 20, m. 3, dies 29.

Anno XI. Basilii et ind. XI, ut Chronographus noster adnotat, idest a. 877-878, et, ut mihi videtur ex annorum eiusdem sive in ducatu, sive in episcopatu supputatione, die 20 m. octobris Athanasius, exulato fratre Sergio, ducatum neapolitanum obtinuit.

Hic Gregorii ducis filius iam ex calculi mei

(1) V. Ioh. VIII. PP. epist. 5, 40 et 41, datas m. sept. 876, et martio 877. — IAFFÈ, *O. c.* nn, 2775, 2318, et 2319. Has epistolas et alias, quae ad rem neapolitanam faciunt, iterum infra dabo.

(2) V. Ioh. VIII. PP. epp. 50, 51, 52, 59, datas 28 apr. et 30 maii 877. — Iaffè, *O. c.* n. 2325-2326, 2334, et 2336.

(3) Ad haec tempora referri debent ea, quae de Neapoli dicuntur in epistola Ludovici imp. ad Basilium scripta ; quam *Anon. Salern.* in *Chron.* suo inseruit, et forte, ut doctissimus vir Mich. Amari opinatur I, 381, vel amplificando interpolavit, vel etiam ex communi hominum traditione (facta enim vera sunt) confinxit. „ Postremo, ibi legitur, de Neapoli nobis in Christo fraternitas tua (*monuit*) quasi miserimus populum nostrum ad incidendas arbores, et messes igne cremandas, et hanc ditioni nostrae subdendam, cum licet ab olim nostra fuerit et parentibus nostris piis imperatoribus tributa persolveret, verum nos ab eius civibus, praeter solitas functiones, nichil exegimus nisi salutem ipsorum ; videlicet ut desererent contagia perfidorum, et plebem desisterent insequi Christianorum. Nam infidelibus arma et alimenta et cetera subsidia tribuentes, et per tocius imperii nostri littora eos ducunt , et cum ipsis toties b. Petri apostolorum principis territorii fines furtim depraedari conantur, ita ut facta videtur esse Neapolis Panormus vel Africa. Cumque nostri quique Saracenos insecuntur, ipsi, ut possint evadere, Neapolim fugiunt, quibus non est necessarium Panormum repetere, Neapolim fugientes, ibidemque eo, quousque praeviderint, latitantes , rursus improvisa ad exterminia redeunt. Super quibus saepe illos monuimus, sed ex ammonitione peiores effecti sunt, adeo ut episcopum proprium, quoniam eos, ut vitarent consortia malignorum, monitabat, ex urbe proicerent, et illustres ac proceres civitatis compedibus obligarent. Ergo si societatem non dissolverint infidelium . . . . et pastorem et episcopum proprium non receperint, portionem eorum ponemus, cum his quorum libenter amplexi sunt unionem, et in una lance apponemus utrosque . . . praesertim cum unanimiter arma contra christianos ferant et dimicent, et si quos fidelium capere possunt, Saracenorum manibus tradant, cum ipsis ad bella uno impetu procedentes. „ (*Chron. Anon. Salern.* p. 107, in edit. M. G. H. t. III. *Scr.* p. 526.)

ratione anni 875 extremis temporibus, et forte m. septembri vel octobri neapolitanus episcopus renuntiatus fuerat. Sed de hac epocha infra fusius.

PP. Iohannes VIII. statim ac novi ducis electionem cognovit, ei, ac nobilibus et populo neapolitanae civitatis, factum laudans, et scelestam Sergii cum Saracenis unionem improbans gratulanter scripsit (1). Sed haud diu abiit quin Athanasius ipse ad peiora transcurrerit. Nam " cum Saracenis pacem iniens, ac primum infra portum aequoreum, et urbis murum (2) collocans, omnem terram Beneventanam, simulque romanam . . . . *ipse et Saraceni* dirruentes cuntaque monasteria, et ecclesias omnesque urbes et oppida, vicos, montes et colles insulasque depredarunt. Athanasio (*post annum*) sociatus est Pandonulfus (filius Pandonis, Comes Capuae) . . . . . atque cum Neapolitibus, Caietanis et Saracenis iunctus biduo super castrum Pilense (3) irruens expugnavit, nihilque proficiens inanis abscessit. Sequenti vero anno (881). . . (*idem Pandonulfus*) cum suis, Neapolitibus et Saracenis super Colossum (4), quo filii Landonis degebant, insedit. Illis vero, videlicet filii Landonis, in Amphitheatro circumseptis pacem cessit, accipiens ab eis Liburiam cum sacramento. Qua etiam vice memoratus Pandonulfus denuo super Pilanum castrum cum Neapolitibus improvise irruens, fraude cepit, ab eis, qui interius morabantur, traditum . . . decimo kal. septembris a. D. 881. „ (ERCHEMP. c. 44. *Chron. Anon. Salern.* c. 126).

Cum autem PP. de his omnibus certior factus fuisset, primo eundem Athanasium ut *resipisceret et cum Deo odibilibus Sarracenis habitum pactum dissolveret*, commonuit, atque litteris die 20 nov. ind. XIII datis (a. 879) usque ad kal. dec. inducias ad id concessit, alioquin eum anathemizatum iri animadvertit. Dein ipse *usque Neapolim* (5) veniens, *multumque argenti conferens* eum super hac re instantius rogavit. Athanasius promisit a societate infidelium se abscessurum, sed *pro turpis lucri commodo*, quod ab ipsis Saracenis accipiebat, statim promissorum oblitus, noluit quod *scriptis et verbis* promiserat, adimplere. Rursus, cum ipse PP. Caietae moram traheret, idem episcopus et dux, alio *non modico argenti pondere* accepto, per suos legatos iterum spopondit intra 20 vel 30 dierum spatium pontificiis monitis obtemperare, et non solum cum Saracenis pactum foedus abrumpere, sed etiam ipsos Saracenos capere et ad PP. transmittere; sed neque ista promissa servavit, atque sponsiones omnes iuxta solitum fide caruerunt. Quapropter PP. aliis die 12 martii ind. XIV (a. 881) datis litteris eum denuo increpat, et minatur, atque excommunicando modis omnibus ei interdicit, ne seditionem aut aliquam commotionem vel discrimina et laesionem cum his, qui in Berolassi commorabantur, faceret, aut facientibus omnino consentiret. Cum autem nihil PP. tunc etiam profecisset, Synodo Romae apud S. Petrum apostolum m. apr. eiusdem anni habita, ipsum Athanasium *cum omnibus sibi consentientibus omni ecclesiastica communione privavit, et quousque se ab ipsis Sarracenis penitus separaverit, velut totius Christianitatis inimicum, anathematizavit* (6).

Interea autumno, ut videtur, anni superioris Graecorum classis, Gregorio Spathario, Theophylacto turmarcha, et Diogeni comiti, imperialibus ducibus, Neapolim veniens in mari Saracenorum *victoriosissime straverunt phalanges*, quapropter PP. ipsis scribens de victoria gratulatur (7).

(1) V. Ioh. VIII. PP. ep. 66.

(2) *Chron. Vulturn.* ap. R. I. S. I, 2, c. 405 heic, ubi Erchempertum transcribitur, habet: *portus aequoreos*. LEO OST. vero haec repetens L. I, c. 40, *iuxta Neapolim Saracenos collocatos fuisse* scripsit.

(3) Extabat in territorio Theanensi. De eo vide sis LEON. OST. I, 47; II, 36; III, 19. PRATILL. t. I, p. 46, not. (22) et p. 51, not. (24).

(4) Id infra *Arenam* dicit, i. e. Capuae veteris amphitheatrum. V. PEREGR.-PRATILL. I, p. 135, not. (180).

(5) Iohannem PP. bis Capuam venisse ex ERCHEMP. n. 47 discimus. Secunda vice id verisimiliter exeunte a. 879 vel 880 ineunte accidit. Tunc forte etiam Neapolim venit.

(6) V. Ioh. PP. epistolas 227, 241, 265, 270. — IAFFÈ, *O. c.* n. 2520, 2534, 2565, 2568. Eas infra dabo.

(7) V. Ioh. VIII. PP. epistolas 240, et 255, datas VIII kal. dec. et III kal. nov. ind. XIV. (an. 880) — IAFFÈ, n. 2533, et 2548.

Eodem anno (881) " Pandonulfi nimietatem non ferens Athanasius, relinquens eum, filiis Landonulfi et Landonis copulatus est in societatem. Hiis diebus idem praesul, missis apocrisariis Siciliam,Saracenis ad radicem montis Besubii (1) residentibus, Suchaymum regem exposcit illisque veniens prefecit. Sed iusto Dei iudicio primo omnium super eum insurgens, coepit Neapolim graviter affligere, et devorare omnia exterius ac puellas, equos et arma (arva. *Anon. Salern.*) vi expetere. Hac turbine exactus, et,ut apostolicum anathema, quo erat innodatus, a se et urbe sua expelleret, Guaimarium principem omnesque Capuanos ex urbibus et oppidis cunctosque maritimos (2) suum in adiutorium advocavit, et Saracenos ab eodem loco vi pepulit; illi autem abeuntes Agropolim castrametati sunt. Hoc facto non multo post praedictus praesul (3) una cum filiis Landonis et filiis Landonulfi super Capuam,Pandonulfum capturus advenit, dictamque urbem hinc et inde obsidens, affligebat.„ (ERCHEMP. c. 49; *Chron. Anon. Salern.* c. 130). Sed cum inter hunc, qui Radelgisum Beneventi principem et Aionem germanum eius in auxilium adsciverat, ac filios Landonulfi, qui secum Amalphitanos habebant,iuxta portam urbis aequo marte pugnatum fuisset et obsidio soluta, fratrueles, Athanasio auctore, ad concordiam devenerunt, ut omnes ingrederentur urbem communiter habitaturi. Dato igitur amphiteatro eidem Athanasio, qui illud Guaiferio cuidam tradidit, fratrueles Capuam ingressi Pandonulphum eos suscipientem, et Landonulfum fratrem eius comprehenderunt, et Neapolim cum uxore et filiis in exilium miserunt. (4)

Interea Athanasius, qui coactus a Guaiferio *Colossensi bellum ceperat inferre dictis fratribus atque cum Saracenis nimium eos affligebat.* „ solita fraude, *cupiens supradictos fratres sequestrare ab invicem* Landoni filio Landonis neptem suam adhuc lactentem in coniugium cessit, eumque monuit, ut confratrueles suos caperet, immo occideret, quo facilius ipse Capuam capere posset. At eo et Athenulfo, quem etiam tentaverat, constanter renuentibus, ipse durius hoc accipiens hostis factus est illis (5), et " cernens se delusum. . . trecentos graecos suum in auxilium adscivit, Chasano eos preeunte. Tunc callide pace facta cum Capuanis, mox quando vindemia legitur . . . . ille . . . . suggerente hoc vel maxime Guaiferio Colossense, ex abditis Grecos, Neapolites, una cum theatralibus viris *educens super Capuanos irruit* (6), et depredavit totam Capuam, apprehensis in ea multis et prestantissimis viris peculiisque non modicis. Ab illo igitur tempore omnia circumquaque devastans, Liburiam vindicabat sibi. Nam et Saracenos Agropolitanos, qui nuper de illius magnatibus iuxta rivulum Lanii, non procul a Suessula. . . . ferme ducentos peremerunt viros, clam evocavit, et Capuam misit, ubi tunc egredientes Capuani, valde resisterunt eis; ob hoc et absque preda ad castra repedarunt. „ (ERCHEMP. c. 56; *Chron. Anon. Salern.* c. 134).

Tunc " Agareni in unum sunt coacti, et Garelianum properarunt, et ibidem prolixa tempora (7), nimirum morarunt, et undique Capuam, Beneventum, Salernum, Neapolim affligebant. Sed Athanasius ad solitam vergens fallaciam, cum Agarenis pacem iniens et Salernitanorum tellus (sic) una cum illis fortiter affligebat. » (*Chron. Anon. Salern.* c. 130).

Postea anno insequenti (882) Athanasius: " tempore quadragesimali. . . ipso mediante festo dominico subsequente crepusculo, collectis Grae-

(1) Inde nobis, ut P. Antonius Caracciolus in not. ad *Chron. Anon. Salern.* c. 51 admonuit, proverbium ortum est: *Quattro sono li luoghi della Saracina, Portici, Cremano, la Torre e Resina.*

(2) *Guaimarium principem cum omni suo exercitu validissimo Salernitanorum silicet, Cumsinos, nec non Capuanos seu etiam cetera castra. . . . . advocavit. Chron. Anon. Salern.*

(3) A Guaimario principe Athanasium tunc etiam alienatum esse adiicit *Chron. Anon. Salern.*

(4) Ex ERCHEMP. c. 50.

(5) Ex ERCHEMP. c. 51 et 52.

(6) Heic verbum aliquod deest in cod. Pratillius supplendum esse opinatus est *immisit* vel tale quid. Neque abnuit editor germanicus. Ego, quae supra leguntur, ex *Anon. Salern.* ad sensum aptavi.

(7) Per 40 ferme annos ex Lupi Protospathae, et Leonis Ostiensis sententia. (Cf. LUP. PROTOSP. ad a. 916. et LEON. OST. I, c. 43). Saraceni ad Garilianum moraverunt, sed proprie post annos 35 inde expulsi sunt.

cis Materensibus, Aegyptiis et Neapolitibus, conscio Guaiferio duce, preeunte Chasano, urbem Capuanam temptavit invadere, atque ascensis muro acsi 300 viris armatis...... omnes, in Domino adiuvante, alii sponte ex eo desilierunt, quidam cervice tenus imis iacti sunt, nonnulli vero gladio occubuerunt... " Athanasius autem Salernum etiam „ per Saracenos prius et postea per Graecos capere molitus est, sed non est permissum a Domino. „ (Erchemp. c. 57: *Chron. Anon. Salern.* c. 134).

Post haec "Athenulfus, cui Athanasius (1) spoponderat se in omnibus auxiliaturum (Erch. c. 62), castaldatum capuanum singulariter suscipiens, continuo se comitem appellari iussit, moxque filium suum Athanasio obsidem direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, Liburiam et Capuam sub iureiurando illo concessit; Athanasius vero retinuit illius sobolem, quousque pactum illi a Guidone duce (Spoletii, qui contra Saracenos in Campaniam venerat) repromissum susciperet dictus Atenulfus, acceptoque foedere gallico, reddidit illi filium et custodita est pax inter utrumque anno uno et mensibus tribus. (Erchemp. c. 65; *Chron. Anon. Salern.* c. 136).

Per idem tempus (1) Athanasius " Graecos, et Neapolites, seu omnes Capuanos generaliter movens, super Abellanum misit castrum, quo tunc preerat Landulfus Suessulanus. Mox autem.... fraude illorum, qui intro erant, captum est, apprehenso in eo Landulfo, et filio eius iuniore, nuruque illius „ (Erchemp. c. 67; *Chron. Anor. Salern.* c. 138).

Interea cum Athenolfus iam memoratus Capuanos cepisset, advertens Athanasius Capuam fortiter concussam, cepit occasionem quaerere adversus Atenulfum, et obsides ab eo seu et pacem innovare. *Interim* insidias tetendit latenter; et depraedāvit totam Capuam graviter (2). *Ex his* Athanasius in tantam elationem prorupit: " ut etiam Beneventi fines bis terque praedari faceret. Aio autem tunc Vari degens.... hoc audiens ... ferme cum tribus millibus bellatoribus clanculo veniens castrum in Abellinum; ubi autem intellexit Graecos cum Neapolitibus residere super Capuam radicitusque eam devastare, illico recto itinere super eos audacter adventare studuit... At illi relicta Capua praecipites Neapolim reversi sunt, Aio autem ... Liburiam ingressus est, cum quo et Atenulfus abiit, et exusta pene tota Liburia, ac depredata populisque et bestiis ablatis puteisque saxis oppilatis, amphitheatrum profectus est, quo residens per aliquot dies.... fortiter expugnavit ... Atenulfus autem Aioni se subdens per sacramentum, ab eodem in adiutorium sui 120 ferme bellatores suscepit, cum quibus graviter totam Liburiam depredavit. Sed quia nonnunquam desperatio periculum gignere solet, generaliter moti Materenses e Calvo, et aliquanti Capuani cum dictis Apuliensibus iuncti Liguriam circumeuntes Suessulam depredarunt et reverti ceperunt, quibus occurrit Graecorum, Neapolitumque exercitus iuxta rivulum Lanii, atque.... devicti sunt.... Hac de causa audaciam sumens Athanasius bellum cepit expetere, unde Atenolfus ... continuo cum suis Atellam abiit, dumque praelium non invenisset, reversus est ad sua.„ (Erchemp. c. 71-72; *Chron. Anon. Salern.* c. 140.)

" Non muito post... collecto Athanasius multitudine exercitu mixto Graecorum, Neapolitensium, et Hismaelitarum, equitantium et pedestrium, misitque illos adversus Capuam pugnaturos, quibus occurrit Atenulfus ultra rivulum Lanii iuxta S. Carcium, habens in comitatu suo auxiliatores ab Aione missos, nec non et Saracenos. Saraceni vero ex utraque parte iuncti steterunt nulli eorum prebentes auxilium. Atenolfus talia cernens acrius super inimicos suos insurgens... protrivit eos usque ad ultimam perniciem... Ab hoc sane die cepit iam quasi potens esse Atenolfus et Athanasius impotens. „ (Erchemp. c. 73).

Is autem " videns se in omnibus superatum, pudore obiectae pacis expetiit foedus, quod adeptus est, previtoque iureiurando pacti sunt ad invicem. Primum tamen sacramentum sistebat roboreum aut mensem aut tempus annotinum, istud autem nec ad diem duravit duodecimum. Denique Hismaelitae hac illacque discurrentes.... omnia devorant, universa consumunt, et contra Neapolim unanimiter consurgunt... Tunc scisso

(1) Aliam eiusdem cum Capuanis, de qua Erchemp. c. 60, factionem, utpote nullius momenti, ne legentibus eadem saepe iterando fastidium afferam, omitto.

(2) Ex Erchemp. c. 70.

foedere utraque pars (Athenolfi vid. et Athanasii) ad praedam prorupit. Sed Capuani praevalidiores effecti per se et cum Saracenis graviter Neapolim circumquaque vastantes lacerant. . . . omnia. „ (ERCHEMP. c. 75 et 77; *Chron. Anon. Salern.* c. 141).

Circa haec tempora " Capuanenses ivere Parthenopem praedatum, utpote quoniam crebro inter eos odium pullulabat, inter quos erat etiam Adelpherius (*Abellinensis*). Quos dum Parthenopenses insequerentur cum Beneventanis, et aliquot Agarenses, peremerunt ex eis quosdam, et ceperunt aliquot; inter quos etiam captus est Adelpherius, quamvis viriliter egisset, et Neapoli in vinculis positus; prius enim Avellino eiectus Capuam iverat. Sed. . . Deo tuente, evasit incolumis; quem superius nominatus Guaimarius suo ab amico Athanasio ob vindictam omnimodo reposcebat. „ (*Catal. Benev. Vatic.* seu *Fragm. Hist. Anon. Benev.* n. 9).

Athanasius autem cum Salernitanis quibusdam coniuravit, ut Guaimarium principem expellerent, et Siconolfum quemdam beneventanum sublimarent. At seditione coercita rebelles profligati sunt, et tandem victi; qui vero non evaserunt Surrentum sunt deducti et in ardua custodia retrusi. (1)

Interea Atenolfus iam dictus Comes Capuae " crebrissime legationem Salernum mittebat nimirum et obsecrabat, ut filiam Guaimarii principis senioris Landolfo suo filio copularet, essetque illi subditus, sicut antecessores et praedecessores illius fuerunt... sed hii (*Guaimarii* vid. *pater et filius*) una spernebant eius flagitationem, maxime resistente Idta uxore praefati principis senioris. Agebat namque: *Ego sum ex regali stegmate orta, et cum subdito meo consanguinitatem annecto?* Atenolfus cernens se delusum doluit, praesertim cum et crebrissime a Salernitanis tellus illius depraedaretur, necessitate coactus praefati Athanasii filiam suo filio in matrimonium tradidit. Magistri militum filia Gemma nuncupabatur, Atenolfi filius dicebatur Landolfus. „ (*Chron. Anon. Salern.* c. 153).

Post haec nihil aliud de Athanasio invenimus. Si *Chronico Cavensi* Pratilliano fides habenda esset, ipse a. 903 *ad fidem conversus obiit in pace.* Sed ex annis ab eo in episcopatu et in ducatu Neapolis transactis, qui a Petro subdiacono, et a Chronographo nostro aperte memorantur, recte colligitur ipsum, cum de dictorum munerum initio minime, vel parum dubitetur, m. martio vel aprili, anni 898 obiisse.

Item eodem anno Gaiderissi, Radelgari filius, an. 2, m. 6, d. 29.

Eodem anno 877-878, in quem iuxta Chronographi nostri supputationem annus undecimus Basilii et ind. XI incidunt, et fortasse m. iunio, uti ex supra dictis coniici licet, Gaiderisius, filius Radelgarii, et nepos extincti Adelchis, in principatu Beneventano est ordinatus. Consentit omnino *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 878, XI. *Gaiderisus princeps.* Aliquanto serius rem adnotat *Chron. Cav.* ubi: A. 880, XIII. *Gaiderisus.*

Principatum rexit, ut in Chronico hoc, a. 2, m. 6, d. 29 — vel, levi quidem differentia, a. 2, m. 6, dies 19, ut in *Catal. Benev. Cav.* et in *Chron. Vulturn.* (R. I. S. I, 2, c. 408) — aut numero rotundo a. 2, m. 7, ut in laudato *Chron. monast. S. Soph.* — vel tribus vix annis, ut in *Chron. Anon. Salern.* Ex librarii vero errore *Catal. Benev. S. Soph.* habet a. 5, m. 6, d. 19.

A. 881, ind. XIV (m. ian. *Chron. monast. S. Soph.*) Gaideris " a contribulibus Landonis (cognati sui) captus ac custodiae mancipatus est, eiusque in loco Radelgis, filius Adelgisi, princeps est constitutus. . . Franchis vero traditus in custodia, fuga lapsus pervenit urbem Varensem, qua morabantur Greci, a quibus missus est urbem ad regiam Basilio pio augusto, a quo . . . . Oeriam urbem accepit ad convivendum. „ (ERCHEMP. c. 48; *Chron. Anon. Salern.* c. 129).

Eodem anno Guaimarius, princeps Salernitanorum, an. 16.

Guaimarius ex Chronographi nostri supputatione, qui ab anno civili graecorum proxime sequenti epocham suscipit, eodem anno 877-878 a Guaiferio patre in principatus Salernitani consortio adscitus fuit. Sed ex documentis tabularii Cavensis, ut Di Meo animadvertit, id ad m. ianuarium anni 877 ablegandum est. Nam ipse m. febr.

(1) Ex *Chron. Anon. Salern.* c. 149-150.

ind. XIII (a. 880) quartum annum, et m. febr. ind. XV annum sextum in instrumentis agit (1).

Guaimarius, qui etiam in documentis Waimarius inscribitur, *imperialis patricii* titulum a graecis imperatoribus, Leone et Alexandro fortasse, habuit, a quibus *integram sortem beneventane provincie sicut divisum est inter Sichenulfum et Radelchisum* sibi concessam in diplomate ipse fatetur (2). Uxorem habuit Iotam sive Idtam, Guidonis II. Spoletensium ducis filiam (*Chron. Anon. Salern.* c. 151. *Fragm. Hist. Anon. Benev.* n. 6), ex quo Guaimarium II, Guidonem, Guaiferium, et Immam comitissam habuit.

Principatum tenuit, ex quo in collegam a patre assumptus fuit, usque quo ipse filium in consortium ascivit, a. 16, numero rotundo, ut Chronographus noster, et *Catal. Salern.* Deinceps imperavit etiam cum filio Guaimario II usque ad suum ipsius vigesimum tertium annum; quo, anno scilicet 899 ex. vel 900 in. ob crudelitatem qua *Salernitanos atterebat* e principatu ab ipso filio deiectus est, et in ecclesia S. Maximi custodiae traditus (3). Quando autem obierit incertum.

879. Ind XII. Leo, et Alexander an. 30.

Defuncto Constantino

Leo

A. m. $\frac{6371}{6386}$ = Chr. 869-870 = Æ. v. 877-878, ind. XI, ut GEORG. MONACH. p. 440.
— vel secundum alios
A. m. $\frac{6373}{6388}$ = Chr. 871-872 = Æ. v. 879-880, ut SYM. LOGOTH. p. 345, cum patre et fratre Alexandro imperium suscepit, forte die Epiphaniae (6 ianu.) vel Paschatis (23 mart.)— Annum vero antevertit *Chron. Cav.* ubi: A. 877, X. *Leo et Alexander cum suprascripto Basilio.*

Chronographus noster epocham ipsorum ab indictione sequenti, uti saepe solet, supputat; alii nostrates, ut Byz. scriptores omnes, a morte Basilii. Notarii vero in instrumentis et diplomatis quandoque a m. ianuario, saepius a m. septembri eiusdem a. 878 imperii eorumdem initium sumunt.

Leo et Alexander imperant

a. 30 ex Chronographi nostri supputatione scil. ab hoc anno usque ad Constantini Porphyrogogeniti coronationem. Ceteri scriptores imperium eorumdem a morte Basilii (cum IV ind. IGN. BAR.) supputant, et eisdem vel a. 25, m. 8 (expletis) ut LEO GRAMM. p. 377; GEORG. MONACH. p. 410; INC. CONT. THEOPH. p. 162; HAMART. *Contin.*; IOEL. p. 140; et *Annal. Russor.* ap. KRUG, *O. c.* p. 8 in not. — vel a. 25, m. 9 (non exactis), ut SYM. LOGOTH. p. 348; ZONAR. XVI, 14. — vel a. 26 numero rotundo, ut GLYCAS p. 230, et MANASS. p. 91, et ex nostratibus LUPUS PROTOSP. et IGN. BAR.— vel denique a. 26, m. 8, annum primum pro completo supputantes, ut *Catal. Byz.* IV et V. adnotant.

Leo moritur

die 11 m. maii feria tertia ind. XV (a. 912) SYM. LOGOTH. p. 470; LEO GRAMM. p. 386; GEORG. MON. p. 462; INC. CONT. THEOPH. p. 173; CEDREN. p. 475.—Cf. KRUG, *O. c.* p. 9 et 87.

Alexander moritur

die dominica 6 (vel 8 iun. CEDREN. p. 477), ind. I. (a. 913) INC. CONT. THEOPH. p. 175; cum post mortem fratris Leonis imperasset item a. 1, et d. 29, SYM. LOGOT. p. 472; LEO GRAMM. p. 386; vel a. 1, d. 22. INC. CONT. THEOPH. p. 174, aut numero rotundo mensibus tredecim; CEDREN. p. 475; MANASS. p. 91.

Huius (Leonis et Alexandri) 3 a. XIV. ind. Radelchis, princeps Beneventi, Adelchis filius, a. 3, et m. 6.

An. 881 m. ian. in quem annus tertius Leonis et Alexandri iuxta Chronologi nostri supputationem, et ind. XIV incidunt, Radelchis, filius Adelchis, electus est princeps Beneventi. Consentiunt *Chron. monast. S. Soph.*, et diplomata

(1) *Cod. dipl. Cav.* t. I, p. 106 et 108 — Cf. DI MEO *O. c.* V, 96, *not.* — Cf. DI BLASI, *O. c.* p. 44.
(2) MURATORI, *Ant, Ital.* I, p. 182.
(3) *Chron. Anon. Salern.* c. 155. Cf. DI BLASI, *O. c.* p. 43.

eiusdem coenobii, quae annum primum mense ianuario cum ind. XIV adnotant (1).

Radelchis, qui uxorem habuit Arnipergam, principatum tenuit a. 3 et m. 6, ut Chronographus noster, ac *Chron.* et *Catal. Benev. S. Soph.* — vel a. 3, m. 8, et d. 21, ut *Catal. Benev. Cav. Chron. Vulturn.* et *Catal. Anon. Salern.* adnotant (2); et deinceps a Beneventanis eiectus fuit.

Et sexto eiusdem anno, secunda ind. Aio, frater eius princeps Beneventi, anni 6.

Eiecto Radelchi Aio, frater eius, loco illius subrogatus est (ERCHEMP. l. c.) ex Chronographi nostri sententia inter kalendas sept. a. 883, et diem 31 aug. a. 884, in quo temporis intervallo annus sextus Leonis et Alexandri atque ind. II. incidunt. Cum autem Radelchis, qui m. ianuar. a. 881 imperium susceperat, iuxta eumdem Chronographum, annis tribus et m. 6 imperaverit, Aionem m. iulio vel aug. a. 884 principatum abripuisse coniici potest. Indictionem secundam designat etiam Lupus Protospata, sed mensem octobrem adiicit, quod rationi annorum Radelchis repugnat. Contra, tacito mense, indictionem tertiam, a. scil. 884-885 *Chron. monast. S. Soph.*, et *Chron. Cav.* adnotant.

Aio igitur aut, nulla octobris ratione habita, et Chronographi nostri supputatione retenta, m. iulio vel aug. ind. II, a. 884 imperium suscepit, aut, si mensis octobris ratio habenda est, eo mense, sed ind. III eiusdem a. 884, in quam adamussim anni tres, m. 8, et d. 21 Radelchis ex ratiocinatione *Catal. Ben. Cav.* et *Anon. Salern.* ab ian. a. 881 supputati proprie desinunt, ad Beneventi solium evectus fuit; aut denique, ut utraque concilientur, altero mense eiusdem electio, altero sollemnis coronatio collocari potest (3).

Aio sexto anno sui regiminis Ursum filium suum in consortium imperii assumpsit (4), et, cum principatum tenuisset a. 6, obiit. *Chron. Anon. Salern.* c. 143; *Chron.* et *Catal. Benev. S. Soph.*, *Catal. Benev. Cav.*

Item duodecimo ipsius (Leonis et Alexandri) anno VIII ind. Ursus, filius eius, princeps Beneventi, annum unum.

Chronographus noster m. iulio vel aug. anni 890, ind. VIII. Ursum, qui iam a. 1. cum patre imperaverat, Beneventi principem adnotat; contra *Chron. monast. S. Soph.* ad m. octobris eiusdem anni ind. IX. eum ablegat. Post annum et indictione X. *Chron. Cav.*

Ursus erat tunc puer decennis, et principatum solus rexit a. 1, ut Chronographus noster, *Catal. Anon. Salern.* et *Catall. Benevv. Casin.* et *Cav.* ac *Chron. Vulturn.* — vel a. 1, et m. 6, ut *Chron.* et *Catal. Benev. S. Soph.* habent (5).

Et eiusdem (Leonis et Alexandri) 13 anno, IX ind. Graeci Beneventum ceperunt a. 3 et menses 9.

Cum Chronographo nostro consentit IGN. BAR. qui habet: A. 891, IX. *Intraverunt Graeci Benevento.* Fortasse hi, vel ad m. iulium quo Beneventi obsidio a Graecis inchoata fuit respectum habuerunt, vel potius aliquem specialem indictionum calculum, quem nescio, sequuti sunt. Fusius et aliquanto rectius alii. *Catal. Benev. Casin.* et *Cav.* ac *Catal. Anon. Salern.* habent: *Sybbaticius stratigos cum valida manu Graecorum venit Beneventum 3 idus Iulii* (a. 891 ind. IX), *obseditque eam usque 15 kalendarum novembriarum diem* (a. 891, ind. X), *quos benigne paciscens in eam ipse ingressus est eodem die.* Cum eis omnino convenit *Chron. Anon. Salern.* c. 143. Mensem oct. etiam adnotat LUP. PROTOSP. et *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 892, (gr.) X. *Intravit Sybaticius stratico cum Graecis in Benevento mense octobris.* — *Chron. Cav.* habet tantum A. 892 (gr.) X. *Sabaticius cepit Beneventum.*

Symbaticius, qui in monumentis *protospatha-*

(1) *Regest. Benev. S. Soph.* P. I, n. 11 et 13 in Ughelli, VIII, p. 593, et 594.

(2) In ERCHEMP. n. 48, et in *Chron. Anon, Salern.* c. 129 *vix annis tribus* eum imperasse dicitur.

(3) Primum Aionis, quod habemus, diploma datum legitur *anno primo m. maio tertia indictione* (a. 885) GATTOLA, *Access.* p. 41).

(4) Chartam *sexto anno principatus d. Anzonis* (Aionis) *gloriosi principis* (et) *anno primo d. Ursoni filii eius m. madio octava indict.* (a. 890) datum protulit CESTARI, *Ann. del r. di Nap.* Epoca II, t. VII, p. 14.

(5) In instrum. anni 961 memoratur *cartula* scripta in *primo anno principatus d. n. Ursi de mense aprelis per indictione nona.* V. *Cod. dipl. Cav.* t II, p. 2.

rius et stratigo Macedoniae, Traciae, Cephaloniae atque Langobardiae appellatur (1), duobus circiter annis praefuit, et deinceps ei successit quidam Georgius (2) per a. 1, m. 9, et d. 30. (*Chron. Anon. Salern.* c. 143 et 147), et eo defuncto, Barsaci patricius et Theodorus turmarcha. *App.* ad *Catal. Benev. Vatic* (3).

Tribus denique annis novemque mensibus et diebus biginti dominatio Graecorum tenuit Beneventum, ut *App.* cit. et *Chron. monast. S. Soph.*, *Catal. Benev. Cav.* et *Chron. Vulturn.*

Iterum quintodecimo illorum (Leonis et Alexandri) anno, undecima ind. Waimarius, princeps Salernitanorum, a. 54.

Mense decembri a. 892, in quem a. 15 Leonis et Alexandri, et ind. XI convenit, ut ex plurium documentorum testimonio coniicit Di Meo (V,54), Guaimarius II. a patre Guaimario I in societatem principatus ascitus fuit. Male *Chron. Cav.* habet: A. 896, XV. *Waimarius filius eius Salerni.*

Guaimarius uxorem habuit Gaitelgrimam, Athenulfi III Beneventanorum principis filiam (*Chron. Anon. Salern.* c. 157), ex qua Gisulfum et Guaimarium filios habuit.

Principatum rexìt, usque quo Gisulfum filium in collegam a. 933 (V. infra) assumpsit, annis 40, *Catal. Salern.*— vel a. 39 (a sept. sequenti inceptis) ROM. SALERN. in R. I. S. VII, 160; M. G. H. XIX, 398.

Usque ad obitum vero sedit a. 54 (non expletis) ut ex huius nostri Chronographi testimonio primum scimus (4).

Et 17 ipsius (Leonis et Alexandri) anno, XIII. ind. Franci Beneventum ceperunt ann. 1, m. 9, d. 10.

Cum Graeci Beneventum ceperint die 18 oct. a. 891, et principatum tenuerint a. 3, m. 9 et d. 20 eos die 9 m. aug. a. 895 ex eodem expulsos fuisse dicendum est. Ita Chronicon hoc nostrum, et *Chron. mon. S. Soph.* ubi habetur: A. 895, XIII. *Expulsi sunt Graeci de Benevento per Guidonem marchionem*, testantur. Mensem aug. etiam designat LUP. PROTOSP.; sed IGN. BAR. ind. XII. Franci autem, ut Chronographus noster, sive *Guido dux et Marchio*, ut alii, cum *feliciter* Beneventanis praefuissent a. 1, m. 8, ut in *App.* ad *Catal. Benev.*—vel a. 1 et m. 9, ut in *Chron. Anon. Salern.* c. 147. — vel strictius a. 1, m. 9, et d. 10, ut Chronographus noster, Ageltruda imperatrix, uxor eiusdem Guidonis, Beneventum ingressa prid. kal. apr. (31 mart.) *Radelchim, fratrem suum Beneventano principatu restituit, qui fere duodecim annis ab eo fuerat expulsus.* (*App.* ad *Catal. Benev.* ex cod. Vat.)

Et eiusdem (Leonis et Alexandri), 19 anno XV. ind. Radelchis, iterum princeps Beneventanorum, an. 3, m. 6.

Ex supputatione temporis, quo Franci Beneventum, dominati sunt, facile eruitur Radelchim die 19 m. maii a. 897, in quem Leonis et Alexandri a. 19, et ind. XV apte conveniunt, iuxta Chronographum nostrum, in principatu Beneventano restitutum fuisse. Neque documenta, quae supersunt, his adversantur. *Chron. Cav.* vero et *Chron. monast. S. Sophiae* annum forte a m. septem. sequenti sumunt; nam adnotant: A. 898, I, *Radelchis princeps.*

Hac vice ipse in beneventano principatu sedit a. 2, m. 6, ut *Chron. mon. S. Soph.* et *Chron. Vult.* affirmant; aut a. 2 et m. 2, ut *Chron. Anon. Salern.* c. 154; aut denique, nulla mensium ratione habita, annis 2 ut LEO OST. I, 32, et *App.* ad *Catal. Benev. Casin.* Chronographus noster vel ex librarii errore, vel ex sua ipsius falsa

(1) V. GATTULA, *Hist.* p. 51; *Syllabus graecar. membr.* p. 2.

(2) Huius diploma (*enthilma*) datum m. aug, ind. X (a. 892) habetur in *Chron. Vulturn.* ap. R. I. S. I, 2, c. 413.

(3) Quamdiu isti Beneventum rexerint ignoratur. Diploma vero a Cosma Anthio, in Benevento etiam duce, datum m. ianu. ind. II (a. 893), et ab UGHELLIO, *O. c.* t. VIII, c. 68 relatum, vel falsum est, vel saltem interpolatum.

(4) Postremum instrumentum, quod Guaimarii I. nomine inscriptum in tabulario Cavensi extat annum 51 eiusdem m. martio I ind. (a. 943) habet; primum vero Gisolfi solius nomine in m. octobri V. ind. (a. 946). Ex his recte DI BLASI, *O. c.* p. 41 alios forte annos Guaimario ultra unum et quinquaginta fuisse putat, quamvis deficientibus annorum 944 et 945 in eodem tabulario chartis pro certo affirmare non audeat. Contra Di Meo ex auctoritate *Catal. duc. et Princ.* ab Pratillio editi Guaimarium obiisse putat a. 942, et ex *Necrol. Capuan.* in m. iunio, quamvis postea de hoc dubius rem in ambiguo reliquerit. At nunc ex nostri Chronographi testimonio ipsum defunctum fuisse eodem a. 946, ante m. octobris pro certo discimus.

supputatione annos 3 pro 2, signat. Eiectus igitur e solio fuit et in monasterio S. Sophiae retrusus m. novembri ind. III. a. 899. (V. infra).

Item 20 ipsius (Leonis et Alexandri) anno, I. ind. Gregorius, dux Neapolim, anni 16, m. 10, d. 10.

Gregorius, ut supra innui, et ex notis chronologicis hic relatis erui potest, m. martio vel aprili a. 898 Athanasio in ducatu neapolitano successit; Stephanus vero Sergii I. filius, olim episcopus surrentinus, ipsum Athanasium in episcopatu item neapolitano excepit. In quodam diplomate anni 907, quod infra iterum dabo, ipse Gregorius hunc Stephanum patruum suum nominat, quod ego quonam modo factum fuerit nescio, nisi eum Sergii II. filium fuisse dicamus.

Primis ducatus sui temporibus, scil. anno 24 Leonis et Alexandri, Ibrahim ben Ahmed, Aphricae rex, quem nostri scriptores Abraham vocant, magno cum exercitu, Italiam veniens Tauromenium, quae sola ex Siciliae urbibus graecorum imperio parebat, cepit, et deinde, transvadato mari, Consentiam in Calabria obsedit, omnia circum circa gladio igneque crudelissime devastans. Fama atrocium factorum, quibus immanis ille hostis in christianos acriter saeviebat, omnium cis-Tiberinae Italiae urbium cives ingenti terrore commovit. Tunc etiam " huiuscemodi pavore perculsi Gregorius Consul et cunctus neapolitanus populus, una cum Stephano episcopo, decreverunt ut castrum Lucullanum, quod valde habitatoribus deminutum erat, acceptu aptum, destrueretur. . . . ne fortasse, sicut idem crudelissimus rex minabatur, super Neapolitanos adveniens oppidum ipsum facillime caperetur „ Sic castrum Lucullanum incolis transmigratis Neapolim, et sacris S. Severini et aliorum sanctorum lipsanis, prius in ecclesiam ei intra muros urbis dicatam translatis, funditus ab ipsis civibus, universim ad laborem concurrentibus, eversum atque ad solum prostratum fuit. Paulo post Ibrahim in ipsa Consentiae obsidione in morbum incidens ex improviso, quasi ictu fulguris, diem obiit supremum (1).

Haec omnia, ut ex Iohannis Diaconi aliorumque nostratium, nec non ex Arabum scriptorum testimonio evincitur, ab m. augusto a. 901 ad m. octobris a. 902 acciderunt; eversio autem oppidi sive castri Lucullani tertio idus octobris memorati anni 902.

Anno insequenti, vid. 903, mense iun. VI ind.(2) . . . Athenulfus (princeps Beneventi et Capuae), una cum Gregorio neapolitano, nec non et cum Amalphitanis, non parvo exercitu aggregato, Garilianum supra Saracenos venit, et, constructo de navibus ponte, iuxta Traiectum in loco, qui *Serra* vocatur, transiens expugnabat eos. Ibi igitur illis consistentibus, quadam nocte, dum minus caute suas custodias agunt, repente Saraceni cum Caietanis super eos irruunt, deque illis plurimos sternunt; reliquos usque ad pontem acriter insequuntur, sed ibi tandem, nostris fortiter resistentibus, Saraceni terga vertere et suis se castris tueri coguntur. „ (LEO OST. I, 50.)

A. 911 ind. XIV m. iulio Gregorius *Capitularium* fecit cum supra dicto Athenulpho principe, quod postea, nominibus tantum mutatis, a Iohanne duce eius nepote, cum eiusdem Athenulfi successoribus repetitum fuit. Ipsum a Peregrinio primitus, ac ab aliis postea editum, infra lector reperiet.

Chronographus noster Gregorium annis 16, m. 10 et d. 19 ducatum neapolitanum rexisse asserit; qui, cum circa m. martium a. 898 ini-

(1) IOH. DIACONI, *Opuscula de Translatione S. Severini, et Sosii,* quae ad rem nostram faciunt, infra dabo. Cf. praeterea DI MEO, *O. c.* IV, p. 222 et ss.; WEINRICH, *Rerum ab Arabibus in It. insulisque adiacentibus etc. gestarum,* p. 129 et ss. sed praecipue doctissimum virum MICH. AMARI, cuius in rebus arabo-siculis summa est auctoritas, in opere: *Storia dei Musulmani di Sicilia,* t. II, p. 72-96.

(2) Di Meo hanc in Saracenos expeditionem, quam nulla peculiari temporis nota Leo Ostiensis praefinivit, ex auctoritate Pseudo-Ubaldi, et *Chronici Cav.* Pratilliani ad a. 908 assignat; sed certius, ac prae aliis gravissimum testimonium a Di Meo ignoratum, illam in a. 903 accidisse evincit. Nam in pagina ultima cod. Casinensis 353 saec. X, manu coaeva adnotatum legitur: *Quarto anno principatus domni Atenolfi gloriosi principis mense iunio, sexta indictione, facta est maxima strages christianorum a Saracenis ad fluvium Traiectum.* Cf. *Catal. Com. Cap.* ap. M. G. H. t. III *Script.* p. 206, et in *Script.* saec. VI-IX, p. 499. — In eadem pagina dicti cod. Casin. n. 353 adnotatur quoddam Neapolitanorum factum, sed, cum scriptum pene totum deletum sit, ex eo parum vel nihil intelligi datur. Verba quae adhuc ibi leguntur, haec sunt: *Sexto anno eiusdem principatus* (Athenolfi) *interfecti sunt a Neapolitis et Saracenis ? triginta ? nobiles viri Capuanites.*

tium habuerint, in m. ian. vel febr. a. 915 desinere deberent. Et idcirco idem Chronographus successorem Iohannem in a. 7 Constantini (914-915) III. ind. ponit. At huic rationi adversantur ea, quae de Saracenorum ex Gariliani viciniis expulsione, a. 915-916 peracta, narrantur, in qua partem non minimam ipse ex scriptorum testimonio habuit. Si igitur recte sese habet Chronographi sententia, dicendum est Gregorium eo tempore non obiisse, sed filium, ut et alias notatum, in ducatu consortem adscivisse. De eiusdem vero apud Garilianum gestis haec habentur:

" Cernens praefatus princeps (Athenulfus), non sine manu valida, et brachio extento Sarracenos posse de Gariliano expelli, Landulfum filium suum ad Leonem imperatorem Costantinopoli destinavit; suggerens omnia, quae per tot annos ab Agarenis perpessi fuerant mala, orans et supplicans, ut dignaretur quantocius afflictae, ac desolatae ab eisdem Saracenis patriae subvenire, utque illos de Gariliano valeant extirpare, auxilium exercitus sui non dedignetur illi trasmittere. Quem Imperator honorifice satis recepit, et cuncta, quae suggesserat, benigne se impleturum spopondit. Cum interim praedicto Atenulfo defuncto apud Capuam, Landulfus, impetrata ab Augusto licentia, revertitur, atque a fratre Atenulfo cum honore recipitur, Imperator autem suae sponsionis non immemor, Nicolaum Patricium, cui Picingli cognomen erat, consequenter asciscens, cum valida hunc Graecorum manu ad has partes transmisit, eique, ut Saracenos praecipue Gariliano degentes funditus delere satageret, mandatis augustalibus imperavit. Veniens igitur praedictus patricius et fortitudine valida, et prudentia maxima cumulatus, eos primum, quos familiares sibi, ac foederatos Saraceni habebant, idest Gregorium Ducem Neapolitanum, et Ducem Caietae Iohannem patriciatus illis honorem ab Augusto deferens, ab eis disiungere studuit. Deinde coniunctus praedictus fratribus Landulfo et Atenulfo, principibus Capuanis, advocato etiam Guaimario principe Salernitano, Apulis quoque et Calabris omnibus transmarino exercitui additis, castra super Saracenos iuxta Carilianum ex ista parte metatus est. Quo cognito Papa Iohannes decimus, qui ex Episcopatu Ravennate triennio ante Romanam sedem invaserat, una cum Alberico Marchione, cum valida pugnatorum manu superveniens ex altera nichilominus parte consedit, et ita eos hinc inde per tres menses continuos obsidentes ad extremitatem ultimam perduxere. Cumque iam Saraceni fame nimia laborarent, neque ullo ingenio, ullo unquam modo se evasuros nostrorum manus sperarent, ipsamque iam mortem prae oculis cernerent, consilio tandem supradictorum ducum Gregorii, atque Iohannis, omnes domos suas incendunt, sicque facto unanimiter impetu fugientes per montes, silvasque proximas disperguntur. Quos nostri instantius persequentes, vix paucissimis de tanta moltitudine evadentibus, omnes interimere, atque hoc modo auxilio et misericordia Dei, funditus de partibus istis eliminati sunt. „ (Leo Ost. I, 52.)

Haec, si eidem Ostiensi fides habenda, acciderunt *anno incarnationis Dominicae nungentesimo quintodecimo, indictione tertia mense augusto.* Idem fere habet *Chron. monast. S. Soph.* ex textu cod. Vat. 4939 a Borgia editum, ubi: A. 915, III....... *hoc anno expulsi Saraceni de Gariliano per eumdem L.* (Landolfum) *principem* (1).

At contra, tacito mense, annum 916 Lupus Protosp. et *Ign. Bar.* adnotant, quos moderni scriptores sequuti sunt, ut Di Meo et alii. *Chron. Cav.* Pratillianum, Pseudo-Ubaldum et *Adiectiones* ad *Chron. monast. S. Soph.*, ubi item a. 916, dicitur, utpote omnia a Pratillio prolata, non moror. Sed primam sententiam omnino amplectendam esse suadent verba, quae supersunt ex adnotatione in extrema pagina cod. Casin. 353 apposita, ex quibus coniicere licet bellum ad Garilianum sub principatu *D. . . . Atenolfi principis . . . . ind. III* commissum fuisse (2).

Iterum 22 ipsius (Leonis et Alexandri) anno III. ind. Athenolfus et Landolfus, princeps Beneventi, anni 10, m. 6.

Pulso Radelchi, Athenulfus, Landenulfi filius, Capuanus comes, a Beneventanis invitatus prin-

(1) In margine tabulae Cycli decennovenalis, quod in cod. Casin. n. 3 extat, id ad a. 914 absque ulla mensis mentione adnotatur (V. Gattula, *Access.* p. 838; *Bibl. Casin.* I, p. 95) quod vel ex errore appositionis vel ex graecanici anni supputatione factum fuisse arbitror.

(2) Cf. M. G. H. *Script. Lang. saec. VI-IX*, p. 500.

ceps constituitur (*Chron. Vult.* ap. R. I. S. I, 2, p. 408) anno 899-900, in quem a. 22 Leonis et Alexandri et ind. III. incidunt, atque coronatur in kal. decembris (*Chron. monast. S. Soph.*) —Consentit *Chron. Cav.* ubi: A. 900, III, *Athenulfus, magnus princeps.*

Ipse primo sui principatus anno ind. IV. (901) filium Landulfum in collegam ascivit, ut ex eodem *Chron. Cav.* eruitur. Aut vero aliam rationem, quam nescio habuit, *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 902, V, *secundo anno domni Athenolfi et primo domni Landolfi principis filii eius* legitur; aut annum non absolutum, sed vix inceptum, supputare voluit. Ex plurium denique instrumentorum notis chronologicis Di Meo ad a. arguit Landulfum m. ian. dicti anni 901 in consortium principatus assumptum fuisse.

Chronographus noster unam ab altera utrorumque principum epocham non discernit. Ex eius sententia Athenolfus ac Landolfus principatum habuere annis 10, m. 6. Rectius *Catal. Benev. Cav.* adnotat: *domnus Atenolfus tenuit principatum Beneventi solus annum. Quo completo dom. Landolfus fil. eius factus est princeps, et iam dicto pater cum filio suo an. 10, m. 6.* Nec, meo iudicio, dissentire videntur *Chron. monast. S. Soph.* et *Catal. Ben. S. Soph.* quamvis patri soli a. 2 ex librarii forte errore, et eidem cum filio a. 10, et m. 6 tribuant. Nam *Chron.* in summa annorum recte adnotat: *et facti sunt omnes anni regni istius Atenolfi 11 et m. 6.* Fortasse error ex *Catal. Benev. Casin.* fluxit, qui, annum alterum Athenulfi inceptum pro completo habens, duos ei adscripsit, et postea, ut ratio constaret, menses 6, qui in principatu patris et filii redundant, omisit.

Utcumque sit, Athenulfus m. apr. a. 910, ut Di Meo autumat, obiit.

909. ind. XII. Constantinus...

Varias Constantini Porphyrogeniti in imperio epochas scriptores ex documentis, ac ex Byzantinis chronographis eliciunt. Prima, et apud nostrates omnium praecipua, ut recte Di Meo asserit, est illa, quae vel ex mm. iunio aut iulio, sive potius, ut mihi videtur, ex m. maio ind. XI, vel ex septembri ind. XII anni 908 desumitur. Tunc in imperio collega a patre renuntiatus fuit. Hanc epocham *Chron. Cav.* signat, ubi: A. 908, XI. *Leo suprascriptus cum Constantino filio porphyrogenito.* Hanc etiam Chronographus noster adnotat, sed, uti solet, ab initio anni graecanici hic supputat, neque vero aliam abnuit. Nam cum deinceps Athenulfum III. in principatu beneventano assumptum a. 25 eiusdem Constantini ind. VI. (a. 932-933) affirmet, ac postea Gisulphum a. 26 eadem ind. VI. principem Salerni ponat; quae duo facta inter mm. ianuarium, et iunium illius anni, ex documentis determinari possunt, iure evincitur ipsum Chronographum Constantini epocham a m. maio, et fortasse a die 16, quo Pentecostes agebatur, supputavisse (1). Hac denique epocha, a die 1 septembris desumpta, uti apud nostrates mos erat, curiales neapolitani in instrumentis unice utuntur.

Secundam Constantini epocham ab a. 25 imperii Leonis (a. 910-911) a die Pentecostes (9 iunii), quo coronatus fuit ab Euthymio patriarcha, SYM. LOGOTH. p. 350 supputat. Alii diem Pentecostes tantum adnotant, ut GEORG. MON. p. 561; LEO GRAMM. p. 385; CEDREN. p. 605. Ex quibusdam documentis vero ad neapolitanas provincias pertinentibus (2) editores *Annalium* Di Meo post Pagium, annum 25 Leonis, a Simone Logotheta adnotatum, in a. 24 corrigunt, ita ut coronatio ipsa ad a. 909-910 (20 maji) respondeat (3).

Tertia epocha desumpta est a morte Leonis scil. a die 12 maii 912, in qua cum Alexandro patruo imperat. Documenta cum notis Chronologicis huius epochae apud nostrates non invenio.

Quartam epocham decessus Alexandri signat, ac proinde

(1) Mensis maii (a. 908) saltem partem aliquam innui possunt monumenta Caietana aa. 919, 930, 933, et 934 ab FEDERICI, *Degli antichi duchi di Gaeta*, p. 147, 163, 165 et 171 relata; atque etiam forsitan instrum. (*ibid.* p. 166) m. iunii ind. VI (a. 933), si iunius in ianuarium mutabitur. In instrum. autem (*ib.* p. 159) 15 m. martio ind. XII (a. 924) vel error inest, vel alia, quam nescio, epocha adnotatur.

(2) Charta a. 29 imp. m. mart. ind. XII (a. 939) in *Chron. Vulturn.* ap. R. I. S. I, 2, 418, et alia a. 30 imp. m. febr. ind. XIII (a. 940) ap. PEREGR.-PRATILL. IV, 22.

(3) DI MEO, *Annal.* V, 145. In *Appar.* p. 51, ipse Di Meo coronationem Constantini m. febr. vel martio collocaverat.

A. m. $\frac{6405}{6421}$ = Chr. 904-905 = Æ. v. 912-913, die 7 iun. ind. I.

Constantinus solus cum matre Zoe

puer septennis sub tutoribus imperat. IGN. CONT. THEOPH. p. 176; SYM. LOGOTH. p. 354; GEORG. MON. p. 422; LEO GRAMM. p. 387; CEDREN. p. 477; ZONAR. XVI, 16, et *Ann. Russ.* ap. KRUG. p. 126 in not.

Hanc epocham ex nostratibus signant LUP. PROTOSP. et *Chron. Cav.* Alter enim adnotat: A. 913, *ind. prima. Coronatus est Constantinus imp. filius praedicti Leonis.* Alterum item: A. 913, I. *Constantinus Porphyrogenitus, filius supradicti Leonis, cum Zoi matre sua.* Hanc etiam epocham instrumenta in pluribus Italiae cis-Tiberinae regionibus inscriptam habent (1).

Postea

A. m. $\frac{6412}{6428}$ = Chr. 912-913 = Æ. v. 919-920, die 17 m. dec. ind. VIII.

Constantinus et Romanus

socer eius, augustus renuntiatus, imperant, Zoe ex aula expulsa, et in monasterium retrusa. INC. CONT. THEOPH. 184; SYM. LOGOTH. p. 360; GEORG. MON. p. 429; LEO GRAMM. p. 393; CEDREN. p. 485, et *Ann. Russor.* ap. KRUG, *O. c.* p. 140.

Concordat *Chron. Cav.* ubi: A. 919, VIII. *Romanus de Eliopolim civitatem cum suprascripto Constantino porphyrogenito.*

Eodem anno et ind. eadem

Constantinus, Romanus, et Christophorus

eiusdem Romani filius, qui die 17 m. maii collega renuntiatus et die 20 sequenti in festo Pentecostes coronatus fuerat, imperant, primas verum sibi partes Romano arrogante. SYM. LOGOTH. p. 360; GEORG. MON. (2) p. 429; CEDREN. p. 485; ZONAR. XVI, 18.

Postea

A. m. $\frac{6417}{6433}$ = Chr. 916-917 = Æ. v. 924-925, ind. XII (3) die 25 dec. Romanus Lecapenus Stephanum et Constantinum, alios suos filios, sibi in collegas adiungit et coronat. Ita

Constantinus, Romanus, Christophorus, Stephanus et Constantinus

una imperant. LEO GRAMM. p. 397; INC. CONT. THEOPH. p. 190;

Christophorus vero m. aug. ind. IV. a. 931 obiit. INC. CONT. THEOPH. p. 196.

Nomina Stephani, et Constantini, Romani Lecapeni filiorum, numquam in neapolitanis monumentis apparent; extant vero in doc. Vulturnensi, et fortasse etiam alibi.

Romano Lecapeno, qui testamento Constantinum Augustorum primum decreverat, a filio suo Stephano ab imperio in insulam Proten eiecto die 19 dec. a. 944, et post 40 dies ipso eodem Stephano et fratre Constantino item a Constantino Porphyrogenito expulsis

A. m. $\frac{6437}{6453}$ = Chr. 936-937 = Æ. v. 944-945, die 27 ian. III. ind.

Constantinus

solus imperat. INC. CONT. THEOPH. p. 204; SYM. LOGOTH. p. 369; GEORG. MON. p. 442; CEDREN. p. 497.

Eodem anno, ac eadem ind.

Constantinus et Romanus II.

eius filius, qui die Paschatis, 6. apr. a patre in collegam ascitus, et coronatus fuerat, imperant. SCYL. p. 62; CEDREN. p. 497; ZONAR. XVI, 21. — Cf. KRUG, *O. c.* p. 239 et ss.

Ita etiam in *Chron. Cav.* ubi: A. 944, (945) III. *Constantinus Porfirogenitus suprascriptus cum filio Romano.* Ita etiam in monumentis neapolitanis, quae annum primum a m. sept. ind. IV supputant.

Constantinus imperat

cum patre Leone, cum patruo Alexandro, et cum matre Zoe ab m. maio a. 908 a. 13 (l. 12)

(1) Ad hanc epocham, ut exemplum aliquod afferam, pertinent documenta in *Chron. Vulturn.* relata ap. R. I. S. I, 2, c. 415 et 426; instrumentum Canusinum a. 46 Constantini et 14 Romani m. nov. III. ind. (a. 958) in *Cod. dipl. Cav.* I, n. 200, et instrumentum tranense celebratum *tercio anno d. Constantini gloriosissimum imperatorem nostrum mense octubrio quarta indictione* (a. 915) ap. PROLOGO, *Le carte della città di Trani*, doc. 4.

(2) In textu GEORGII MON. error irrepsit, et pro ή (8) ind. legitur ε (5) ind.

(3) CEDREN. p. 489 ex errore librarii habet ind. II.

non expletis. CEDREN. p. 502; ZONAR. XVI, 22; SCYL. p. 64.

— cum matre a morte Alexandri a. 7 (non expletis) GEORG. MON. p. 422; INC. CONT. THEOPH. p. 176; SYM. LOGOTH. p. 354; HAMART. *Contin.*; IOEL. p. 141; CODIN. p. 62 et *Ann. Russor.* ap. KRUG. p. 302 in not. In LEON. GRAMM. hi anni desunt.

— cum Romano socero suo a. 26 (non exactis). INC. CONT. THEOPH. l. c.; SYM. LOGOTH. l. c.; LEO GRAMM. p. 387; GEORG. MON. l. c.; HAMART. *Contin.* — vel rectius a. 25 exactis. GLYCAS, p. 232; IOEL. p. 141.

— cum Stephano et Constantino, uxoris sue fratribus, d. 42. CODIN. p. 62.

— solus (cum Romano II. filio) a. 15 non expletis. INC. CONT. THEOPH.; LEO GRAMM. SYM. LOGOTH. ll. cc. — vel a. 14 exactis. GLYCAS p. 233.

— in totum a. 48 (non expletis) SYM. LOGOTH. p. 354. — vel 47 (exactis) ut LUP. PROTOSP. et IGN. BAR. adnotant. — vel, annis 7 cum matre ex errore bis supputatis, a. 55, ut LEO GRAMM. p. 387; HAMART. *Contin.* p. 799. INC. CONT. THEOPH. l. c. Cf. KRUG, p. 300-303.

Constantinus moritur

m. nov. ind. III a. 959, die 15. INC. CONT. THEOPH. p. 292; SYM. LOGOTH. (qui ex errore ind. VI signat.) p. 371 — vel die 9 nov. CEDREN. l. c.; SCYL. p. 64, cum vixisset a. 54, m. 2; CEDREN. p. 502.

Huius (Constantini) secundo anno XIII. ind. Landolfus et Atenolfus, principes Beneventanorum, a. 34.

Annus secundus Constantini cum ind. XIII, et anni, quibus imperavit Athenulfus I, *magnus princeps,* initium principatus Landulfi et Athenulfi, filiorum eius, qui *Christianissimi principes* vocantur in *Catal. Casin. Com. Cap.* inter. m. aprilem et augustum a. 910 collocant; quod et documenta confirmant, et Di Meo non abnuit.— *Chron. Cav.* nullam de hac nova Landulfi I. post mortem patris coronatione rationem habet, et tantum adnotat: A. 910, XIII. *Athenulfus frater eius* (scil. Landulfi). *Catal. Casin. Com. Cap.* addit. *Domnus Athenolfus frater eius factus est princeps nono anno principatus domni Landolfi fratri suo, eodem anno quo defunctus est pater illorum, in ind. quarta.* (l. XIV)—*Chron. monast. S. Soph.* vero, nescio qua de causa, adnotat: A. 912, XV. *Landulfus filius eius cum Athenulfo germano suo et filii eorum.*

Landulfus obtinuit patriciatus honorem ab imp. Constantinopolitano, unde in eodem *Chron. monast. S. Soph.* habetur: A. 915. ind. III. *primus annus Landulfi antipatri, patricii et principis,* et in notis Chronologicis plurium beneventanorum instrumentorum haec aliquando epocha supputatur. Ex uxore Gemma, praeter duos, quorum nomen ignoratur, filios habuit Landulfum II, et Athenulfum III, qui ei in principatu consortes et successores fuerunt; Landolfum, qui fuit Comes Iserniae et duos Athenulfos, qui, dum adhuc in puerili aetate essent, obierunt.

Chronographus noster Landulfi et Athenulfi in principatu annos, uti saepe solet, cumulat, et eis 34, ab hoc anno 910 usque ad obitum ipsius Landulfi supputatos, sed anno ultimo, tantum incepto, ut integer, habito, tribuit. Landulfus revera obiit a 943, ind. I. (*Chron. monast. S. Soph.*) die 10 aprilis (LUP. PROTOSP. *Necrol. S. Bened. Cap.*) cum ab a. 901 imperasset annos 44 (*Catal. Casin. Com. Cap.*) non expletis, immo primo et ultimo pro integro habitis. Ab a. 912 (m. ian.) *Chron. monast. S. Soph.* annos 31 et m. 4 (non exactos) supputavit.

Athenulfus vero obiit a. 941 ind. XIV. (*Chron. monast. S. Soph.*), m. octobri scil. si eidem *Necrol. S. Bened. Cap.* quod Pratillius edidit, fides habenda.

Et 7 (anno Constantini) tertia ind. Iohannes, dux Neapolim, a. 4, m. 7, d. 12.

Annus septimus Constantini cum ind. III, et anni antecedentis ducis, epocham, qua Iohannes iste, qui secundus in serie Neapolitanorum ducum habetur, in collegam a patre ascitus fuit, in m. ian. vel febr. a. 915 figunt.

De huius ducis rebus gestis nihil apud scriptores memoriae proditum invenio. Cum autem ex Chronographi nostri sententia a. 4, m. 7 et diebus 12 ducatum rexerit, ipsum m. aug. a. 919 vel in fata concessisse, vel potius Marinum filium in imperii consortium adsumsisse censeo.

Iohannis ducis filius fuit Gregorius *Lociservator,* de quo plura disseruit Mazochius in opere: *De ss. N. E. episcopor. cultu,* p. 381 et ss. veritatem

quandoque non documentorum ope, sed ex sola ingenii sui vi assecutus. Ipsius Gregorii autem notitia habetur ex *Capitulari* Iohannis III, sui ex fratre nepotis, ubi subscribitur: *Gregorius filius eius*; ex doc. a. 954, in quo dicitur: *filius q. bone recordationis Iohannis gloriosi ducis* (1), et in fine legitur: *Gregorius Lociservator subscripsi;* ex *Vita ss. martyrum Cyri et Iohannis* a Petro subdiacono scripta *precationis voto Gregorii Parthenopensis Lociservatoris, Iohannis ducis atque consulis filii* (2); et denique *ex Vita S. Theodori martyris*, hortationibus eiusdem Gregorii item a Bonito altero N. E. subdiacono composita (3). In hac ipse pluribus laudibus cumulatur. *Ex solertissimis*, ibi dicitur, *et studiosioribus viris Gregorius parthenopensis Lociservator non solum industriam, verum et originem trahens, qui vid. nepos ac proles, frater ac patruus extat parthenopensium ducum;* quia scil. erat *nepos* Gregorii II, et *filius* Iohannis II, de quibus supra egimus, *frater* autem Marini I, et patruus Iohannis III, quos infra recensebimus; omnes Neapolitanorum duces.

Aliam etiam filiam habuit Iohannes II, cui Maria nomen fuit. In doc. anni 945 fit mentio *domine Marie relicte quidem domini Anastasii, et filio quidem domini Iohannis quidem duci.* R. N. A. M. t. I, p. 152. V. infra *Regest. Neap.* n. 54.

Et eiusdem (Constantini) undecimo anno, VII. ind. Marinus, dux Neapolim, ann. 8, m. 9, dies 15.

Mense augusto, ut mihi ex supra dictis videtur, anni 919, in quem XI. annus Constantini et ind. VII. incidunt, iste Marinus ducatum obtinuit. Anni vero 8, m. 9 et dies 15, qui ei a Chronographo nostro in cod. Vindobonensi tribuuntur, in mense maio vel iunio anni 928 finem faciunt. At cod. Brux. anno uno minus adnotat; quod inde factum ego arbitror, quia epocham eius, non a die, quo ipse in collegam adscriptus fuit, sed ab obitu patris supputat.

De eo autem nihil in scriptoribus et monumentis illius aevi invenio.

Item vicesimo ipsius (Constantini) anno, prima ind. Iohannes, dux Neapolim, a. 37.

Mense maio, vel iunio a. 928 (4), cui a. 20 Constantini et ind. I. apte respondent, Iohannes iste, qui tertius numerandus est, ducatum neapolitanum suscepit. Erat vero filius *venerabilis domni* Marini, de quo supra facta est mentio, et uxorem habuit Theodoram, *Senatricem Romanorum*, ut ex charta, anno 951 celebrata, et ex notitia in Pauli Diaconi cod. Bambergensi apposita (5) erui potest.

Inter an. 933 et 940, (6) *Capitularium*, quod iam a. 911 Gregorius *abius* (magis recte proavus) eius cum principe Beneventi Athenulfo I, statuerat, ipse, mutatis tantum nominibus, cum Landulfo, Athenulfo II, et Athenulfo III, filiis et nepote eiusdem Athenulfi I, iterum iuravit. (V. infra.)

A. 937, " venientes innumerabiles Ungari super Capuam omnia in circuitu ipsius depraedati sunt... usque Sarnum ac Nolam discurrentes, et devastantes omnia, cunctamque Liburiam peragrantes „ (Leo Ost. I, 55).

Ante a. 944, ut ex diplomate in *Chron. Vulturn.* relato eruitur, Marinum filium, adhuc *infra aetatem*, in ducatus consortium adscivit. (V. infra).

Per haec tempora (a. 940-948) " Landolfus (II.) germanus iam dicti Atenolfi (III), qui et ipse illo in tempore Beneventanis praeerat, iniit foedus cum Iohanne, qui et ipse illo in tempore praee-

(1) Di Meo (V, 339, et VI, 167) contra Mazochium, qui in opere supra laudato aliter sentit, unum saeculo X. Iohannem neapolitanum ducem, fuisse enixe contendit, sed nullum aliud argumentum, nisi Ubaldi et *Chron. Cavensis*, a Pratillio editi, testium scil. si qui sint, omnino suspectorum, testimonia ad opinionem suam firmandam affert. Contra, praeter Chronographi nostri attestationem, extat documentum hoc a Mazochio adductum, in quo a. 954 memoratur *q. bonae recordationis Iohannes dux,* cum ex Ubaldi chronotaxi tunc Iohannes, si unus tantum fuisset, adhuc in vivis agere debuisset.

(2) Mai, *Spicil. Vatic.* t. IV, p. 268.

(3) Aa. Ss. ed. Bollandi ad d. 7 febr. t. II, p. 30. — Cf. Mazzocchi, l. c.

(4) Pseudo-Ubaldus initium ducatus Iohannis III, ad a. 937 protrahit, et, ipso auctore, Di Meo illum circa m. iunium eiusdem anni collocat. Sed hanc epocham falsam omnino demonstrant, non modo Chronographus noster, sed etiam charta in m. maio anni 932 Neapoli celebrata, ubi de *domino Iohanne glorioso duce* mentio certa habetur. R. N. A. M. t. I, p. 35.

(5) R. N. A. M. t. II, p. 21, et *Archiv für Gesellschaft* etc. t. IX, p. 692. Chartam et notitiam infra transcribam.

(6) Anno enim 933 Athenolfus III. in collegam ascitus fuit, et a. 940 Landolfus obiit.

rat Neapolitanis, atque pari consensu cum omnibus suis subditis in unum sunt congregati, quatenus venirent, et principatum Salernitanum totis viribus expugnarent, atque si valerent, usque moeniam (sic) civitatis properarent; putantes, ut minime princeps Gisulphus, qui erat adolescens, illis obviam iret. Set dum princeps Gisulphus talia comperisset, statim cum valido exercitu exiit obviam ei; et aut (*haud*) procul a Salernitana urbe locum ubi Cakis, (al. Cabeis) dicitur, tentoria figere iussit, habuitque in suffragium Mastalus, qui et ipse illo in tempore Amelfitanis praeerat, cum suis hominibus. Set dum praedicti Landolfus et Iohannes cum suis hominibus inivi properare maluissent, statim Salernitani una cum Amelfitanis ad bellum sunt praeparati. Cum namque cernerent Beneventani Capuanique, necnon et Neapolitani, quod Salernitani, Amelfitanique totis viribus ad pugnam essent parati, terga dederunt, atque super eos in loco, in quo Gisulfus cum suis manebat, minime adierunt. Igitur cum ipse Landulfus et Iohannes conspicerent, quia sine effectu morarent, statim aliquantula praedia incendere iusserunt, et callem quam reliquerant iterum repedarunt. Cumque in suis urbibus remeassent, ipse princeps Landulfus statim foedus firmissimum cum Gisulfo principe iniit, atque in unum sunt congregati, necnon parique consensu cum multitudine hostium Nolam venerunt, et ibidem tentoria figere iuxerunt: ut pene omnia praedia Neapolitanorum depraedare iusserunt, et diversis machinis Nolam scilicet expugnarunt eamque ceperunt, et ad solum usque prostraverunt. Et ab invicem pacifice sunt sequestrati, suasque repedaverunt denique fines „. (*Chron. Anon. Salern. c. 161*).

A. 949 Iohannes dux Apuliam profectus est, qua vero de causa ignoratur. In *Chron. monast. S. Soph.* haec tantum invenio: A. 949. VII. *Anno nono domni L.* (Landulfi) *et V, domni* P. (Pandulfi) *filii eius, in Sipontum venit Iohannes magister militum.*

Paulo post, et verisimiliter a. 958, Saraceni Neapolim aggressi urbem arcta obsidione cinxerunt (1). Quae tunc evenerint *Libellus Miraculorum S. Agrippini* (2) sic refert.

“ Regnante igitur Romano, et Constantino (3) imperatoribus, et residente in sede beati Petri duodecimo Iohanne Papa, et in hac civitate Parthenopense tercio praesule Athanasio, et

(1) Ad hanc expeditionem respexisse putaverim INC. CONT. THEOPH. p. 212, qui bellum a Constantino Porphyrogenito Neapolitanis per haec tempora inlatum tradit, atque res, et personas pro more Byzant. Script., cum de italicis rebus agunt, mire confundit. Narrat enim Constantinum militum manum adversus Langobardos et Neapolitanos expediisse, ducemque illi Marianum Patricium praefecisse. Quotquot enim Langobardiam ac Calabriam incolebant, tunc in rebellionem proruperant, et, cum novis assidue rebus studerent, eo contumaciae evaserant, ut, et cum Agarenis foedus percuterent, urbesque ac arces ferro ignique vastarent, et Neapolitani a Christi delapsi servitute in apertam versi defectionem essent. Ne autem plebs in seditionem acta maiorem in modum arrogantia insolesceret, Porphyrogenitus ex Thracia, ac Macedonia conductis copiis armataque classe cum igne graeco, illorum temeritatem, ac insaniam comprimi iussit. Terra igitur marique Marianus Patricius Argyrus cum romano exercitu Neapolim adorsus, quae quidem ad terram posita erant cuncta igni succendit, quotquot autem exitus erant versus mare occlusit. Hinc adeo undique obsepti oppidani, fameque, et captivitate pressi atque humili sensu effecti supplicationes ad Constantinum imperatorem miserunt, et qualem prius habebant, Romano imperio subiectionem fecerunt. Idipsum et Langobardi ac Calabri praestiterant. — Haec ille, falsa veris miscens, fabulatur.

(2) Libellus *Miraculorum S. Agrippini*, uti iam Mazochius monuit, duabus partibus constat. Prior est, quae antiquitus in lectiones novem distributa in die festo S. Agrippini legebatur, octo eiusdem miracula, satis compendiose enarrata, continet, et est auctoris et temporis incerti, sed absque dubio altera antiquior. Posterior vero tantum tria miracula habet, sed ita longo sermone exposita habet, ut prae alia in duplum excedat. Hanc secundam partem Mazochius, tum ex stili cum libello de miraculis S. Agnelli germanitate ac congruentia, tum ex locutionibus in utrisque communibus, tum denique ex versibus, quibus undique oratio, ut etiam in Agnellianis videre est, scatet, Petro subdiacono tribuit, qui et libellum illum *Miraculorum S. Agnelli* absque ullo dubio scripsit, et Chronicon Ioh. Diaconi continuavit. Neque ego abnuo, si eum octuagenarium saltem fuisse dicimus, cum haec, quae supra retuli, composuit.

Idem Mazochius libellum ex cod. Corsiniano habuit, et primus in opere *De SS. N. E. episcoporum cultu*, p. 328, et ss. vulgavit. Extat etiam in cod. bibl. Neap. sign. VIII, B. 1, cuius supra, cum de *Vita S. Athanasii* egi, notitiam dedi a fol. 48 ad 54. Cum eo textum Mazochianum contuli.

(3) Minus recte praeponit Romanum filium Constantino porphyrogenito eius patri.

Iohanne consule ac duce, gens nefanda Agarenorum ex Africe partibus adveniens, hanc praefatam Parthenopensem urbem navali prelio, diversisque machinis et expugnacionibus eam comprehendere conabatur. Cumque plurimis diebus ac noctibus atrociter expugnaretur, et iam humanis optutibus, heu proh dolor! prope interitum esse videretur; nec aliquo consilio vel amminiculo, nisi divino uteretur auxilio, ad celeste confugerunt consilium dicentes: *Quare fatigamur, quare in vacuum laboramus, ad antiquos fugiamus Patronos, ad amicos scilicet Domini nostri Iesu Christi, Ianuarium et Agrippinum, et illorum queramus auxilium; ut sicuti quondam a celesti ira, et igne Vesubii nostram patriam mirabiliter liberarunt, ita in praesentiarum ab igneis ustionibus ethnice feritatis suis meritis sanctis nos redimere dignentur: quoniam quidem ille Deus, qui dixit: Invoca me in die tribulationis tuae, eripiam te, et magnificabis me: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate; Voluntatem timentium se faciet, et orationes eorum exaudiet et salvos faciet eos: Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.* Hec ubi dicta dederunt, luctuosis vocibus ac gemebundis uterque sexus et etas illorum suffragia postulabant dicentes:

" O magni Patroni, o Christi regis amici:
" Nunc citius succurrite, nunc quoque poscite Christum,
" Ne tantus populus manibus tradatur iniquis;
" Talibus excidiis clementer ferte levamen (1),
" Ut vos patronos placidos credamus habere;
" Et Dominum Christum laudemus tempus in omne (2). „

Talibus in precibus statim affuit consolatio Dei, et sicut scriptum est: *Exclamaverunt ad Dominum cum tribularentur et de necessitatibus eorum liberavit eos*, sanctorum precibus, Christo annuente, peractum est. Eadem itaque nocte, qua dies illucescebat, in quo opinabantur Ethnici praefatam capere urbem, ecce adsunt beatissimi Ianuarius, et Agrippinus in visione cuidam viro, Eolico genere, qui obses inter eos detinebatur, et pro excidio urbis cotidie plorabat graviter, sciscitantes et dicentes: *Quare diu ploras, et fletu sidera quassas?* Quibus cum ille diceret: *Quia christicola sum, nec possum sustinere necem populi mei, neque tantum affuturum cernere cruorem.* Mox Sancti illum hilariter consolati sunt dicentes:

" Absit ut hoc facinus permittat celsa potestas.
" Credere ne dubites, vera est promissio nostra.
" A Christo missi portantes nuncia leta.
" Scito prenoscens, et porro pelle timorem.
" Urbs quoque non capitur, donante munere Christi.
" Qui nostris precibus, illam de fauce nefanda
" Eruit, et salvat clemens pietate paterna. „

Hoc cum audisset letus effectus grates retulit omnipotenti Deo, et sanctam pollicitationem sitibundo pectore cernere cupiebat. Igitur, ut Sanctorum promissio compleretur, cum aurora noct finem daret, ecce apparatus adest pugnantium Ethnicorum cum navibus terribilis, et orribilis: scilicet in medio habentium excelsas turres cum sagittis, et iaculis, in proris (3) instrumenta prominentia, in quibus loricati, et galeati residentes equati muro urbem invaderent. Cumque conglobati cum strepitu et ululatu prelium inirent, et iam muris scalas ad pervadendum pararent, et civibus cum fletu, et gemitu orantibus, et dicentibus. *Salvator mundi succurre, miserere celsa potestas, et meritis sanctorum tuorum, Iannarii et Agrippini, disperge illos in virtute tua.* Mira dei virtus gloriosa, et veneranda: protinus una ex navibus magna, et eminentior ceteris cum omnibus instrumentis, et pugnatoribus in latere veniens in mari demersa est. Quo signo letifero et ammirabili adiutoris Dei omnipotentis, quod paratum est ad vocationem Sanctorum Ianuarii et Agrippini, omnes Christicole, totaque Civitas, tamquam de profundo pelagi, tamquam de fornace ignea erepti, Christo gloriam decantantes consolati, et roborati sunt. Ethnici namque turpiter confusi et devilitati sunt, et quamquam a mane usque ad septimam horam pugna horrida perseveraret, nullum dispendium urbi facere potuerunt.

(1) In cod. Neap. ex errore heic legitur: *levantem.*

(2) Heic in cod. Corsin. additur versus sequens: Mira Dei virtus miraque potentia Christi; qui in cod. Neap. deest, et rectius, ut ex contextu mihi videtur.

(3) In cod. Corsin. minus recte: *propriis.*

Interea, opitulante gratia Christi, et Sanctorum suffragio, affuit et alia consolatio. Subito namque et insperate terribilis, et tristior illis nuncius advenit, quod christianissimi Imperatores navale prelium destinarent, qui eos eorumque classes igneis ustionibus traderent (1). Quā ex re valde exterriti, et quid agerent penitus ignorantes, dum se viderent in arto sitos? timore et ebitudine perterriti, federis pactionem, aurum argentumque postulare ceperunt.

Cives autem sagaciter considerantes, ut quoquomodo sese, suosque (2) redimere possent, omnia vasa aurea et argentea sacri Episcopii eis protinus optulerunt, ea videlicet pactione, ut, cum certo tempore cetera eis exsenia dirigerent, predicta vasa continuo destinarent. Quod et factum est. Illis autem abeuntibus, et fuge presidia perquirentibus, magna tristitia exorta est civibus, quod festis diebus ignobiliter pro amissis vasis solemnia celebrarent. Igitur cum diutius Christi famulos, Ianuarium et Agrippinum, exinde flagitarent, apparuerunt idem Sancti cuidam parthenopensi viro, nomine Iohannes, ornamentis pontificalibus induti. Qui cum ab eo in visione sciscitarentur, qui essent, et quare sic concite properarent, responderunt dicentes: *Nos sumus Ianuarius et Agrippinus, et pro tristitia Parthenopensium Siciliam pergimus, quo vasa omnia nostre sedis exinde deferamus.* Qua revelatione exhilaratus idem Parthenopensis, cum seriatim civibus retulisset, mox freti Sanctorum patrociniis animadvertentes, quod solita protectione illorum munientur, mox in Siciliam apocrisarium cum quibusdam amminiculis exeniorum (3) destinantes, mirabile dictu, sed non mirabile quia divinum, quoniam quecumque vult Dominus facit; omnia vasa sine aliquo impedimento, atque dispendio percipere meruerunt. Quam ob rem tota civitas de merore ad gaudium convenientes, in laudem Domini proruperunt dicentes:

Gloria Christe tibi, sanctorum gloria celsa
Qui tam mira facis, famulis qui tanta ministras,
Qui tibi perfecte famulantes ad tua celsa
Regna levans nimium preclaros esse dedisti,
Ut tecum semper regnantes commoda prestent
Afflictis populis et gaudia leta ministrent.
Ecce tuo sancto solamine Martir opimus
Noster obans nimium martir Ianuarius atque Agrippinus
Hostes adversos mergunt ad tetra profunda (4);
Corda nefanda ligant, valeant ne sancta tenerent,
Nunc quoque sic nobis ereptis hostibus atris
Vasa sacrata ferunt de sinu pestis inique.

Talibus igitur parthenopensis populus sanctorum Ianuarii et Agrippini muneribus ditati et iocundati magis, magisque eis suppliciter famulari ceperunt: Credentes per omnia se semper et a presentibus et futuris adversitatibus illorum iubamine tueri, et gubernari, opitulante utique illo, qui eos fecit viriliter pugnare, et vincere et in regno suo secum sine fine gaudere. Qui cum patre vivit simul et cum flamine sancto, Rex deus immensus regnans per secula cuncta. Amen. (*Libellus Mirac. S. Agrippini* n. 11).

Iohannes, ut mihi videtur, vel in exitu a. 968, vel initio anni 969 obiit. Pseudo-Ubaldus contra ducatum ipsius usque ad an. 981 protrahit, et Iohannem, paucis diebus postquam Marinus filius suus apud insulam Prochytam, cum se oblectando nataret, fluctibus mersus m. aug. obierat, prae maerore mortuum fuisse tradit, cum regnasset a. 45, m. 7, et d. 23 (5). Di Meo, qui in Ubaldi verba iurare solet, idem asserit; sed, qui opus eiusdem ediderunt, cum annorum Iohanni ab Ubaldo tributorum rationem non recte procedere vidissent, et aut ipsi aut annus emortualis 981 reiiciendi essent, annos circiter duos ex dicta supputatio-

(1) In *Chron. Cantabrigiensi* legitur: A. 6466 (Æ. v. 958) *transfretavit Hasan et obviam ivit Omar, et fugit coram eo Marianus Strategus.* De Gregorio, *Rerum Arabic.* p. 50.

(2) Se se suamque urbem *Cod. Corsin.*

(3) Amminiculis remorum. *Cod. Corsin.;* quod, ut explicaret frustra Mazochius plura in not. (70) erudite disseruit. Sed nil his opus erat. Vox *remorum* procul dubio est transcriptoris Corsiniani σφάλμα, ut ex textu cod. Neap. patet.

(4) Verisimiliter ad Saracenorum naves tempestatibus tunc mari obrutas Petrus alludit. Nam in *Chron. Cantabr.* supra laudato habetur. A. 6467 (Ae. v. 959) *periit classis eius* (Hasan) *dum reverteretur vicesimoquarto septembris.* De Gregorio, l. c.

(5) Ubaldus, ap. Peregr.-Pratill. III, 70.

ne detrahi debere censent (1). Epocham mortis insuper in a. 981 ex testimonio S. Petri Damiani, qui saeculo sequenti vixit, iidem, et nostrates alii confirmant. Quidam enim solitarius neapolitanae regionis, ut ille ex Desiderii, Casinensis abbatis (a. 1058-1087), relatione tradit, in praerupta rupe iuxta viam publicam morans, quadam nocte, dum vigilans orabat, multos nigros homines, tanquam Aetiopes, vidit, qui longo tractu sarcinarios iumentos comminando iter carpebant. Tunc servus Dei rogavit eos qui essent, et cuius gratia tanta illa pabula convectarent, cui illi responderunt: Daemones sumus,et fomenta ignium ad peccatores comburendos gerimus,praestolamur enim in proximo principem Capuae P. (Pandulfum), qui iam decumbit, et Iohannem, magistrum militum neapolitanae civitatis, qui adhuc vivit incolumis. Ad haec servus Dei illico Iohannem ducem adiit, et quae viderat quaeque audiverat fideliter narravit. Tunc Iohannes saeculum se deserere velle respondit, sed, cum imperatori Othoni II, qui tunc temporis adversus Sarracenos praeliaturus festinabat, occurrere, et cum eo de huius terrae statu tractare decrevisset, conversionem suam ad eiusdem imperatoris abscessum distulit. Interea nuntium ad civitatem Capuae misit, ut, utrum verum esset, quod ille de principe Pandulfo dixerat, sibi probaret. Nuntius vero rediens eumdem Pandulfum tunc mortuum esse dixit. Ipse autem Iohannes, antequam istas partes imperator attingeret, vix diebus 15 supervixit. Quo mortuo mons Vesuvius in flammas erupit. (2)

Haec ille. Cum autem Pandulfus, qui *caput ferreum* dictus est, a. 981 procul dubio obierit, et Otho II. eodem tempore Calabriam Saracenos praeliaturus advenerit, Di Meo et nostrates alii post Ubaldum in illo anno Iohannis neapolitani ducis mortem collocant.

At multa sunt, quae hanc opinionem refellere possunt. Et primo *Anon. Salern.* cum de Capua eodem a. 969 a Graecis, Eugenio duce, obsessa, et de auxilio a Neapolitanis eisdem Graecis praestito loquitur, nullam Iohannis mentionem facit, et Marinum, *qui praeerat illo tempore Neapolitanis,* tantum memorat. Idem deinceps asserit, cum de seditione in Gisulfum a. 973 facta, cui Neapolitani et Amalphitani operam contulerunt, agit (3). Praeterea in duobus diplomatibus, quae adhuc supersunt (4), alterum anni 973, quo dux *abocatorem,* idest tutorem quibusdam pupillis dat, alterum anni 975, quo ipse privilegium concedit Roccio, abbati monasterii Ss. Severini et Sosii, Marinus solus apparet, neque ullum de Iohanne, vel de alio duce collega, quod alias, cum collega extat, nunquam omittitur, verbum quidem fit. Neque testimonium S. Petri Damiani, quod ad Ubaldi chronologiam firmandam Di Meo proponit, certiorem auctoritatem in controversia, ut mihi videtur, affert; nam, praeterquam quod Petrus Diaconus haec, Iohannis ducis nomine penitus omisso, ad alia posteriora tempora rettulit, ipsa Damiani narratio, et dubiis ac difficultatibus non caret, et ipsius Ubaldi dictis quodammodo non convenit.

Si enim Di Meo ex apocryphi *Chron. Cav.* auctoritate Pandulfum *Caput ferreum* die 12 mai (5), a. 981 obiisse contendit, necesse est ut item conveniat Iohannem Neapolitanorum ducem die 27 eiusdem mensis etiam in fata concessisse, nam, ut S. Petrus Damianus affirmat, ille *vix diebus 15* Pandulfo *supervixit.* At *fidelis* Ubaldus asserit Iohannem *post paucos dies,* quam Marinus, eius filius, m. aug. in mari demersus fuit, idest eodem vel saltem sequenti mense obiisse, Ergo aut S. Petri Damiani aut Ubaldi testimonium abiiciendum erit. Scio equidem quindecim dierum intervallum editores Di Meo (6) non inter Pandulfi et Iohannis mortem, sed inter Othonis II imperatoris in Campaniam adventum et neapoli-

(1) Di Meo, *Annali,* V. 163 et ss.

(2) S. Petri Damiani epistolam infra dabo. — Petrus Diaconus vero hanc narrationem, omissis quae de Iohanne duce ille habet, suis ipsismet verbis breviatam, et ad Pandulfum IV tributam in c. 83, L. II *Chronici* Leonis Ostiensis inseruit.

(3) Cf. *Chron. Anon. Salern.* c. 172, et c. 181.

(4) Cf. R. N. A. M. t. II, p. 215 et 239.

(5) Peregr.-Pratill. IV, 419. *Necrol. S. Bened. Cap.* ap. eumdem Pratill. V, 69 ad diem 5 id. maias adscribit: *Pandulfus princ. et dux.* — At secus monumenta maioris auctoritatis; nam *Catal. Benev. S. Soph.* et *Chron.* eiusdem monasterii sive *Ann. Benev.* mortem huius Pandulfi *de mense martio* vel *intrante mense martio* aperte adnotant.

(6) Di Meo *Ann.* t. V, p. 166.

tani ducis obitum interiectum credidisse, sed haec sententia mentem eiusdem Damiani mutat, qui mortem Iohannis ponit, *antequam* Otho istas partes attingeret, et 15 diebus postquam Pandulfus obierat. Praeterea, cum Otho in Campaniam non ante m. septembris a. 981 advenerit (1), saltem trium mensium intervallum a morte Pandulfi ad ipsum adventum Othonis intercessit, quod etiam dictis S. Petri Damiani et facti circumstantiis omnino repugnat. Denique neque tunc temporis, ut ex historia discìmus, aliquid negotii inter Othonem II, et imperatores Byzantinos contigisse videtur, quod Iohannem, Neapolis ducem, ipsi Othoni occurrere, ac *de statu reipublicae* cum eo agere impelleret; neque praedicta visio solitarii neapolitani, sive potius illa de ipsius Pandulfi damnatione vulgaris opinio, Pandulfo, Caputferreum dicto, qui, ut MONACHUS (2) iam animadvertit, vir admodum religiosus et de ecclesiis ac monachis benemeritus fuit, apte congruere potest.

Contra vero Iohannem vel a. 968 vel initio anni 969 defunctum fuisse satis ex *Anon. Salern.* et ex duobus documentis supra adnotatis demonstrari potest. Neque huic opinioni testimonium S. Petri Damiani omnino obstare mihi videtur. Nam, si in illius contextu Othonem I pro II, et Landulfum pro Pandulfo, quae inter se facile mutari possunt (3), repones; ac de ipsius imperatoris in Benevento, et Campania, sive ante, sive post Calabram expeditionem accessu, cum, contra ac id, quod a. 981 contigit, plurima inter utrumque imperium res agebatur, intelliges, (iis, quae ad visionem vel ad res supra naturales pertinent, missis) facta ab eodem tradita historicae et chronologicae rationi minime contraria invenies. Quod ut probem, iuvat rem ex chronicis et documentis persequi.

" Igitur Otto I, sive maior, imperator, postquam filium suum Ottonem II, qui Rufus cognominatus est, in *Nativitate Domini* a *d. Aposolico* coronatum in imperii dignitatem suscepisset, in *Apuliam et Calabriam, ut eam suo subiugaret imperio*, tetendit (*Chron. Casaur.* in R. I. S. II, 2, 829). Die 18 m. ianuarii in Campania apud Capuam morabatur (4).

Deinde " . . . (5) introivit Otho rex in Apuliam mense martio, et obsedit civitatem Bari, irrito conatu, et in alio anno (qui m. sept. eiusdem initium habuit) intravit in Calabriam mense octobris, et sol obscuratus est m. decembris " (LUP. PROTOSP. Cf. LUITPRANDI, *Legat.* c. 57). Tempora accuratius distinguit *Chron. monast. S. Soph.* et quae ad res beneventanas attinent, adiicit sic: " A. 968, XI. Otho rex venit in Italiam et in Beneventum a. 24 domni P. (Pandulfi) et 7 domni L. (Landulfi) fratris eius. A. 969. XII. Hoc anno sol obscuratus est mense decembri (decima die stante mense decembri. *Cod. Vatic.*) 25 anno dicti P. et octavo domni L. fratris eius, et O. (i. e. obiit) hic L. „ — Idem de Landulfi et de solis defectu asserit *Chron. Cav.* ad a. 969.

Narrationem horum chronographorum amplius explicat, quamvis tempora minime distinguat, *Anon. Salern.* Ipse imperator, inquit ille, deinde Apuliae finibus venit et valide eam scilicet denudavit et civitas Varim (m. martio), aliquantulum eam obsedit, et quantum valuit undique constrinxit. Id ipsum iterum arva sua remeavit;

(1) Cf. BÖHMER, *Regesta Chron. dipl. regg. et impp. romm.* n. 586-588. — Otho die 30 sept. erat Capuae. Cf. MABILLON, *De re diplom.* p. 575.

(2) MONACO, *Recognitio Sanctuarii Capuani*, p. 61 et ss. — Ibi is aliis etiam argumentis solitarii visionem et huius Pandulfi principis obitum ad haec tempora minime referri, et Iohannem, Neapolis ducem, usque ad a. 980 vel 983 vixisse nulla auctoritate affirmari posse contendit. — Recte igitur BARONIUM, qui primum ad a. 981 illud, de quo agimus adsignaverat, postea errorem manifestum correxisse (V. *Ann. Eccles.* t. XVI, p. 261, et 631) et ad a. 1038 ac Pandulfo IV tribuisse subiungit.

(3) Erroris huiusmodi, in quem vel Damianus ex memoriae lapsu, vel librarius eiusdem ex oscitantia incurrere potuit, antiquum sane exemplum in re habeo. Lupus enim Protospata Othonis II. bellum cum Saracenis a. 981 habitum cum alio ad patrem, et ad a. 968 pertinens confudit, et eisdem annis bis rettulit. V. PEREGR.-PRATILL. IV, p. 27. — MONACO, in *O. c.* p. 65, et variis eiusdem S. Petri Damiani locis, ubi ipse *oblivione delinquere veritatem* timet, et exemplo erroris, in quem de vita S. Romualdi agens incidit, eum, salva reverentia eidem debita, facile memoria lapsum fuisse probat.

(4) WIDIKINDUS, *Chron.* in M. G. H. *Script.* III, p. 464.

(5) LUP. PROTOSP. annum 969 ex errore, forte librarii, signat.

iterum Italiam venit Romamque properavit. . . . Deinde Calabriae finibus (mm. oct. ex. vel nov. in.) venit, incendiis, praedationibus vehementer attrivit. . . . Igitur dum Pandolfus cum ipso imperatore Calabriam morarentur, eius germanus Landulfus princeps diem clausit extremum. „ (*Chron. Anon. Salern.* cc. 169 et 170). Praeterea ex documentis elicimus Landulfum III, principem Beneventi, *qui fuit avidus et minime divinae legis tramitem secutus* (1), post nonas octobris ind. XII (anni scil. 968) quibus diploma, cum fratre Pandulfo Cassinatibus concedit (2), et ante m. ianuarium an. 969, quo alter Landulfus, filius ipsius Pandulfi, iam in principatus beneventani consortium ascitus erat (3), defunctum fuisse.

Ex his igitur omnibus recte, nî fallor, inferri potest nomina Landulfi et Othonis I. sive magni aptius cum narratione Petri Damiani, et ducum neapolitanorum chronologia convenire,quam illa Pandulfi Capitisferrei, et Othonis II, quae inibi leguntur; ac proinde Iohannem, Neapolis ducem, inter m. nov. a. 968, et m. ianuarium a. 969 in fata concessisse; diebus quindecim vero post obitum Landulfi III, et antequam imperator *istas partes attingeret*, sive cum Calabriam peteret, quod, vel m. oct. ex Lup. Protosp. vel post diem 16 m. nov. ex ipsius Ottonis diplomatibus (4) accidisse putaverim, sive cum ex ea regione Romam rediret m. maio a. 969, ut ex ipsis documentis (5), cum *Chron. Anon. Salern.* collatis coniicere licet. De reditu autem Othonis in istas partes ea potissimum de causa ego etiam cogito, quia Landulfus ex testimonio *Anon.Salern.* cum iam Otho in Calabria esset, obiit; sed primam sententiam potius amplector, quia S. Petrus Damianus de Othone *praeliaturo*, et *in Calabriam festinante* loquitur, et *Anonimus Salernitanus* temporum rationes aliquando non servat.

Ceterum si haec mea coniectura, qua dicta S. Petri Damiani cum aliis monumentis concordare nisus sum, parum firma fortasse videbitur, id argumentationi meae minime officiet, cum satis superque aliunde demonstratum sit nullo modo Iohannem a. 981, immo post a. 969, defunctum fuisse.

Et vicesimoquinto ipsius (Constantini) anno VI. ind. Athenolfus, princeps Beneventi, anni 11.

Landulfus I. Beneventi et Capuae princeps mense februario vel martio a. 933, in quem notae chronologicae supra signatae incidunt, Athenolfum III. filium suum in collegam assumpsit. Ita etiam Di Meo ex documentis supputat. Annum vero antecedit *Chron. Cav.* ubi: A. 932 V. *Athenulfus filius Landulfi.*

Chronographus noster annos 11 ei tribuit, sed, ut videtur, non integros, nam ex iis, quae sequuntur, liquet Athenulfum, paulo post quam pater obierat, m. augusto vel septembri a. 943 in fata cessisse. Id etiam Di Meo ex documentis confirmat.

Et XXVI eiusdem (Constantini) anno, VI ind. Gisolphus, princeps salernitanus a . . . . .

Eodem anno 933 VI. ind. sed a. 26 Constantini, et ideo fortasse m. maio, ex Chronographi nostri ratiocinatione, quam Di Meo etiam sequitur, Gisolfus a patre Guaimario in principatus Salernitani consortium adscitus fuit. Documenta, quae supersunt, a septembri mense annum eiusdem primum numerant (6).

Chron. Cav. Pratillianum aperte falsum se prodit, cum Guaimarius hoc anno mortem obiisse scribit. Id frustra Di Meo cavillationibus defen-

(1) *Chron. Anon. Salern.* c. 170.

(2) Gattola, *Access.* ad *Hist. Casin.* I, p. 65.

(3) Gattola, *Access.* ad *Hist. Casin.* I, 98 diploma affert datum *15 kalendas ianuarii anno 27 principatus d. Pandolfi et primo anno principatus d. Landolfi filii eius ind. XIII* (18 dec. a. 969), quod Di Meo, vel suspectum, vel falsum putat; quia Landulfus III. ex *Necrol.* Capuani auctoritate; ubi obitus cuiusdam Landulfi die 1 ianuar. adnotatur, mense dec. a. 968 adhuc in vivis agebat. Sed utcumque sit, certe ex documento Calatensi m. ianu. XII ind. (a. 969) dato (R. N. A. M. I, 175), et ex eiusdem Di Meo sententia Landulfus IV, m. ian. a. 969 iam ad principatum evectus fuerat, et ideo hoc in meis rationibus nil mutat.

(4) Böhmer, *O. c.* n. 354 et 355.

(5) Böhmer, *O. c.* n. 358.

(6) Cf. Di Blasi, *O. c.* p. 39 et *Mon.* LXXII.

dere nititur (1). Monumenta Cavensia, usque ad m. martium ind. I (a. 943) Guaimario principe signata, eum saltem aliis decem annis vixisse probant, et illius *Chron.* attestationem refellunt.

Gisulfus, cum principatum rexisset annis 45 (expletis) obiit a. 978, fortasse m. iunio, si *Necrologio* S. Benedicti Capuae fides habenda (2).

Postrema vero documenta, quae notas chronologicas cum eius nomine habent, ad m. decembrem a. 977, et m. ianuarium a. 978 pertinent (3).

Iterum XXXII. ipsius (Constantini) XIII. ind. Landolfus, princeps Beneventi ann. . . .

Ex Chronographi nostri ratiocinatione Landulfus II., Landulfi I filius, in anno 939, et fortasse m. novembri, in quem annus 32 Constantini et ind. XIII coniunguntur, a patre in collegam assumptus fuit. At saltem non ultra augustum eiusdem anni id signat *Chron. Cav.* ubi: A. 939, XII. *Landulphus frater eius*, vid. Athenulfi III, de quo antea meminerat, habetur. Contra *Chron. monast. S. Soph.* mortem Athenulfi II, sive iunioris, et assumptionem Landulfi in principatus consortium coniungens, adnotat: A. 941, (gr.) XIV. Θ. (obiit) A. (Athenulfus) *princeps iunior. Constituitur L.* (Landulfus) *filius domni L.* (Landulfi).

Landulfus II. principatum obtinuit annis 21 (non expletis). In *Chron. monast. S. Soph.* habetur: A. 861, IIII. *Anno* 21 *domni L.* (Landulfi) *et 17 domni P.* (Pandulfi) Θ. (obiit) *praedictus L.*

Et XXXVI. eiusdem (Constantini) anno, secunda ind. Pandolfus, princeps Beneventi, anni 6.

A m. septembri anni 943, in quo 36 annus Constantini et ind. II. incidunt, ut Chronographus noster ratiocinatur, Pandolfus, qui *Caput ferreum* dictus fuit, a patre Landulfo II. ad Beneventanum principatum adlectus est. Idem adfirmat *Chron. monast. S. Soph.* ubi: A. 944 (gr.) II. *Quarto anno principatus domni L.* (Landulfi II). *Hoc anno eligitur P.* (*Pandulfus*) *Caput ferreum filius eius.* Di Meo id m. augusto evenisse asserit.

(1) Cf. *Annali*, t. V, p. 234 et 277.

(2) Peregr.-Pratill. V, p. 71.

(3) Rom. Salern. in *Oo. cc.* p. 162 vel 399, a. 48 ei tribuit.

ADDITAMENTUM AD CHRONICON

SIVE

SERIES CONTINUATA IMPP. BYZANTINORUM ET DUCUM NEAPOLIS

AB A. 960-969 AD A. 1139.

Chronographus noster, quem supra commentario illustrare curavi, in Constantino, et, quoad nos attinet, in Iohanne III, Neapolitanorum duce, operi suo finem imposuit. Nunc eius subsidio destitutus seriem impp. byzantinorum et ducum nostrorum, ac res ad ducatus Neapolitani historiam pertinentes ab a. 960-969 ad a. 1139, quo Rogerius, primus Siciliae et Apuliae rex, Neapolim suae adiecit dominationi, ex variis synchronis scriptoribus et monumentis recolligere, et summatim exponere aggredior. Sed quamvis ducum omnium nomina, et tempora satis recte ex dictis fontibus habeantur, tamen nec anni, quibus ipsi imperitaverint, nec aetas, qua imperium susceperint vel amiserint, strictim definiri possunt. His accedit quod magnam neapolitanorum monumentorum vim, vel destructam vel deperditam dolemus, aut notitiam, quae ex illis aliquando in quibusdam veterum coenobiorum nostrae urbis regestis superest, vel mancam, vel, praesertim quoad notas chronologicas attinet, ex transcriptorum aut breviatorum negligentia et ignorantia corruptam habemus. Nihilominus, ne quid ad historiam Neapolitani ducatus illustrandam deficere videatur, seriem ipsam eisdem more modoque, quibus in superiori commentario usus sum, quantum fieri potuit, compositam, heic subiungo et res Neapolitanas, quarum memoriam habemus, prout evenerunt, in unoquoque duce exponam; chronotaxi et factis principum Beneventanorum et Salernitanorum sive Capuanorum, quae ad rem nostram proprie non faciunt, penitus omissis. Atque haec ad instituti mei rationem explicandam satis dicta sufficiant.

SERIES IMPP. BYZANTINORUM AB A. 960 AD A. 1139.

A. 959. Romanus (II.) porphyrogenitus

A. m. $\frac{6452}{6468}$ = Chr. 950-951 = Æ. v. 959-960, die 10 m. novemb. III ind. (1), defuncto Constantino cum Helena matre et cum uxore Theophanone imperium suscipit. Anno sequenti, eadem ind. festo Paschatis (2) die (22 m. april. a. 960), Basilius filius eius, qui iam avi, et patris collega a. 957 renuntiatus fuerat (3), imperator a patriarcha Polieucto coronatur. SYM. LOGOTH. p. 371; INC. CONT. THEOPH. p. 226; CEDREN. p. 503; MANASS. p. 57. Eamdem epocham signant nostrates, ut LUP. PROTOSP. qui habet: A. 960 (gr.) ind. III. *Surrexit Romanus filius eius* (Constantini); et *Chron. Cav.* ubi: A. 960, ind. III. *Romanus filius eius solus cum filio suo Basilio puerulo.* Hanc epocham, sed ex m. sept. sequenti, uti mos erat, documenta neapolitana adnotant.

Romanus imperat solus post mortem patris a. 3, m. 3, d. 5. SYM. LOGOTH. l. c.; HAMART.

(1) SYM. LOGOTH. ex errore indictionem VI. signat.

(2) Di Meo annum 960 approbat, mensem vero et diem festum Paschatis, a Cedreno aperte adnotatum, ex neapolitanorum documentorum notis chronologicis improbat; sed minus recte, cum notariorum nostrorum systema, quo ex sept. sequenti constanter imperatoris epocha sumitur, minime animadverterit. V. *Annali* cit. V, 366.

(3) Id Di Meo ex annis imperii a quibusdam Byzantinis scriptoribus Basilio adscriptis arguit, et ex notis chronologicis aliquorum instrumentorum ad Apuliam praecipue pertinentium confirmat. Cf. doc. Lucerina a. 983, 989, 990 et 1011 in *Cod. dipl. Cav.* II, p. 181, 265, 311; IV, 154.

Contin. in edit. MURALT. p. 854. — vel a. 3, m. 4, d. 5. IOEL. p. 142. — vel a. 3, m. 4, diebus omissis. CODIN. p. 62; aut a. 3. m. 3, *Catal. Byzant.* IV et V. — vel a. 3, omissis aut non adnotatis mensibus et diebus, ZONAR. XVI, 22, et GLYCAS p. 235; vel denique a. 3, et m. 5, primo et extremo ex his integre supputatis. LEO. DIAC. p. 18. — cum patre vero a. 13, m. 4, dieb. 5. CEDREN. p. 505.

Romanus moritur die 15 m. martii, ind. VI. (a. 963) CEDREN. l. c. et ex nostratibus LUP. PROTOSP.; IGN. BAR. et *Chron. monast. S. Soph.* Cf. KRUG. *O. c.* p. 326.

A. 963. Basilius (II.) et Constantinus (VIII.), Romani II. filii, cum matre Theophanone

A. m. $\frac{6455}{6471}$ = Chr. 954-955 = Æ. v. 962-963, ind. VI, die 16 m. martii in imperium succedunt, et imperant mensibus 5. CEDREN, p. 505; GLYCAS, p. 236; IOEL, l. c. — vel m. 6. *Catal. Byzant.* IV.

Dein eodem anno et eadem ind. VI.

A. 963. Nicephorus (Phocas),

qui iam ab orientalibus exercitibus imperator salutatus fuerat, non invita Theophanone, cuius amator erat, die dominico 16 m. aug. Cpoli a patriarcha Polieucto coronatur. CEDREN p. 508. Consentiunt nostrates scil. LUP. PROTOSP.; IGN. BAR. *Chron. Cav.* et *Chron. monast. S. Soph.* ad a.

Ex hac epocha, et prout de more ex septembri sequenti, documenta neapolitana Constantini imperium sumunt et eam ab illa Basilii usque discernunt; documenta vero appula annos utrorumque fratrum una, ut plurimum, supputant; imperii initio aliquando a Basilio scil. ab a 957 (1), aliquando a Constantino, scil ab. a. 963, sumpto (2).

Praeterea animadvertendum est documenta neapolitana, quae ind. VII. et VIII. confecta fuerunt, solius Nicephori nomine inscripta esse, nominibus Basilii et Constantini ab ind. IX usque ad ind. XIV iterum receptis.

Nicephorus imperat a. 6, m. 4 (non expletis). LEO DIAC. p. 54 — vel a. 6 m. 3, d. 6. CODIN, p. 62 — aut, mensibus omissis, a. 6. MANASS. p. 99; GLYCAS, p. 236; IOEL. p. 142. — ZONAR XVI, 28 menses cavos pro integris supputans numerat a. 6, m. 6; ita etiam *Catal. Byz.* IV. — alii numero rotundo a. 7, ut *Catal. Byz.* V. et nostrates LUP. PROTOSP. et IGN. BAR.

Nicephorus insidiis per Theophanonem, quam uxorem acceperat, positis a Iohanne Tzimisce, Orientis domestico et magistro, occiditur die 10 vel 11 m. decembris ind. XIII. CEDREN. p. 518.

A. 969. Iohannes Tzimisces

A. m. $\frac{6462}{6478}$ = Chr. 960-961 = Ae. v. 969-970 die 11 m. decembris ind. XIII, adhibitis collegis Basilio et Constantino, Romani filiis, imperium init, et feriis Christi natalitiis coronatur. CEDREN. p. 519-520; LEO DIAC. p. 57; ZONAR. XVI, 28; GLYCAS, p. 238.

Hanc epocham etiam signat *Chron. Cav.* ubi: A. 970, ind. XIII. *Iohannes, cognomento Zimiscli, interfecto Nyciforo, regnat cum Basilio et Constantino pueris.* Ita etiam LUP. PROTOSP. et IGN. BAR.

Nomen Iohannis Tzimiscae (3) in doc. neap. anno eius tertio (972-973) ind. I. apparet; in appulis vero usque adhuc numquam inveni.

(1) Cf. doc. a. 999, 1009, 1012, 1013, 1014, 1016 et 1017 in *Cod. dipl. Cav.* III, 93, IV, 178, 192, 226, 243, et 273

(2) Cf. doc. ann. 980, 983 et 1006 in libro: *Le Carte di Trani pubblicate da* ARCANGELO PROLOGO, nn. 5 et 6; et doc. a. 1021 in opere: *Syllabus graecarum membranarum*, n. 19. — Extat vero doc. Tranense, in quo m. febr. ind. VIII. (a. 965) annus sextus Basilii et Constantini inscribitur, quod, qua ratione factum sit, nescio. Cf. *Cod. dipl. Cav.* II, 21.

(3) De huius armeniaci nominis, quod pusillum sive statura brevem significare putatur, orthographia et etymologia videndus est HASE in notis ad LEONEM DIACONUM, p. 207 et 223.

Iohannes imperat a. 6. et 30 diebus. LEO DIAC. p. 110 — vel a. 6. m. 6. *Catal. Byz.* IV et V; et paulo amplius. CEDREN. p. 535; vel. a. 6, m. 1. CODIN l. c.; IOEL. p. 142—vel, mense omisso, a. 6, GLYCAS p. 238.

Iohannes moritur die 10 m. ianuar. ind. IV, LEO DIAC. l. c.; CEDREN. p. 535, qui mensem decembris ind. IV adnotat.

A. 977. Basilius (II.), et Constantinus (VIII.), Romani (II.) filii,

A. m. $\frac{6468}{6484}$ = Ch. 967-968 = Æ. v. 976-977 die 11 ianuar. ind. IV. (m. decembris CEDREN. p. 535) sub Basilii accubitoris tutela soli imperium ineunt, cum Basilius vigesimum aetatis annum ageret, et Constantinus triennio iunior esset. CEDREN. p. 535; ZONAR. XVII, 5.

Ex nostratibus *Chron. Cav.* habet: A. 976, ind. IV. *Iohanne defuncto regnat Basilius et Constantinus*. Ita etiam LUP. PROTOSP. et IGN. BAR. ad a.

Basilius vixit et imperavit in totum a 70 (expletis) CEDREN. p. 563. — vel a. 72 (non expletis). ZONAR XVII, 9.

— post mortem autem Tzimiscae cum Constantino fratre a. 50 (non expletis). CEDREN. l. c.; CODIN. l. c.; MANASS. p. 101; GLYCAS, p. 239; IOEL. p. 142.

Basilius subito correptus morbo obiit m. decembris ind. IX (a. 1025.)

A. 1025. Constantinus (VIII.)

A. m. $\frac{6518}{6534}$ = Chr. 1016-1017 = Æ. v. 1025-1026, m. decembri solus imperium obtinet. CEDREN. p. 563; ZONAR. XVII, 10 (1); et solus imperat a. 2, m. 11, cum vixisset a. 70. CEDREN. p. 565; CODIN. l. c.; IOEL. p. 143 (2). — vel a. 3 (non expletis) *Catal. Byz.* IV, et V.

Constantinus, die 9 m. novembris morbo correptus, triduo post moritur ind. XII (a. 1028). CEDREN l. c. — vel die 10 m. novemb. in vigilia S. Martini. LUP. PROTOSP. et IGN. BAR.

Singularis est his temporibus curialium neapolitanorum de rebus Constantinopolitanis ignorantia, nam chartas post obitum Basilii ind. IX. et X. confectas, vel annis impp. Basilii et Constantini usque adhuc signant (3), vel, quod peius est, *post obitum* aut *post defunctionem Constantini*, qui in vivis agebat, anno 1 et 2 datas significant (4). Deinceps errorem deponunt, et in chartis ind. XI et XII exscriptis Constantini solius annos adnotant. Quod autem alia instrumenta per totam ind. XII, et usque ad m. aug. acta, quando Constantinus iam m. nov. obierat, et Romanus Argyrus successerat, adhuc nomen ipsius Constantini praeseferant (5), id non miror, cum Curiales ab indictione, elevationem imperatoris proxime sequenti, annos imperii eorum fere semper supputaverint.

A. 1028. Romanus (VIII, vel Argyrus sive Argyropulus)

A. m. $\frac{6521}{6537}$ = Chr. 1019-1020 = Æ. v. 1028-1029 ind. XII, m. novembri imperium obtinet, dum triduo antequam Constantinus moreretur ex eius voluntate Zoem, ipsius Constantini filiam, uxore sua monacham induta, in coniugium accepisset. CEDREN. p. 365. ZONAR XVII, 11.

Ita etiam LUP. PROTOSP. adnotat. A. 1029 (gr.) *Constantinus imperator, se vivente, imposuit in*

(1) Notarii appuli aliquando annos imperii Constantini solius, a Basilii epocha, scil. ab a. 960, sumunt. Cf. chartam archivi Cavensis ap. DI MEO, *Annal.* VII, 122.

(2) In *Contin.* HAMART. ap. MURALT. p. 866, anni 53 imperii Basilio et Constantino, una supputati, tribuuntur. Constantino autem soli a. 2, p. 872 adscribuntur.

(3) V. infra *Regest. Neap.* nn. 417, 419, 420.

(4) V. infra *Regest. Neap.* nn. 415, 418, 424, 425, iterumtamen nn. 422 et 423 recte Constantino imp. inscripti sunt.

(5) V. infra *Regest. Neap.* nn. 430, 431.

sede sua Romanum, et dedit ei uxorem Zoem filiam suam. Hanc epocham signat etiam IGN. BAR.

Romanus imperat a. 5, m. 6. CEDREN. p. 574; CODIN. p. 62; MANASS. p. 102; IOEL. p. 143; *Catal. Byz.* V. — vel a. 5, m. 7. *Catal. Byz.* IV.— vel, non habita ratione mensium, a. 5. GLYCAS, p. 241; *App.* ad IGN. BAR. p. 346.

Romanus die, quo sanctae magnae quintae feriae solemnitas erat (11 m. aprilis) ind. II. in balneo a satellitibus Michaelis, qui ex argentario iam Panthei praefectus ab imperatore factus fuerat, et adulterii consuetudinem cum imperatrice Zoe habebat, suffocatus est. CEDREN. l. c.

A. 1034. Michael (IV. sive Paphlagon)

A. m. $\frac{6526}{6542}$ = Chr. 1025-1026 = Æ. v. 1033-1034 ipso magno Parasceves die 12 m. aprilis ind. II. a Zoe in virum accipitur, et a patriarcha imperator coronatur. CEDREN. p. 574. (1) — Eumdem annum et diem adnotant LUP. PROTOSP. et IGN. BAR.

Michael imperat a. 7, m. 8, CEDREN. p. 585; HAMART. *Contin.* p. 874; ZONAR. XVII, 16; IOEL. p. 143 — vel a. 7, m. 7; ATTAL. p. 10 — vel a. 7, m. 9. CODIN. l. c. *Catal. Byz.* IV et V. — vel denique, numero rotundo, a. 8. *App.* ad IGN. BAR. p. 346 — aut a. 7 (exactis). MANASS. p. 103; GLYCAS, p. 243.

Michael, postquam monachum induerat, die 10 m. decembris ind. X obiit. CEDREN. p. 575. Idem, die omisso, adnotat LUP. PROTOSP. ad a.

In chartis neapolitanis ind. X. exaratis Michaelis etiam post m. decemb., in quo ipse obiit, nomen inscriptum legitur. In instrumento autem de m. mart. ind. XI habetur *post obitum Michaelis a. 1.*

A. 1041. Michael (V. sive Calaphatus) Zoe, et Theodora.

A. m. $\frac{6534}{6550}$ = Chr. 1032-1033 = Æ. v. 1041-1042 ind. X m. decemb. Zoe, quae, mortuo Michaele paphlagone, summam rerum adepta erat, Michaelem alium, qui et Calaphatus dictus est, filium Stephani illius, qui in Sicilia rem perdidit, et defuncti Michaelis ex sorore nepotem, in prolem adoptat, et eum, qui iam Caesar ab avunculo renuntiatus fuerat, diademate imperiali cingit. CEDREN. p. 586; ATTAL. l. c.— Concordant LUP. PROTOSP. et IGN. BAR. ad a. 1042, ind. X.— Cf. etiam PEREGR. PRATILL. IV, 346.

Sed cum ipse Michael imperatricem Zoen mox solio deturbasset et in Principum insulam relegasset, senatus et populus constantinopolitanus, seditione in eum mota, Zoen ipsam in imperium revocant, et Theodoram, Romani filiam, et eius sororem, ipsius imperii consortem decernunt. Tunc ex Theodorae iussu Michael suffossis oculis in monasterio Elegmorum die 21 m. aprilis eiusdem ind. X (a. 1042) relegatus est, cum imperasset vix m. 4, die. 5. (15. *Catal. Byz.* IV.) CEDREN. p. 588; IOEL. p. 144 — vel m. 4, d. 29. CODIN. p. 63. — aut, omissis diebus, m. 4. *Catal. Byz.* V. — vel m. 5 (non expletis) ATTAL. p. 17 — vel m. 3, d. 4. ZONAR. XVII, 19;

(1) Epocha huius imperatoris varie in documentis appulis supputatur. In chartis Tranensibus ap. PROLOGO, *O. c.* nn. 11, 12 et 13, et in quadam charta Lucerina de m. sept. ind. VI, a. 1037 ap. *Cod. dipl. Cav.* I, 22 (ubi perperam Michaeli Balbo tribuitur) ea saltem a m. sept. a. 1033 sumitur. Alia huius chronologici systematis specimina praebet *Chartularium monasterii Tremetensis* sive S. Mariae in insula Tremetis, quod in Bibliotheca neapolitana (*Nazionale*) asservatur (XIV, A. 30); ubi f. 51 v. instrumentum *tercio a. imperii d Michail sanctissimo imperatore nostro m. octobris IIII. ind.* (a. 1035) invenio. Cf. etiam doc. a. 1039 in R. N. A. M. IV, 286. — In aliis vero Lucerinis documentis forte a. m. apr. 1034, ut coniici potest ex illo, quod m. apr. ind. **VIII** (a. 1040) anno septimo eiusdem inscribitur, supputatio facta est. (*Cod. dipl. Cav.* I, 28). Contra in charta quadam ap. Troiam confecta *quarto a. mense iulius VI. ind.* quae in archivo Casinensi (*Caps.* 28, *fasc.* 2, *n.* 17) adservatur, epocha sumitur a m. sept. sequenti (a. 1034), ut mihi videtur.

Glycas, p. 241. — Secundum Lup. Protosp. A. 1042, *Michael coecatus est Zoi et Theodorae sororum iussione*. Ign. Bar. habet ad a. 1042 : *Post 5 m. cecaverunt illum ipsum puditi ? qui exiliavit Zoi.*

Zoe et Theodora imperant m. 3 (primo et extremo pro integris supputatis) Codin. l. c.—aut, m. 4. *Catal. Byz.* IV. — vel m. 1 integro, m. aprilis et iunii diebus omissis ; Glycas, p. 246.

A. 1042. Constantinus (IX.), qui et Monomachus

A. m. $\frac{6534}{6550}$ = Chr. 1032-1033 = Æ. v. 1041-1042 ind. X. e Mithilene, ubi in exsilium missus fuerat, Zoes iussu Cpolim revocatur, et die 11 m. iunii eiusdem ind. X Zoem ipsam in uxorem accipit, ac postridie a patriarcha coronatur. Cedren. p. 589 ; Zonar. XVII, 20 ; Codin. p. 63. — Eodem anno 1042 id adnotant Lup. Protosp. et Ign. Bar. (1)

Primum ex neapolitanis documentum huius imperatoris nomine inscriptum in die 2 m. maii ind. XI. (a. 1043) invenio.

Constantinus Monomachus imperat a. 12, m. 7 (expletis) Attal. p. 84. — vel a. 12, m. 8 ; Cedren. p. 618 ; Zonar. XVII, 28. — vel, omissis mensibus, a. 12. Glycas, p. 248 ; Manass. p. 106 — vel numero rotundo a. 13. Ioel. p. 144 ; *App.* ad Ign. Bar. p. 346 — Codin. p. 63 fortasse in numero annorum fallitur cum adnotat a. 13, m. 7.

Constantinus Monomachus obiit die 11 m. ianuar. ind. VIII (a. 1055). Cedren. p. 618. et ex nostratibus Lup. Protosp. et Ign. Bar. (2)

1055. Theodora, Romani (II.) porphyrogeniti filia,

A. m. $\frac{6547}{6562}$ = Chr. 1045-1046 = Æ. v. 1054-1055, ind. VIII, cum Constantinus decumberet, ab eius administris in urbem et palatium deducitur, et die 12 m. ianuar. avitum imperium obtinet. Cedren. p. 618 ;

Ex nostratibus consentit omnino Ign. Bar.—Lup. Protosp. vero initium imperii ex ind. IX. sumit sic : A. 1056 *cepit regnare regina praedicta Theodora Augusta soror Zoes imperatricis.* Ita etiam *App.* ad Ign. Bar.

Theodora imperat a. 1, m. 8 (non expletis) Attal. p. 52. — vel numero rotundo, a. 1, m. 9 Zonar. XVII, 29, et *Catal. Byz.* V. — vel strictius a. 1, m. 8 (l. 7) d. 20, Codin. p. 63 ; et *Catal. Byz.* IV.— mensibus autem non supputatis, vel ratione ab initio m. sept. sequentis sumpta a. 1, Manass. p. 106, et Hamart. *Contin.* ex cod. Ven. ap Muralt. p. 880. (3)

Theodora moritur sub exitu m. aug. die 22 vel 31 ind. IX. Codin. p. 63 ; Cedren. p. 619 ; Glycas, p. 249.

Neque Zois, neque Theodorae nomina in documentis sive neapolitanis, sive appulis inscripta unquam videntur.

(1) In archivo Casinensi extant chartae ap. Troiam confectae *primo anno imperii d. Michaeli sanctissimo imperatore nostro m. martio et m. iul. X ind.* (*Caps.* 98, *fasc.* 2, *n.* 14, et *fasc.* 3, *n.* 26). Ipsae procul dubio ad Michaelem hunc pertinent.

(2) Nomen huius imperatoris etiam post eius obitum et, quod mirum mihi videtur, usque ad m. novembris a. 1057, nu d Michaele Stratiotico ratione habita, in quibusdam i ..entis Apuliae confectis inscriptum legitur. Exempla habeo ex cit. *Chartulario monast. Tremetensis,* ubi f. 39 v. instrumentum extat *tertiodecimo a. imperii d. Constantini Monomarcho* (sic) *s. i. n. mense sept. VIII. ind.* (a. 1054) ; f. 43 v. aliud *quartodecimo a. imperii d. Constantini Monumacho s. i. n. mense iunius nona ind.* (a. 1056), et f. 40 aliud denique *sextodecimo a. d. Constantini Monumacho s. i. n. mense novembri undecima ind.* (a. 1057).

(3) Ioel. p. 144, ex librarii forsitan errore adnotat a. 2, m. 6.

A. 1056. Michael (VI. Stratioticus) qui et Bringa

A. m. $\frac{6548}{6564}$ = Chr. 1047-1048 = Æ. v. 1055-1056, cum iam ab imperatrice Theodora testamento successor renuntiatus fuisset, die 22 (CODIN. l. c.) vel die 31 m. aug. ind. IX coronatur augustus. CEDREN. p. 619, ZONAR. XVIII, 1, ATTAL. p. 32.

Hanc epocham signat. IGN. BAR. qui habet: A. 1056, ind. IX. *Elevatus est Michail imperator nobicio* (id est iunior); nec abnuit LUP. PROTOSP., qui annum 1057, a m. sept. sequenti imperium sumens, affert (1).

Post annum Michael se abdicat die 31 m. aug. ind. X. CEDREN. p. 629; ZONAR. XVIII, 3; ATTAL. p. 59, cum imperasset a. 1, d. 11 aut 13; CODIN. l. c.; *Catal. Byz.* IV, vel numero rotundo a. 1; MANASS. p. 107; GLYCAS, p. 249. *Catal. Byz.* V.

A. 1057. Isaacius Comnenus

A. m. $\frac{6551}{6566}$ = Chr. 1048-1049 = Æ. v. 1057-1058 ind. XI. kal. septembris Cpolim ingressus coronatur augustus, cum iam a die 8 m. iunii ind. X. a ducibus Orientis in Paphlagonia imperator salutatus fuisset. CEDREN. p. 629; ATTAL. p. 59.

Recte IGN. BAR. adnotat: A. 1058 (gr.) ind. XI. *surrexit Conmiano* (2) *imp. Michail vero imp. induerat monachium.* Eandem ind. XI habet *App.* ad IGN. BAR. p. 347, ubi ipse imp. *Isaky Conniano* dicitur. Annum differt LUP. PROTOSP., a quo, graeco more, novus imperator Isachius *Oconnus* (ὁ Κομνηνός) vocatur. (3)

Isaacius cum Haecatherina uxore sua imperat a. 2, m. 3, die 24 CODIN. p. 63 — vel a. 2, m. 3, ATTAL. p. 69; HAMART. *Contin.* p. 884; CUROP. p. 634; IOEL. p. 144, aut a. 2, m. 2, d. 29. *Catal. Byz.* IV. — aut, omissis diebus, a. 2, m. 2. *Catal. Byz.* V. — vel, omissis mensibus, a. 2. GLYCAS, p. 249. (4)

Imperio se abdicat et monachum induit die 22 m. novembris ind. XIII.

A. 1059. Constantinus (X.), qui et Ducas,

A. m. $\frac{6553}{6568}$ = Chr. 1051-1052 = Æ. v. 1059-1060 ind. XIII. ab Isaacio Comneno imp. designatus m. nov. vel dec. solium obtinet. CUROP. p. 635; ATTAL. p. 70; ZONAR. XVIII, 2. — Ita etiam IGN. BAR. qui habet: A. 1060 (gr.) ind. XIII. *Comminiano voluntarie dedit domino suo Constantino Dukizzi et induit sibi habitum monachicum.* Nec aliter LUP. PROTOSP. ad a. (5)

Constantinus Ducas imperat. a. 7 m. 6 (ex quo imp. designatus fuerat die 22 nov. 1059), ATTAL. p. 22; ZONAR. XVIII, 9; CODIN. p. 63; IOEL. p. 145. — vel a. 7, m. 6, d. 10. NICON. ap. MURALT. p. 12 (d. 1. *Catal. Byz.* IV); aut a. 7, m. 9. *Catal. Byz.* V.

(1) Extat in archivo Casinensi charta Troiae data *primo a. imperii d. Constantini sanctissimo imperatore nostro m. sept. XI ind.* (*Caps.* 98, *fasc.* 2, n. 18). Pene annum antecedit notarius Montis corbini in documento m. dec. 1044, quod suspectum mihi videtur, R. N. A. M. IV, 312.

(2) Ita etiam Isaacius vocatur in quibusdam instrumentis *Chartularii monast. Tremetensis* f. 30 v. et 37 v.

(3) Ex hac epocha Isachii imperium supputatur in charta Tranensi data *secundo anno regnante d. Ysakyo qui et Comniano gloriosissimo imperatori nostro mense magio XII. ind.* ap. PROLOGO, *O. c.* n. 16.

(4) Nomen Isachii in instrum. *Chartularii monast. Tremetensis* usque ad m. febr. ind. XIII (a. 1060) invenio.

(5) Di Meo Constantinum Ducem praesertim ex neapolitanorum documentorum notis chronologicis imperatorem m. aug. 1060 coronatum fuisse contendit; sed ea documenta nil contra opinionem supra relatam afferre possunt, cum ex ind. sequenti, ut saepe monui, imperii epocham sumunt. Ex m. dec. (a. 1060 gr.) vero supputata est a notario Iuvenaciensi in charta: *a. ab. inc. d. n. I. Ch. 1067* (gr.) *et septimo a. regni d. n. Constantini qui est dux. . . imp. nostro m. november quinta ind.* R. N. A. M. t. V, p. 37.

— vel, mensibus omissis, a. 7. NICEPH. BRYEN. p. 11; GLYCAS, p. 251; MANASS. p. 108 — vel numero rotundo a. 8. *App.* ad IGN. BAR. p. 347.

Moritur (die 21) m. maii ind. V. ATTAL. l. c.; SCYL. 659, 4. ap. MURALT. l. c. — et ex nostratibus LUP. PROTOSP. ad a. 1067. — IGN. BAR. mortem Constantini et Romani Diogenis in imperio assumptionem in ind. VI. coniungit.

A. 1067. Michael, Constantinus, et Andronicus, Constantini Ducae filii, cum matre Eudocia

A. m. $\frac{6560}{6575}$ = Chr. 1058-1059 = Æ. v. 1066-1067 m. maio, vel iunio ind. V. in imperio succedunt. ATTAL. p. 22, et imperant m. 7 et paulo amplius. CUROP. p. 643; ZONAR. XVIII, 10 — vel m. 7, d. 10. CODIN. p. 63. *Catal. Byz.* IV. — vel, numero rotundo, m. 7. GLYCAS, p. 252; IOEL. p. 145; *Catal. Byz.* V. — LUP. PROTOSP. Michaelem tantum filium Constantini imperatorem nominat.

A. 1068. Romanus (IV.) Diogenes

A. m. $\frac{6561}{6576}$ = Chr. 1059-1060 = Æ. v. 1067-1068 ind. VI. primo m. ianuarii die ab Eudocia in virum eligitur et imp. declaratur. CUROP. p. 643; ATTAL. p. 101, et ex nostratibus IGN. BAR. qui habet: A. 1068 ind. VI. *Surrexit imp. Romano Diogeni* (1).

Imperat cum Michaele, Andronico et Constantino (usquequo captus fuit a Turcis m. aug. die 26, ind. IX (a. 1071), vel m. iul. ind. X (a. 1072) IGN. BAR.) a. 3, m. 8. CUROP. p. 661; CODIN. p. 63; ZONAR. XVIII, 11; GLYCAS, p. 252. — vel a. 3, mensibus omissis; MANASS. p. 111. — vel strictius a. 3, m. 8 (l. 7), d. 26. *Catal. Byz.* IV. — aut, numero rotundo, a. 3, m. 9. *Catal. Byz.* V.

Captivitatem vero eius in m. sept. a. 1069 (1070) LUP. PROTOSP. res confundens collocat sic: *Romanus Diogenes, qui cum praedicto Michaele privigno suo tenebat imperium, fraude praedicti Michaelis privigni sui apud quandam civitatem Armeniae comprehensus et caecatus est.*

Romanus dein a Sultano liberatus, postquam vario eventu cum Michaelis, privigni sui, ducibus pugnasset, tandem victus et oculis orbatus obiit (m. iul. a. 1072). IOEL. imperium eiusdem, usquequo obiit supputans, a. 7 (a. 5?), m. 8, ei tribuit, p. 145.

In documentis neapolitanis nomen Romani fere per totam ind. XI inscriptum legitur.

A. 1071. Michael (VII.) Parapinacius, Constantini Ducae filius,

A. m. $\frac{6565}{6580}$ = Chr. 1063-1064 = Æ. v. 1071-1072 ind. X die 24 m. sept. a matre Eudocia imperator et dominus renuntiatur. ATTAL. p. 169. — Annum differt. *App.* ad IGN. BAR. quae habet: *Ascenderat Michael Parapinaki ind. XI.*

Michael imperat cum Maria uxore sua a. 6. m. 6 (expletis) CODIN. p. 63; HAMART. *Contin.* p. 891, ex cod. Ven.; ZONAR. XVIII, 18. — vel a. 6, m. 7 (non expletis) *Catal. Byz.* IV et V; NICON. ap. MURALT. p. 35. — vel omissis mensibus a. 6; IOEL. p. 145; MANASS. p. 112.

(1) Di Meo, *O. c.* VIII, p. 81, ex charta Cupersanensi: *a. octavo imperii d. n. Constantini die 19 m. aprilis VI. ind.* arguit Constantinum eo tempore adhuc in vivis egisse. At hoc argumentum quam parum valeat, alia chartarum, sive Apuliae sive Neapolis, in quibus nomen imperatoris iam defuncti inscriptum legitur, exempla facile demonstrant. Praeterea annum primum Romani Diogenis vel *Diogenio* in documento m. febr. ind. VI, itemque in alio instrumento m. febr. ind. VII inscriptum invenio. (Cf. *Chartularium monast. Tremetensis*, f. 40 v. et 41); ita ut ex hoc mense imperii epocham in eis supputatam fuisse dicendum est.— Contra ex sept. sequenti huius imperatoris epocham sumunt, praeter Neapolitana, in quibus id constans est, alia etiam Apuliae documenta. Ita enim habetur in charta: *a. 1072 quarto anno regnante d. Romano, qui et Diogheni et cum eo regnantibus d. Michaele, et d. Constante porphorogenito quam et d. Andronico gloriosissimis impp. nostris mense aug. decima ind.* ap. PROLOGO, *O. c.* n. 18.

Die vero 31 m. mart. ind. I (a. 1078) se abdicans et monachum induens imperium deponit (ZONAR. XVIII, 7), et fratri Constantino resignat, qui illud Nicephoro Botoniati cedit.

Nomina Michaelis, Andronici et Constantini usque et per totam ind. primam in chartis neapolitanis invenio

A. 1078. Nicephorus (III.) Botoniates

A. m. $\frac{6581}{6586}$ = Chr. 1069-1070 = Æ. v. 1077-1078 ind. I, die 3 m. apr., feria secunda maioris hebdomadae, Cpoli coronatur, cum iam a. praecedenti die 2 m. iulii imperator salutatus fuisset. — IGN. BAR. ita adnotat: A. 1078, I, *Elevatus est imp. Nikiforo Botoniati m. martio, et deposuit Michail imp. et tulit uxor eius sibi uxorem* (*uxor eius sibi vi tulit in lecto suo proprio. App.* p. 347) *fecitque eum monachus, et fecit vocare* (caecare) *Basilahi et Brioni*; idest Nicephorum Basilacium, et Nicephorum Bryennium, qui tyrannidem affectaverant.

Nicephorus imperat a. 3, m. 6 (expletis et forte ex initio ind. I, qua imperium suscepit, supputatis) CODIN. p. 73 — vel, mensibus omissis, a. 3. HAMART. *Contin.* p. 903; GLYCAS, p. 256; IOEL. p. 145. *Catal. Byz.* IV. — vel a. 3, diebus 6. *Catal. Byz.* V.

Nicephorus, postquam die 1 apr. ind. IV (a. 1081), in qua tunc *Coena Domini celebrabatur* (IOH. DIAC. *Chron. Ven.*) milites Alexii Comneni, iam Occidentis ducis et augusti, Cpolim occupaverant, imperio se abdicat et in monasterio Peribleti retruditur.

Nullam usque adhuc chartam huius Nicephori nomine inscriptam inter neapolitanas inveni.

A. 1081. Alexius Comnenus

A. m. $\frac{6574}{6589}$ = Chr. 1072-1073 = Æ. v. 1080-1081, ind. IV, m. martii (*Chron. monast. S. Soph.* ad a.) vel april. imperium suscipit. ZONAR. XVIII, 21; ANNA COMNE. III, 62; CODIN. p. 63.— Consentiunt LUP. PROTOSP. IGN. BAR. et *Add.* (1)

A. 12 imperii, Æ. v. 1092 ind. XV. Iohannem, filium, datis purpureis calceis, imperio destinavit. NICET. CHONIAT. p. 3, Iohannis enim nomen m. sept. ind. I (a. 1092) in doc. neap. inscribitur. Ipsum vero cum patre in doc. Appulis non invenio.

Alexius imperat a. 37, m. 4, d. 15. CODIN. p. 63; IOEL. p. 146; NICET. CHONIAT. p. 5; ANNA COMN. p. 398. — vel a. 37, d. 4 *Catal. Byz.* IV. — vel a. 37, m. 6 primo et ultimo pro integris habitis. NICON. ap. MURALT. p. 121 — vel numero rotundo a. 37. *Catal. Byz.* V. — cum Iohanne porphyrogenito filio a. 25; ZONAR. XVIII, 27; BRYENN. p. 13.

Obiit vero die Assumptionis b. Virginis feria quinta. ANNA COMNEN. XV, 395; CODIN. p. 63 scil. nocte, quae praecessit diem 16 aug.

A. 1118. Iohannes porphyrogenitus, qui et Caloiohannes,

A. m. $\frac{6611}{6626}$ = Chr. 1109-1110 = Æ. v. 1117-1118 ind. XI, die 16 m. aug. patri Alexio successit. NICET. CHONIAT. l. c. (2)

Iohannes a. 1119, ind. XII Alexium filium in imperio collegam adsumit; documenta enim neapolitana (neque alia ad id habeo) ipsius annum primum cum ind. XIII. supputant.

Demum in a. Ae. v. 1139, imperii eiusd. Iohannis 22, Neapolis Rogerii I. Siciliae et Apuliae regis dominationi cessit, ut infra amplius dicetur.

(1) Minus recte Di Meo ex solis documentorum notis chronologicis, ubi imperium cum ind. adnotatur, censet Alexium m. iunio sollemniter coronatum fuisse.

(2) In doc. Tremetensi adnotatur: *A. 1121 inc. I. Ch. d. n. Magnifico vero imperatore Kalo Iohanne porfirogenito a. tertio regis* (sic) *m. iul. XIV. ind. in civ. Trano.* Cf. *Cartul.* cit. f. 53.

SERIES CONTINUATA DUCUM NEAPOLIS

AB A. 969 AD A. 1139.

Impp. Iohanne Tzemisce ac Basilio et Constantino (969-977).

Marinus (II.) dux Neapolis.

Marinus, Iohannis III. filius, qui iam ab a. 944, cum infra aetatem esset, ut supra innui, patris collega in ducatu ascitus fuerat, post eius mortem a. 968 exeunte vel a. 969 ineunte solus in imperio successit. Tunc Eugenius patritius Graecorum commisso apud civitatem Bivinem bello, cum Pandulfo I. Beneventi ac Capuae principe, et, fusis Beneventanis Capuanisque, ipsum Pandulfum caeperat et captivum cum suis militibus Constantinopolim miserat. Deinde cum multitudine hostium Beneventi fines invadit; Avellinum oppidum adit et comprehendit, Capuamque properans ipsam urbem diversis machinis expugnat obsidetque fere 40 diebus " Marinus autem, qui praeerat illo tempore Neapolitanis, cum omnibus suis, accepta occasione, Capuam venit, incendiis, rapinis, et quidquid reperiri poterant, demoliunt. Sed iniquitas eorum in eorum verticem nimirum descendit; quia dum cerneret ipse patritius sine effectu ibidem morari et crebrissime Langobardi suos non paucos vulnerarent, atque necarent, et metueret ne forte Francorum exercitus super eos irrueret, praesertim cum plurima ope essent ditati, et promiscui sexus fere quingentos comprehendissent, Capuam liquit, et cum paucis pacifice Salernum venit, reliquum vulgus per Beneventum habuit iter...... et sic Apuleam remearunt. Ille vero Eugenius, dum apud Salernum per aliquos dies mansisset....... Apuleam est reversus...... Dum patrata talia fuissent non multos post dies exercitus Alamannorum, Spoletinorum, Saxonumque Capuam venit, sed Graecorum phalangem minime ibidem reperit. Deinde exinde sunt moti, territorium Neapolitanorum invadunt; undique inibi praedam capiunt et vehementer una cum Capuanis civitatem Neapolitanam constrixerunt: inde sunt moti . . . Post haec Otto iam saepe dictus cum moltitudine hostium Neapolim properavit, atque undique eam animalibus denudavit . . . „ *Chron. Anon. Salern.* cc. 171-174.

Postea a. (973-974) Landulfus, filius Atenulfi principis, qui propter suam nequitiam suamque crudelitatem et superbiam a Capuana urbe cum suis filiis eiectus fuerat Neapolimque exulaverat, ac deinde a Gisulfo Salerni principe humanissime exceptus, donisque multis ditatus, beneficiorum immemor cum suis callidissimis filiis pro principis eiusdem interitu coniurabat „ et hac illac clam pergebat, et sermocinabat, nec non sacramenta ex inde recipiebant, quatenus Salernitanum principatum invaderet, et Indulfum (ex eiusdem filiis unum) principem constituerent. „ — " Factum est autem eo tempore, ut saepe dictus Pandulfus (qui, mortuo Nicephoro imp. a Iohanne Tzimisce liber dimissus fuerat) cum multitudine Spoletini, nec non et suum populum Neapolim adiisset et eam undique variis casibus cruciasset, et omnimodo nitebatur quatenus praedicti principis Gisulfi terram invaderet; sed dum ipsi sagacissimo principi fuisset cognitum, repente multitudinem hostium congregare iussit moxque locum ubi *flumicellus* dicitur, misit.... Dum illuc validissimus suus exercitus pergeret...... audito hoc Pandulfus, et qui erant cum eo minime Salernitanorum adeunt fines...... Landulfus vero, una cum suis filiis iam dudum conceptam iniquitatem pariturus..... principatum eius et palatium hoc modo invaserunt. Intempesta noctis..... cum paucis, non per ianuam, sed per fenestram ingrediuntur..... et sic ad aulam,

ubi ipse benignissimus princeps. . . . . . . quiescebat, audaci animo properarunt . . . . . . eumque comprehenderunt. . . . . . ipsumque.. . . . . in altissima turri. . . . . deposuerunt. . . . . Deinde. . . . . sequenti nocte ipsum·iam dictum principem, una cum sua coniuge Amalfiam deducunt. Cum talia peracta fuissent, Marinus, qui illo tempore praeerat Neapolitanis, et Manso patritius Amalfitanorum Salernum cum nonnullis paucis venerunt, atque Landulfum nitebantur adiuvare, quatenus principatum ipse firmiter obtineret. Sed non valet suffragium humanum, ubi non adest divinum. Ille Neapolitanorum patritius Marinus oblitus beneficiorum tantorum, quae in eum princeps Gisulfus impenderat, oblitus etiam iusiurandi, quod iuraverat, cum omni conamine, suisque hominibus omnimodo eum videlicet adiuvabat. Facta est . . . . . autem non minima dissentio inter germanos pro principali ambitione. Indulfus . . . . . omni nisu ex inde satagebat, et praedictum Marinum acrius efflagitabat, ut eum omnimodo adiuvaret ad obtinendum principalem honorem. Dum vero utrique omni nisu decertarent . . . . . Salernitanus populus illi crudelissimo iuniori Landulfo iurarunt. „ *Chron. Anon. Salern.* cc. 175-180.

Cum autem Pandulfus princeps Caputferreus ab illis nobilibus, qui per castella manebant, haec sciret, Salernum cum suis veniens, urbem expugnavit, et, eiecto invasore Landulfo, illam legitimo principi Gisulfo resignavit; qui, ut Peregrinius recte inquit, sive grati animi, sive pacti lege obstrictus, eius filium, item Pandolfum dictum, adoptavit principemque Salernitanum instituit mense octobri eiusdem anni 974 (1).

Marinus, qui etiam *imperialis antipati et patricii* titulo insignitus fuit, in documentis apparet usque ad m. novembris a. 975, quo diploma concedit abbati monasterii Ss. Severini et Sosii (2). Forte haud multo post, ut ex sequentibus argui licet, mortem obiit (3). Cetera autem, quae de ipso Marino Pseudo-Ubaldus narrat, ea omnia ex ingenio ipse invenit, et nulla auctoritate innituntur. (4)

Impp. Basilio et Constantino (a. 977-998).

Sergius (III.) dux Neapolis.

In *Catasto* monasteriorum S. Salvatoris in insula maris, et S. Petri ad castellum n. 201 extat summarium cuiusdam diplomatis dati *imperante Basilio ind. V.*, quo Sergius, consul et dux, pro vice sua et pro vice filii sui concedit quoddam privilegium Petro abbati et congregationi monachorum dicti monasterii S. Salvatoris (5). Breviator annos imperii Basilii oscitanter omisit. In-

(1) Cf. *Chron. Anon. Salern.* c. 182, et notam PEREGRINII ad illum in edit. PRATILLII, t. II, p. 307.

(2) R. N. A. M. t. II, p. 239. V. infra.

(3) CLARITIUS in opere: *Commento istorico critico diplomatico sulla costituzione. . . . dell' imp. Federico II,* p. 222 ex n. 216 *Catasti* monasteriorum S. Salvatoris et S. Petri ad Castellum, aliqua ex parte summarium diplomatis affert, die 23 m. nov. ind. X, a. 4 imperii Iohannis dati, quo Marinus, consul et dux, filius q. Iohannis consulis et ducis, permutat et tradit Matthaeo abati Ss. Salvatoris petiam terrae, ubi dicitur Empla. Documentum ipse ad tempus Iohannis Tzimiscae pertinere censet, et duci Marino II, de quo supra egi, tribuit. Sed ex integro illius diplomatis summario, quod ego in quodam eiusdem *Catasti* (cum diploma ipsum originale nunc non extet) exemplari apud regium neapolitanum Archivum offendi, liquido crucre potui errorem in ducis nomine ex transcriptoris oscitantia ibi lapsum. Nam ex titulo *Protosebastis*, quem habet Iohannes, pater Marini ducis, et ex nomine Ebae, quo eiusdem mater appellatur, satis constat in summario documenti Marinum pro Sergio VII. scriptum fuisse. Hic enim, ut ex aliis documentis probari potest, fuit filius Iohannis VI, ducis Neapolis, qui Protosebastes dictus fuit, et Evae, filiae Goffridi Ridelli ducis Caietae, ut infra videbitur; cum contra Marinum illum ex Iohanne et Theodora natum sciamus. Praeterea Matthaeus abbas S. Salvatoris, cum quo dicta permutatio facta fuit, in documentis circa finem neapolitani ducatus actis invenitur; ita ut Iohannes imp., in illo, de quo agimus, inscriptus, non Tzimisces, sed Porphyrogenitus dicendus sit. Ceterum ipsum diploma ex dicti *Catasti* exemplo, quod supra innui, manu, uti patet, Michaelis Angeli Claritii, a. 1760 ab antiquo originali transcripto, infra dabo.

(4) UBALDI, *Chron.* ap. PEREGR.-PRATILL. III, p. 65-70.

(5) V. infra in *Regest. Neap.* — Summarium huius diplomatis, sed non integrum, ut in laudato *Catasto* legitur, CLARITIUS edidit in *O. c.* p. 76.

dictio vero V. sub eodem Basilio et Constantino fratribus quater recurrit, scilicet a. 977-992, 1007, 1022. Inquirendum igitur est cuinam ex his quatuor annis diploma Sergii tribui debet. Id vero ex Petri abbatis mentione statuere posse mihi videtur. Nam in eodem *Catasto* sub Basilio imp., praeter Petrum, quem memini, alium eiusdem nominis abbatem n. 262, qui iunior dicitur, et ab ducibus Iohanne, et Sergio m. decemb. ind. I, idest a. 1003, uti infra patebit, diploma concessionis assequitur, invenio. Petrum ergo seniorem ante hunc annum, et vel a. 977, vel a. 992 vixisse dicendum est. At annus 992 iure excludi debet; tunc enim Maionem S. Salvatoris abbatem fuisse ex charta a. 32 imp. Basilii celebrata discimus (1). Petrus igitur senior abbas sub Basilio ind. V, et Sergius dux, qui ei diploma concedit, bene in anno 977 collocari potest.

In diplomate supra memorato nomen filii omittitur, neque de eo memoriam ullam in documentis deinceps invenio. Sergius enim solus memoratur in charta a. 992 (2), et item solus in anno 997 abbati monasterii Ss. Severini et Sossii privilegium concedit. (V. infra) Quod ut explicem, nil habeo. Quando obierit, ignotum est.

Impp. Basilio, et Constantino (a. 998-1008).

Iohannes (IV.) dux Neapolis.

Ex *Catal. Cav. Com. Cap.* magnas his temporibus perturbationes et rerum conversiones in Neapolitana republica accidisse discimus, sed ita ieiune et obscure, ut magis ex coniecturis ac divinationibus facta coarguere; quam rem integre tradere et explicare possimus. Ibi enim legitur: " in hoc autem (m. mart. a. 999) venit Otto tertius imperator Capuam, habiit in Gargano ad Sanctum Michahelem et revertit Romam. Ideo direxit suum exercitum cum Ademari marchius Capua, et Neapolim, non pro rebellio. Sed tulerunt ex eis stadiis et receperunt a maioribus Capuae sacramenta fidelia ad eodem Imperatorem et recesserunt cum ipsi obsides. Post dies vero aliquantos, iterumque Ademarius cum Alamannis, et Francis pergit ad civitatem Neapolim et Laydolfus princeps cum eis simul aderant. Ingressi ergo Neapolim apprehenderunt ipsum magistrum Militum nomine (3). . . . et duxerunt illum in Capuam. Alio vero die similiter ingeniose et apprehenderunt ipsum Laydolfum principem, et Landone de Caiatias insimul cum eos Capuanos nobiles, et separati miserunt illum in exilium, et Maria principissa uxor Laydolfi similiter misit in exilium. Praedictum Laydolfum deposuit ipse Imperator de honorem suum in Romam, et exiliatum transmisit illum; nec non et praedicto magistro milite et Gaideriso et Lando de Caiatias, omnes ipsi separatim, ad regnum ultra Alpiae. Reliquis ipsi nobilis Capuanis exiliatis in singula loca per arta custodia. Tunc hisdem imperator tradidit Ademari principatum Capuanum, et undecimo die stante mense martio ingressus est Ademari in Capua, et regnavit in ea menses quatuor (4). „ Ex his igitur erui potest Iohannem ducem, cuius privilegium habemus monasterio S. Sebastiani concessum a. 999 (V. infra), ab Ademario, capuano, filio Balsami, clerici, ut Leo Ostiensis tradit, quem Otto Imperator *secum a puero educatum unice diligebat, quemque ante paululum Marchionem fecerat* (5), captum fuisse, et primo Capuam perductum ac deinde in exilium missum. Id mense maio, vel iun. ineunte accidisse ex supradicto diplomate, et ex aliis rationibus, quas di Meo affert, coniicio.

Eius filia fuit Drosa Senatrix, uxor Ursi, de qua loquuntur doc. a. 996, et a. 1019. (6) Habuit etiam aliam filiam, cuius nomen ignoratur, prius ducis Caietae, postea Rainulfi, Aversani

(1) Cf. Claritium, *O. c.* p. 204-205; et infra *Regest. Neapol.* in *App.*

(2) V. infra *Regest. Neapol.* n. 287.

(3) In cod. Ms. deest nomen ducis.

(4) *Catal. Cav. Com. Cap.* in cod. Cav. LL. Langob. ap. Peregr. Pratill. III, p. 140; M. G. H. *Script.* t. III, p. 207, et *Script. rer. Lang. et Ital.* p. 501; *Cod. dipl. Cav.* t. III, p. 234.

(5) *Chronica Cassin.* L. II, c. 15.

(6) V. infra *Regest. Neapol.* n. 300, et n. 394.

comitis,uxorem. Iohannes dux ante a. 1002 Sergium filium in ducatus consortio adscivit (1), et haud multo post, ut ex sequentibus eruitur, obiit. De eo verisimiliter agitur in docc. 1027, 1030 et 1038, ubi *quondam Iohannes dux*, *heredes Iohannis ducis* et *ven. recordationis quondam Iohannes dux* (2) memoratur.

Impp. Basilio et Constantino (1005-1028); Romano (1028-1034) et Michaele (1034-1038).

Sergius (IV.) dux Neapolis.

Si notae chronologicae in doc. n. 464 adscriptae, quod breviatum in *Summario instrumentorum* monasteriorum S. Sergii et S. Sebastiani invenio, recte sese habent, Sergius in a. 1005 solus ducatum Neapolitanum regebat (3). Certe in a. 1009, die 2, m. septembris ind. VIII. privilegium, concedit Mariae abbatissae monasterii S. Gregorii maioris, quod Neapoli adhuc exstat, et vulgo dicitur *S. Liguoro*. (V. infra).

Mense iunio, a. 1013 ipse in placito apud Argentum castrum ante Pandulfum principem Capuanum habito propter contentionem inter duces Caietanos et comites Traiectenses, ac monasterium Casinense ortam intervenit cum Capuano archiepiscopo, Caietano episcopo et plurimis aliis (4).

De eo etiam mentionem faciunt documenta a. 1021, 1022 et 1027 in *Notamento instrumentorum S. Gregorii maioris*, et instrumentum 1020 in chartis monasterii S. Sebastiani. (5)

In *Notamento scripturarum* autem monasterii S. Marcellini transcriptum invenio instrumentum actum die 19 m. iulii ind. XIV. *imp. Basilio a. 56, et Constantino a. 53* (a. 1016), in quo Sergius ipse habet Iohannem in ducatu Neapolitano collegam. Id mihi negotium facessit, cum Iohannis usque ad a. 1032 nulla deinceps mentio in documentis habeatur, neque quomodo nodus hic expediri possit scio.

A. 1022. Henricus imperator Italiam veniens Capuam obsedit et eiecto Pandulfo IV. principe, qui se Belgrimo, sive Pelegrimo Coloniensi Archiepiscopo, imperialis exercitus duci, dederat, atque, eo in Alemaniam in captivitatem misso, Pandulfum, Teani comitem, in principatu Capuano constituit (6). At paulo post a. 1025, cum Henricus mortuus fuisset, Pandulfus ille precatu Guaimarii Salernitani principis e vinculis solutus est, et in patriam rediit (7). " Mox. . . . pristinos illos suos fautores de

(1) Id arguo ex diplomate dato sub Basilio imp. die 25 m. dec. ind. I, quod breviatum extat in cit. *Catasto* monasterii S. Salvatoris n. 262, et non ad alium annum nisi ad 1002 referri potest. (V. infra).

(2) V. infra *Regest. Neapol.* nn. 424, 438, et 480.

(3) Per haec tempora quidam nostri scriptores, ut Summontius, p. Giannattasius, atque alii Oligamum Stellam, ducem Neapolis, ponunt. ex diplomate quod a Pomponio Laeto acceptum Aelius Marchesius (*De neapolit. familiis* ap. BORRELLI, *Vindex* p. 8) primum rettulit. In eo *Oligamus Stella dux, Ginellus Capicius, Balthassar Iuvanus et Burrus Brancatius, Consules magnificae civitatis Neapolis, quae erat in magna penuria tritici, olei, casei et hordei promittunt quibuscumque salmatariis vallis Beneventanae, Avellini et aliorum locorum, qui venerabili Mundo, praesuli Beneventano, subiecti erant pro qualibet salma farinae, vel tritici tarenos duos, pro qualibet salma hordei tarenum unum, pro qualibet salma olei et casei tarenos tres ; et ideo eidem ven. Antistiti scribunt, ut ad vocem praeconis bandire faciat quod promittunt.* Epistola dicitur *data Neap. die 10 martii tert. ind. sedente sanctissimo Papa nostro Sergio quarto.* Ex huius documenti auctoritate Burro Brancatio, reipublicae Neapolitanae Consuli, inscriptio in ecclesia S. Angeli ad Nidum anno 1600 posita est. At eiusdem diplomatis falsitas ex se ipsa quidem patet, et nulla demonstratione eget. Capacius rem animadvertit, sed ne Marchesio, docto viro, adversari velle videretur Oligamum Stellam ex ducum Neapolitanorum serie respuere ausus non est. Magis recte fabulosum monumentum Ianuarius Grande (*Origine dei cognomi gentilizii nel r. di Nap.* p. 199) et acrius Di Meo (*Annali* cit. t. VII. p. 8.) explosit.

(4) GATTOLA, *Access.* ad *Hist. Casin.* p. 110. — Cf. LEO OST. II, 35.

(5) V. infra *Regest. Neapol.* nn. 404, 410 et 401 — R. N. A. M. t. IV, p. 143.

(6) ANON. CASIN. *Chron.* ad a.1022 ; LEO OST. II, 41.— Cf. Privilegium concessionis ab imp. die 5 m. ianu. a. 1023 datum ap. GATTOLA, *Access.* ad *Hist. Casin.* p. 122.—*Ann. Sangall. mai.* et HERM. AUG. tradunt imperatorem etiam Neapolim, tunc *ad deditionem coegisse ;* sed de hoc dubitari liceat, cum nullo alio teste confirmari possit.

(7) ANON. CASIN. *Chron.* ad a ; *Chron. Fossae nov.* ad a ; LEO OST. II, 58.

Apulia, una cum Boiano Catapano Graecos asciscens, Guaimario quoque cognato suo cum Normannis Rainulfo et Arnolino, comitibusque Marsorum omni conanime annitentibus, Capuam per annum integrum, atque dimidium obsessam et expugnatam, tandem ingreditur. Pandulfus autem Teanensis, quem principem Capuae factum ab Imperatore praediximus, receptus in fide a Catapano Boiano, una cum Iohanne filio et omnibus suis Neapolim est perductus; sed anno sequenti et ipsa quoque Neapoli a Capuano principe capta et Sergio magistro militum exinde pulso, rursum Teanensis Pandulfus a facie ipsius Romam aufugiens, ibidem exsul defunctus est; tenuitque Neapolim Capuanus princeps per annos ferme tres. „ (LEO OST. II, 58.) Hanc neapolitanae urbis iacturam paucis tradunt etiam *Chron. monast. S. Soph.* ubi, tempore strictius definito, habetur: A. 1028 (gr.) XI. *P.* (Pandolfus) *princeps Capuanus intravit Neapolim fraude civium;* ac *Chron. Anon. Cassin.* in quo ad a. 1027 adiicitur: *et obtinuit eam a. 1, et mensibus quinque.* Pandulfus itaque, ut ex supra dictis eruitur, inter m. sept. a. 1027, et m. martium a. 1028 ind. XI (1), Graecis et Boiano Catapano sive adiuvantibus, sive non renuentibus, ac etiam ex concursu cuiusdam factionis, quae in urbe sibi favebat, non abiurata Byzantinorum imperatorum maiestate, Neapolim occupavit. Quamvis enim ipse et Pandulfus filius collega in documentorum capuanorum notis chronologicis etiam ducatus neapolitani titulo decorentur (2), tamen documenta omnia, quae adhuc supersunt, praeter unum aut alterum (3), de quibus dubitari licet, in territorio ducali confecta, nominibus impp. byzantinorum inscripta sunt (4).

Postea a. 1029 exeunte vel 1030 ineunte ind. XIII. (5) princeps Capuanus inde ab eodem Sergio, Northmannorum ope, qui paucos ante annos Campaniam advenerant, eiectus fuit, cum in ducatu neapolitano praefuisset anno uno (nisi forte legendum sit (6) duobus) et m. 5, aut per annos ferme tres, ut habet Leo Ostiensis, primo vel ultimo, aut etiam ambobus (si numerus

(1) Nam ind. XI. a *Chron. monast. S. Soph.* signata cum m. sept. incipit, et m. martio a. 1028, ut infra videbitur, iam Pandulfus Neapolim ceperat. Mensis vero novembris cum ind. X. id est in a. 1026, a *Chron. Cingl.* notatus, penes PRATILLIUM, *Ad Chron. Neap. prolusio* p. 21, omnino falsus est.— Cf. DI MEO, *Annali*, t. VII, p. 119.

(2) Documenta, quae huiusmodi habentur, haec sunt: 1. Instrumentum oblationis terrarum in agro Teanensi facta monasterio Vulturnensi S. Vincentii: *XIII Anno Principatus domini Paldolfi et IX anno Principatus domni Paldolfi eius filio gloriosis Principibus et primo anno ducatus Neapolitanorum ipsorum gloriosorum Principum mense martio XI indictione. Chron. Vulturn.* in R. I. S. I, 2, 506.— 2. Instrumentum aliud oblationis ecclesiarum S. Mariae, et S. Angeli in civitate Teanensi eidem monasterio factae, et eisdem notis mense aprilis signatum. *Chron. Vulturn. Op. cit.* c. 505.— 3. Instrumentum aliud, si diversum est, itidem supra scriptis notis signatum, et actum Teani, mense aprili, quod profertur in GRANATA, *Storia civile di Capua*, t. I, p. 429.— 4. Instrumentum conventionis initae inter monasterium Casinense, et Adenulfum, comitem Aquini, *quartodecimo anno Principatus domni Pandolfi, et decimo anno Principatus domini Pandolfi eius filii, gloriosis Principibus, necnon et secundo anno ducotus Neapolitanorum ipsorum gloriosorum Principum mense aprili duodecima indictione.* GATTOLA, *Access.* ad *Hist. Cassin.* p. 132; GAYRO, *Storia di Aquino*, t. I, p. 61.—Chartam autem aliam, monasterii S. Laurentii Aversae *datam mense Marcii, Capuae,* quam Pratillius in cit. *Prolus.* affert, ego, ut minimum, suspectam habeo; nam in *Chartario* illius monasterii, cuius exemplum apud me est, omnino deest.

(3) Pratillius l. c. affert instrumentum ex archivo monasterii S. Ioannis Capuae, in quo legitur *confirmatio quaedam bonorum Audoaldi clerici in pertinentiis de Caserta* eisdem notis, quibus illud, de quo supra n. 4, signatum, sed *actum Neapole* mense iunio; verum de Pratillii fide iure dubitari debemus. Praeterea in *Historia* eiusdem monasterii olim a Michaele Monaco composita, in qua plurimam documentorum ad illud pertinentium vim vir haud indiligens congessit, neque hoc a Pratillio memoratum, neque aliquid simile extat. Librum, ipsius Monaci manu exaratum, nunc servat d. Ianuarius Asprenas Galante, qui humanissime, uti solet, illum mihi observandum dedit.—Documentum autem a Claritio (*O. c.* p. 205) allatum, quod actum dicitur Neapoli die 19 m. aprilis IV. indictione, anno secundo dominationis eiusdem Pandulfi in civitate Neapolitana, mihi certe suspectum videtur, cum in *Catasto*, seu *Inventario* S. Petri ad Castellum, ex quo Claritius illud affert n. 195, istae notae chronologicae omnino desint, atque in notis chronologicis transcribendis vir, alioquin non suspicandus, parum accurate se praebuerit. Certe ind. IV anno secundo Pandulfi in ducatu neapolitano minime respondet.

(4) V. infra *Regesta Neapol.* n. 428-436.

(5) Mensem aprilis ind. XIII, id est a. 1030, *Chron. Cingl.* ap. Pratillium adnotat, sed hic mensis nullo alio documento firmari potest.

(6) Ita censet PEREGRINIUS in not. ad *Chron. Anon. Casin.* t. IV, PRATILLII, p. 72.

in *Chron. Anon. Casin.* recte se habet) qui cavi fuerunt, integre supputatis. Sergius autem, recuperata Neapoli, Rainulfum, Northmannum, strenuum virum, affinitate sibi coniunxit, ac beneficio devinxit; sororem enim suam, quae proxime comitis, sive ducis Caietae vidua facta erat, ei dedit in uxorem (1), atque agros optimos feracissimosque in Liburia Normannis assignavit (2). Praeterea " Aversae illum comitem faciens cum sociis Northmannis ob odium et insectationem principis (Pandulfi) ibidem manere constituit. Tuncque (3) primum Aversa (4) cepta est habitari. „ (LEO OST. II, 58).

Per haec tempora, et forte post kal. aprilis ind. XIV anno 1031, si *Chronico Cinglensi*, quod Pratillius (5) memorat, fides habenda, ipse Sergius Theobaldo Casinensi abbati, quem Pandulfus per annos ferme tres, quasi captivum in Capuano monasterio sustinebat, auxilium praestitit, ut inde liber evaderet. Nam cum militibus ad locum designatum praefinito die veniens, clam, prout condictum fuerat inter eum et abbatem, inde eum Neapolim tuto transduxit (6).

At haud multo post, uxore defuncta, Rainulfus ex insinuatione Pandulfi principis Capuani, qui eum a Sergii fide avertere magnopere cupiebat, ad secunda vota migravit, et matrimonio sibi adiunxit filiam patricii sive ducis Amalphiae, quae ipsi Pandulfo ex sorore neptis erat. Sergius vero inde plurimum dolore angi, et vehementer sollicitum esse coepit, quia urbs, quam ipse in ducatus territorio construi fecerat, in principis inimici sui subiectionem sic redigebatur (29). Quapropter in morbum incidens a ducatu se abdicavit, et in monasterio S. Salvatoris in insula maris

(1) *Puiz ceste chose, cestui malvaiz home lo prince de Capue Pandulfe, chaza Sierge maistre de la chevalerie de la cité soe, et la grant cité de Naples o l' aide de ceux de la cité mist souz sa poesté. Mès petit de temps cestui maistre de la chevalerie honorablement rentra en sa cité (1029) et à ce que non lui feust mal faire la malice de cestui Pandulfe ala à Ranolfe home, aorné de toutes vertus qui convènent à chevalier et lui dona sa soror por moillier, laquelle novellement estoit faite vidue por la mort de lo Conte de Gaïte, et lui demanda qu' il fust contre la superbe de lo Prince Pandulfe. Et pour reprendère la férocité de cest anemi fist (Rainolfe) Adverse atornoier de fossez, et de hautes siepe, et une part ricchissime de terre de Labor lui fu donnée que lui feist tribuit; et là fist habiter lo coingnat lo conte Raynolfe, et ceste part d'Averse tributaire sont moult de casal qui' i sont.* AIMÉ, *L'Ystoire de li Normant.* L. I, c. 40.

(2) Nescio an ad hanc Liburiae per Northmannos occupationem, aut ad aliam diversam, posterioremque referendae sint Neapolitanorum querelae de *illis maledictis lormannis*, quae in doc. a. 1043 inveniuntur. R. N. A. M. t. IV, p. 300. — Cf. etiam t. V, p. 19.

(3) Ex doc. anni 1050, quo dicitur: *sub eius* (Henrici III) *tempore iam olim anno vigesimo residente gens Normannorum Leguriam per urbem Aversanam* (*Lib. S. Blasii* Aversae, f. 63 ap. MAGLIOLA, *Continuazione della Difesa* ecc. p. 150.) clare eruitur Aversam non ante annum 1030 originem habuisse.

(4) Saeculo superiori diu multumque inter Neapolitanos atque Aversanos disceptatum fuit, an Sergius dux terras in Liburia Rainulfo concesserit, et an urbs Aversa in agro neapolitano aedificata fuerit. Id Neapolitani affirmabant, et pro eis praecipue scripsit FRANCHI Car., *Dissertazione sull' origine, sito e territorio di Napoli* ecc. Nap. 1774, 4, e *Dissertazioni istorico legali su l'antichità, sito ed ampiezza della nostra Liburia ducale* ecc. Nap. 1756, 4; contra Aversani negabant, patronis praesertim MAGLIOLA, *Continuazione della Difesa della terra di S. Arpino e di altri casali di Atella contro la città di Napoli.* Nap. 1757, 4; ac FABOZZI, *Istoria della fondazione della città di Aversa.* Nap. 1770, 8. At nunc controversiam omnem penitus diremit testimonium Amati, qui concessionem Sergii aperte memorat, et Leonis Ostiensis verba amplius explicat.

(5) PEREGR. PRATILL. t. III, p. 79.

(6) LEO OST. *Chron. Casin.* L. II, c. 60.

(7) *Une choze entrevint que la moillier de Ranolfe vint à mort, de là dont la concorde de la paiz non fu ferme, et moult fu Raynolfe dolent de la mort de la dame. Mès plus en est triste lo maistre de la milicie, mès (plus) Pandulfe en fu alègre et joiant, quar cherca la division et l' animistié de ces ij. amis.— Cestui prince Pandulfe manda messages à lo conte Raydolphe, qu' il desorroit moult a parler à lui, et lo parlement fu qu' il lui voloit donner une parente soe pour moillier. Et ensi déterminèrent — Le conte prist por moillier la fille de lo patricie de Umalfe, laquelle estoit nièce de lo prince Pandulfe, quar la moillier de lo patricie estoit seror à lo prince. Et ensi l' allégrèce de lo maistre de la chevalerie de Naple torna en plor, et li cant de lo prince de Capue se exaltoieut; kar la cité laquelle avoit faite lo maistre de la chevalerie en sa terre, estoit en la servitute de lo prince son anemi.* „ AIMÉ, *Op. cit.* L. I, 41-43.

monachum induit (1). Id inter aa. 1033 et 1036 evenisse ex documentis erui potest; nam in a. 1033 diploma dat cum filio Iohanne, et in a. 1036 iam monachus dicitur (2).

Postea iterum imperium adsumsisse videtur: nam, praeterquam quod Amatus bis monachum eum fuisse dicit, in diplomate supra laudato anni 1036, Sergius nepos eius in minori aetate constitutus, cum Iohannes pater eius Constantinopolim profectus esset, sub tutela Sergii avii sui, olim ducis, tunc monachi, privilegium concedit monasterio S. Salvatoris in insula maris. Cum autem anno deinde 1038 Iohannem solum ducem inveniam (3), aut Sergium tunc in monasterium reversum rursus fuisse (4), aut mortem obiisse dicendum est. Certe documentum anni 1044 eum iam mortuum fuisse aperte testatur (5).

Impp. Michaele (1038-1042) et Constantino Monomacho (1043-1050).

Iohannes (V.) dux Neapolis.

Is Sergii filius, uti iam innui, anno 1038 solus ducatum Neapolitanum regebat.

Anno 1046, utex *Vita S. Severi*, Neapolitani episcopi, discimus, scilicet: „ tempore quo Henricus, Theutonicorum rex, Corradi filius, Romam, ut imperii coronam ab apostolica sede sumeret, advenit, Iohannes Neapolitanorum magister militum et Campaniae dux cum suo exercitu ad Puteolos applicuit, ibique, defixis tentoriis, machinamentis, quibus valuit, expugnare nisus est. „ (6)

Haec urbs, quae usque ad annum 1026 ad Neapolitanum ducatum certe pertinuit, forsitan cum Pandulfus Neapolim ingressus est a Langobardis occupata fuerat, et eo tempore in Langobardorum dominatione permanebat. Iohannes igitur illam recuperare tunc conatus est; utrum feliciter necne pro certo affirmare non ausim. Verisimilius vero videtur frustra a Neapolitanis obsessam fuisse, nam anno 1075 Adenulfus, qui ex nomine Langobardum se prodit, castri Putheolani comes habetur (7).

Ante annum 1050 Iohannes dux Sergium filium, qui infra aetatem erat, in collegam adsciverat. Ambo, cum Sergius iam maiorem aetatem attigisset, in diplomate a. 1050 m. martio apparent (8). Anno vero 1053 Iohannem iam obiisse ex documentis discimus.

Ipse, praeter Sergium, alium etiam habuit filium scil. Iohannem senatorem, de quo notitia nobis superest. V. infra.

Impp. Constantino Monomacho (1050-1054), Michaele Stratiotico — Isaacio Comneno (1056-1059) et Constantino Duca (1060-1065), nec non Michaele, Constantino, Andronico et Romano Diogene (a. 1068-1076).

Sergius (V.) dux Neapolis.

Defuncto Iohanne, Sergius eius filius a. 1053 solus Neapolitanos (9) regebat. Sed iampridem ab a. 1050 in regimine successerat; nam ad primum ducatus eiusdem annum, qui ipse 1050

(1) Claritius (*Op. cit.* p. 208.— Cf. infra *Regest Neapol.* in *App.*) ex quodam instrumento *a. 3 imp. Michaelis* m. . . . confecto, ubi *Sergius olim dux, nunc vero monachus, nomine et pro parte venerandi monasterii domini et Salvatoris nostri Iesu Christi de insula maris recipit quamdam oblationem Sergii Popoleta*, recte arguit Sergium in monastèrio S. Salvatoris in insula maris ab imperio recessisse, non recte vero putat documentum ipsum sub imperatore Michaele Duca seu Parapinacio confectum fuisse.

(2) V. diplomata in CHIOCCARELLI, *Op. cit.* p. 117, et in R. N. A. M. VI, p. 150, et infra.

(3) V. infra *Regest. Neap.* n. 482.

(4) *Lo maistre de la chevalerie fu malade, et dui foiz fu fait moinne, et puiz fu mort.* AIMÉ, *Op. cit.* L. I, c. 43.

(6) UGHELLI, *It. sacra*, t. VI, in *Neap.*— Aa. ss. Bollandi, *April.* t. III. p. 768-772. V. infra.

(5) V. MURATORI, *Antiq. ital.* t. I, p. 199.

(7) V. *Regest. Neapol.* n. 528. De hac re opportunius dicam, cum de topographia et finibus ducatus neapolitani sermo erit.

(8) Ex doc. absque ulla nota chronologica, sed quod certe aliud sequens praecesserat, et ex alio *die 9 m. martii de indictione tertia regnante d. Constantino magno imp. anno octabo*, utrisque in doc. anni 1128 relatis ap. R. N. A. M. t. VI, p. 111. Cf. *Regest. Neap.* n. 490.

(9) Dipl. in *Notam. Scriptur. S. Sebast.* n. 572. V. infra.

ex aliis statui debet, ea quae abbas Desiderius, et post eum Petrus Diaconus tradit, referenda sunt. Quodam enim tempore, ut ille testatur, Sergius, magister militum, qui Neapolitanae praerat urbi, venatum in ipso sancto paschali sabbato (14 apr.) pergeret, silvam suis cum pueris lustrabat. Cum autem hora iam tardior esset, ipse, sumpta, quam ceperat, venatione, domum rediit, et puero, cui nomen Pythagoras, ut retia colligeret, et deinde sequeretur, imperavit. Is collectis retibus suum dominum secutus est, et in itinere obviam habuit duos monachos, qui eum timore exterritum, ad quemdam *locum caenosum valde atque horribilem effectu duxerunt ibique Pandulphum*, Capuanum principem, qui non longo ante tempore (19 m. febr. a. 1050) defunctus fuerat, poenas luentem ob calicem aureum ex monasterio Casinensi ablatum demonstraverunt. Qui postquam puero delictum suum patefecisset, eum rogavit, ut ad uxorem Capuam pergeret, et, eius proposita pena, ut calicem restitueret, signo, quod Pandulfus Gualae filius ipsum pro pignore habebat dato, eam enixe obsecraret; et his dictis visio disparuit. Puer vero statim ut domum regressus est in aegritudinem incidit, et post paucos dies defunctus est. Ea vero quae viderat quaeque sibi dicta fuerant antequam moreretur omnibus ad se venientibus ac praesertim Pandulfo Gualae filio, qui omnia postea Desiderio abbati rettulit, patefecit (1).

Si igitur ex his coniecturam facere licet, et certe, saltem quoad personas, quae ibi nominantur, eas facere, nil vetat, Sergium a. 1050, vel m. martio exeunte vel aprili ineunte ad Neapolitanum ducatum, patre mortuo, evectum fuisse coniici potest.

Diplomata ab eo data praecipue habentur per annos 1059, 1064, 1066, et 1067. V. infra.

A. 1071, cum in ipsis kal. octobris Alexander PP. summa celebritate novam Casini ecclesiam, quam Desiderius abbas miris operibus de novo construxerat, inter plurimos Campaniae, Apuliae et Calabriae episcopos ac magnates, qui innumerabili illuc populi frequentia convenerunt, dedicaret, interfuit Sergius noster, ut Petrus Diaconus testatur (2).

Sergius ante a. 1075 nepotem suum, Iohannis Senatoris fratris sui filium, in ducatus consortium adsciverat, ut ex diplomate, quod infra repetam, patet. Ipse, ut ex temporum ratione arguo, a. 1077-1078 Neapolim urbem ab Northmannorum, et Capuanorum, qui eam acriter obsederunt, aggressibus summa virtute defendit. Rem plura illius aevi monumenta testantur. Richardus enim ex genere Northmannorum, Asclittini filius, qui iam, Langobardis principibus expulsis, Capuae dominationem arripuerat, Neapolitanum etiam ducatum sibi annectere cupiens, Robertum Guiscardum suum consaguineum, ut sibi ad id opem ferret, rogavit. Robertus autem Amalphitanis, et Calabris, qui tunc sub sua ditione erant, imperavit, ut cum navibus illuc accederent, et Richardo in omnibus, tamquam domino, obtemperarent. His auxiliis fretus princeps m. maio a. 1077 (3) urbem Neapolitanam terra marique arcta obsidione circumdedit, agris et villis extra urbem vastatis atque direptis. „ Neapolitani autem principis terrore perculsi omnipotentem deum rogabant attentius, quatenus de supradicti principis potestate, miseratione sua clementissima, eos eripere dignaretur. Cumque eadem civitas acerrime expugnaretur, sanctus Christi Martyr Ianuarius cum aliis dealbatis saepius videbantur a Principe et eius exercitu per castra armati discurrere. Qui aestimans eum esse Archiepiscopum, mandat, cur, contra ordinem suum cum lancea scutatus ad pugnam procederet, cui respondens Archiepiscopus. Ego, ut tu, vir illustrissime, perspicis, a multis diebus aegrotus in lectulo iaceo. Ille armatus quis sit ipse videat, nam pro certo scias, quia sanctus Ianuarius protegit, ac defendit hanc civitatem. Princeps vero eius dictis derogans fidem, civitatem oppugnare non desinebat. „ (*Chron. Casin.* L. III, c. 45).

Interim Neapolitani totis viribus obsistere, quosque ex Northmannis fortissimos viros ad pugnam et ad singulare certamen provocare, detrectantes incessere, illos ubi praelium acceptavissent, congredientes saepe, aut sternere, aut occidere. Aliquando portis subito obseratis et

(1) DESIDERII Abbatis, *Dialogi*, L. I, c. 1. — *Chron. monast. Casin.* L. II, c. 61. — Narratio ipsa in *Chron.* quae Petri Diaconi continuatione caret, non legitur. — Cf. ANG. DE NUCE in not. Est igitur eiusdem Petri interpolatio.

(2) *Chron. monast. Casin.* L. III, c. 30.

(3) *Chron. Anon. Casin* et *Chron. Cav.*; ROM.SALERN. ad a.

eruptione facta castellum ligneum, quod princeps ad impugnandam urbem construi fecerat, incendunt, aliud novum, eadem de causa inceptum, destruunt, et milites ad defensionem positos vel fugant, vel trucidant. Alias navibus e portu, intempesta nocte, eductis inimicam classem aggrediuntur, et galeas duas cum classiariis 200 capiunt, atque in captivitatem abducunt. Richardus vero ira et pudore percitus suos enixe hortabatur, praemiis urgebat, et, ut obsessorum audaciam comprimerent, acriter instabat.

In his Robertus dux, Salerno, quam a pluribus mensibus obsidebat, expugnata, in auxilium principis venit, et usque ad mensem decembris in obsidione Neapolis permansit. Beneventum dein profectus (m. decembri 1077) multam militum et navium copiam principi reliquit. Nihilominus Neapolitani constanti animo in defensione per alios tres menses persistebant, donec iam poene ad extremum discrimen adducti ex insperato salvi evaserunt. Nam, tertio nonas aprilis Richardo principe e vita cedente, Neapolis ab obsidione liberata est, et pax inde cum Iordano I, Richardi filio, quodam praescripto tributo (1), uti coniici licet, firmata (2).

Sergius haud multo post, ut ex his, quae infra exponam, argui potest, mortem obiit.

Impp. Alexio (1081-1092) et Iohanne porphyrogenito (1092-1107)

Sergius (VI.) dux Neapolis.

Si recte sese habet documentum a Falconio ex Tutinii manuscriptis prolatum (3), de quo nil habeo unde dubitem, Sergius iste, Iohannis Senatoris filius, iam anno 1085 in ducatu successerat et Iohannem filium imperii consortem adsciverat. Forte in exemplo Tutinii exscriptor verba, quibus Iohannes infra aetatem dicebatur, omittere debuit, nam in alio diplomate anno 1097 dato adhuc in minori aetate constitutus dicitur (4).

Sergius uxorem habuit Limpiasam, Richardi principis Capuani filiam, ut ex doc. anni 1120 (5) discimus. Ipse novo titulo Protosebastes insignitus fuit, quem postea etiam successor eiusdem obtinuit. Memoratur in chartis anno 1093, 1094 et 1100 (6) confectis, sed nihil de eo in chronographis aut aliis illius aevi scriptis traditum invenio.

(1) In quibusdam posterioris aevi monumentis tributum *Lormagnaticum* seu *fidantia* appellatum invenio, quod verisimiliter ab hoc tempore, certe a Northmannis, originem habuisse suspicor. Sed de eo fusius alibi.

(2) Haec omnia ab Amato, qui proprie eodem ipso tempore scripsit et Richardo semper favet, tradita sunt. Verba eius in antiqua versione gallica nobis servata heic repetere iuvat: " *Et quant lo duc Richart vit que la brigue de son anemi estoit venue à fin, cercha adiutoire à lo duc pour venir sur Naple. Et adont lo duc comanda à cil de Amalfe, et à li Calabrèz que li aillent o tout lor nefs et obéissent à lo prince plus que à lui. Et li prince comanda que soient fait chasteaux fors de li mur de la cité, et les fist enforcier, et fist porter laingue, et de li labor de ceuz de la cité rampli ses greingniers. Li navie estoit en mer et cerchoit de faire offense à la cité. Et cil de la cité de Naple garnissent la cité et veillant gardent les torres. Et à ce que Dieu lor deust aydier, quant à home tant à fame, vont par les églizes et sont en orations et jéjunoient. Et aucune foiz li bon chevalier issoient fors et clamoient li Normant à combatre, et aucune foiz tornoient o victoire. Et aucune foiz aloient contre ceaux qui estoient à lo navie, et prenoient li marinier en dormants; une foiz pristrent ij. c., et ij. galèes entrèrent en lo port, dont n' avoient paor en la cité quar issoient defors à combatre et assaillirent cil de Naple lo castel de lo prince, et en pristrent ce qu' il porent et puiz ardirent lo remanant. Et lo prince cerchoit de faire un autre chastel en un lieu plus estroit à ce que constrainsist li citadin de issir de la cité, à réprimer lor ferocité. Et une multitude de chevaliers et de pédons se levèrent, et constreinstrent li gardien à fuir et destruxirent lo castel. Et lo prince pour vergoigne avoit grant dolor, dont clama ses chevaliers, que se lor chevaux moroient de rendre meillor; et pour ceste promesse pristrent cuer li Normant, et sécutèrent li citadin et les occistrent, et pour que li chevalier non timoient furent plusor mort. — Et en cellui temps. . . . . . lo duc manda plus de nefs por restraindre lo port de Naple, et o li exercit de li chevalier ferma le chastel et lo fist garder, liquel avoient rout li Néapolitain. Et puis XXX. jors, avec lo conseill et avec la licence de lo prince, laissant les nefs à lo port et li chevalier en garde de lo chastel, lo duc ala asségier Bonivent, (decembre 1077.)* " AIMÉ, *Op. cit.* L. VIII, c. 24 et 31.

(3) FALCONE, *Ist. della vita di S. Gennaro*, p. 49. V. infra.

(4) CHIOCCARELLI, *Op. c.* p. 47. V. infra.

(5) R. N. A. M. VI, 58. — V. infra.

(6) V. infra *Regest. Neapol.* nn. 573, 584 et 595.

Impp. Alexio (1107-1118), et Iohanne porphyr. atque Alexio (1118-1123).

Iohannes (VI.) dux Neapolis.

Anno 1107 Iohannes, Sergii filius, iam Consul et dux, magister militum et imperialis protosebastes ex documentis habetur (1). Uxorem habuit Evam sive Annam (2) filiam Goffridi, sive Iosfridi, aut Losfridi Ridelli, qui fuit Consul et dux Caietae ab anno 1068 ad annum 1086. (3)

Huius temporibus A. scil. 1113, ut ex *Chronic. Cavensi* elicio, Saraceni ab Africa venientes Lucaniam depopulantur, Salernum applicuerunt; sed auctore Deo Salernitani, Amalphitani et Neapolitani coeperunt eos, et interfecerunt in mari.

De eo notitiam invenio in doc. a. 1113, 1115, 1116 et 1120. (4)

Quando obierit incertum est.

Impp. Iohanne porphyr. et Alexio (1122-1139).

Sergius (VII.) dux Neapolis

Primam huius ducis, qui Iohannis VI. et Evae sive Annae filius fuit, mentionem invenio in doc. anni 1123. Item memoratur in doc. 1127 et 1138. (5) Quaedam vero ab eo data diplomata extant vel integra in originalibus membranis, vel summata in *Catastis* monasteriorum nostrae civitatis, quae infra lector habebit. Praecipue vero ex eis notandum est *Pactum* foederis cum Cajetanis habitum m. aprili a. 1129, quod in archivo Casinensi adservatur.

Ipse Neapolitanae reipublicae postremus dux fuit. Eius vero praeclara facinora, singularemque virtutem atque constantiam, quibus patriam suam a praepotentibus Rogerii viribus ac fortuna vindicare conatus est, chronographi illius aevi memoriae hominum prodidere. Testimonia eorumdem heic recolligere et exponere operae pretium erit.

Mortuo enim a. 1127 absque liberis Willielmo, Rogerii filio, Roberti Guiscardi nepote, ac Apuliae duce, Rogerius comes Siciliae, Rogerii primi et magni comitis filius, ipsam Apuliam sibi iure haereditario acquirere aggressus est. Adversus eum Rainulfus comes, ipsius Rogerii sororius, et Robertus Iordani II. filius, Capuae princeps, cum plurimis aliis magnatibus Apulis, favente primum Honorio II. PP., insurrexerunt. At Rogerius, re prospere contra eos gesta, totum poene ducatum occupavit, et deinde facta cum Honorio concordia, eiusdem etiam concessionem a pontifice obtinuit. " Cum autem per omnia laetis potitus successibus . . . . . ducatum (*Apuliae*) in integrum obtinere videretur, nec non Capuanorum princeps Magisterque militum Neapolitanus omnisque terra, quae erat usque pene fines Anconitanae urbis . . . . . . sibi subderentur. » (TELESIN. II, 1) regiam dignitatem ambiens, Baronum et populi consilio, apud Panormum in die nativitatis Domini a. 1130, se in regem Siciliae ab Anacleti, qui post mortem Honorii II. (febr. 1129) romanam cathedram usurpaverat, legato inungi, et coronari fecit (6). Exin atrox iterum in Apulia et Campania bellum exarsit. Et primo varia fortuna pugnatum est. Rogerius (a. 1131) Amalfim et omnia Amalfitanorum oppida in infero mari cepit. (7), unde " Sergius, magister militum civitatis Neapolis non quidem belli rigore sed solum ipsius timore conterritus . . . . ivit ad illum eiusque subiicitur dominatui (8), (quae videlicet civitas, mirabile dictu! post Romanum

(1) Ex charta in archivo monasterii Cavensis. V. infra *Regest. Neap.* 609.

(2) Doc. anni 1132 ap. ENGENIO, *Napoli sacra*, p. 41. V. infra.

(3) Cf. FEDERICI, *Degl' Ipati di Gaeta*, p. 414 et ss.

(4) V. infra *Regest. Neap.* nn. 625, 631, 633 et 642.

(5) V. *Regest. Neapol.* nn. 644, 650 et 694.

(6) TELES. L. II, cc. 2-6; FALCO BENEV. p. 223. ROM. SALERN. ad a.

(7) *Chron. Cav.* ad a. 1130; *Chron Anon. Casin.* ad a. 1130 et 1131.

(8) In bulla Anacleti, pseudo-Pontificis, qua " Rogerio, duci Apuliae, coronam tribuens et per privilegium Capuanum principatum, et ducatum Neapolitanum cum Apulia, Calabria et Sicilia illi confirmans regemque constituens ad suam partem attraxit. „ (*Chron. monast. Casin.* L. IV, c. 97) dicitur *donamus... honorem quoque Neapolis eiusque portinentiarum. Bullam* cuius principium deest, refert BARON. *Ann. Eccl.* ad a. 1130.

imperium vix umquam a quoquam ferro subdita fuit, nunc vero Rogerio, solo verbo praemisso, submittitur). „ (TELESIN. II, 12).

Post haec a. 1132 Barium in supero mari expugnat, ac, indictis Rainulfo et Roberto inimicitiis, Nuceriam eiusdem Roberti ingentissimum oppidum obsidet, sed commissa cum ipsis pugna apud Scaphatum, maxima utrorumque exercituum caede devictus est (1). Tunc forsitan Sergius dux ab eius fide defecit. Rogerius vero, reparatis paulo post viribus, iterum vere sequenti (a. 1133) in Apuliam profectus novum de integro bellum instaurat, barones rebelles, aut capit, aut occidit, eorum oppida et terras occupat, omnia strage et incendiis complet. Deinde bellum in principatum Capuannm infert, Nucerias rursus obsidet et capit, alia oppida vastat et incendit, alia ei se dedunt. Ut autem contra eum vires resumere possent, Rainulphus Neapolim primo, et dein Beneventum petit, Robertus princeps Pisas se confert, Innocentius PP. vero, qui Honorio II. m. febr. a. 1129 successerat, Lotharium imperatorem in Italiam advocat (2). Quae in his a Sergio duce et a Neapolitanis gesta sunt, ex Falcone Beneventano et ex Telesino, quos praecipue transcribo, habentur.

Anno 1134, scribit Falco, " princeps Robertus cum duobus consulibus Pisanorum, Alzopardo videlicet et Cane, viris sapientibus, et cum aliis fere mille Pisanis ad principatum suum Capuanum revertitur IV. kalend. martii. Qui diligenter a Magistro militum Neapolis, et Rainulpho Comite susceptus, omnia, quae cum Pisanis et Ianuensibus firmaverat, coram papa Innocentio praedicto patefacit, et qualiter tria millia librarum argenti Pisanis in auxilium suum venientibus, sacramento mediante, dare deberet. Praedictus autem Magister militum, et Comes Rainulphus haec audientes, gaudio magno gavisi sunt, factisque omnibus a principe recitatis fidem attribuerunt. Nec mora, per ecclesias Neapolitanae civitatis, et Capuanae discursum est, et pecuniam illam argenti cursu celeri congregavere. Quid plura? thesaurum ipsum argenti ad Pisanos transmiserunt, rogantes, ut cum festinatione ad eorum auxilium subvenirent . . . . . . Quibus ita peractis, rex Rogerius memoratus, navigiis galearum fere sexaginta paratis Salernum pervenit. Continuo galeas illas ad civitatem Neapolis debellandam mandavit, et eis applicantibus usque ad portum Neapolis, expugnatum est. Cives neapolitani, armis acceptis, viriliter galeas illas depulerunt, deinde castella neapolitanorum ibi contigua depraedati sunt, sicque ad Regem remeaverunt.... „ (FALCO. BEN. p. 265); qui, congregato exercitu, plerisque Roberti principis castris comprehensis, Capuam in deditionem accepit, unde praedictus princeps dolore commotus Neapolim properans Pisas iterum transfretavit. Interea, ut Telesinus subjungit. „ Sergius, magister militem, secundum quod a rege exigebatur, eius tunc super se dominatum suscipere atque servire abnuebat „ (TELES. L. II, c. 64). Rex vero e Capua „ foras ad expeditionem egressus Sergium Magistrum militum praestolabatur, quatenus cito veniens sibi subderetur, alioquin sciret, se sine dubio obsidione constringendum. Verum ille veritus, ne rex ab eo contemptus super se irrueret, civitatemque eius aggrederetur, deposita mentis cervice, venit ad eum, qui genibus flexis, manusque suas manibus suis immittens, suum ei hominium subdidit, fidelitatemque iuravit. „ (3) (TELESIN. II, 67). Quibus peractis Rogerius Siciliam profectus est.

Anno insequenti 1135 (cum rumor ubique diffunderetur regem apud Panormum defunctum fuisse) Rainulphus comes, Robertus princeps et Sergius dux, animis receptis, iterum contra regem conspiraverunt, pacto inter eos proposito, " ut et princeps et comes sua ablata ad integrum sibi restituerent, et magister militum Neapolim, et cetera, quae iure sibi suppetebant, securiter possideret „. (TELES. L. III, c. 5). " Princeps ipse VII die stante mensis aprilis cum viginti navigiis Nea-

(1) TELES. L. II, cc. 19-20, 30-31; *Chron. Anon. Casin.* et *Chron. Cav.* ad a. 1132; ROM. SALERN. in M. G. H. XIX, 421.

(2) TELES. L. II, cc. 37-53; *Chron. Anon. Casin.* ad a. 1133; *Chron. Cav.* ad a. 1132; ROM. SALERN. l. c.

(3) TELESINUS heic iterum de Neapoli, quae supra transcripsi, repetit; scil.: *Res inquam valde stupenda, nam, uti iam in secundo expressum est libro, Neapolis, quae post romanum imperium vix unquam ferro potuit subdi, nunc quoque verbo tantum visa est constringi.*— Haec, uti ex ipso TELES. eruitur, circa finem m. aug. evenerunt. Cf. DI MEO, X, 30.

polim venit, et comprehendit Aversam et Cuculum, quibus comprehensis, Neapolim princeps ipse revertitur, et ibi immoratus est cum Pisanis ipsis. Eodem anno praefatus Comes Rainulphus venit Neapolim cum quadringentis militibus, et civitates suas, et oppida dimisit. His ita peractis, praefatus Rex medio mense iunio venit Salernum, et exercitum congregavit, et super Aversam perrexit, et eam igne, ferroque est depopulatus, et bona eorum diripuit. Cumque rex ipse stragem illam fecisset, super Neapolim venit, et diebus novem obsedit, sed populus civitatis, et princeps nihil ex hoc trepidabant. Rex autem civitatem illam capere non posse aspiciens, eam dimisit, et Aversam perrexit. „ (FALCO BENEV. p. 269-270). „ Aversani autem formidantes coeperunt omnes, quicumque citius poterant, fugam arripere, atque Neapolim ad se ibi tuendum properare. Comes autem cernens se ita fugiendo ab omnibus prae timore derelinqui. . . . vix tandem cum paucissimis fuga . . . . . elapsus est, atque Neapolitanis moenibus, quibus tunc princeps, magisterque militum adhaeserant, se nimis confusus recipit. » Cum ergo rex super Aversam irruens Comitem fuga evasisse comperisset. . . . . . eam. . . . . delere decrevit. . . . . et postmodum suburbana ipsius concremari iussit (1). Deinde appropinquans Neapolim, inter oppidum, quod dicitur Cuculum (2), Patriaeque lacum castra defixit, ibique tamdiu moratur, quousque et cuncta suburbana Neapolis in partibus illis ignis incendium consumeret, segetesque universae a frumentatoribus depopularentur. At princeps Robertus, comesque Ranulphus, Sergiusque magister militum ita prae formidine ipsius intra urbem intruduntur, ut nec de porta bellaturi exire auderent. Cumque omnia ibi consumpta fuissent, iterum rex Aversam destructum repetit, qui etiam illic diligentius iubet, ut si quid inter Aversam, Neapolimque quod comburendum esset, incombustum remansisset, omnino combureretur, ubi quippe moram tamdiu facit, donec et rebus agrariis, quae superfuerant universis consumptis, solum telluris omnino vacuum dimitteretur. „ (TELES. L. III, cc. 11, 12, 13).

Ex Aversa rex super S. Agatham, et Caiaciam urbes, irruit, et eas subdit (3). " Post haec, coacto in unum exercitu, quem secus fluenta Volturni reliquerat, Neapolim, qua hostes eius contra se suscepti rebellabant, obsessurus properat. Erat autem civitas ipsa (4) antiquis-

(1) *Chron. Anon. Casin.* ad a. 1135; *Chron. Fossaenovae* ad a. 1135; *Chron. Cav.* ad a.

(2) Verisimiliter idem ac Panecoculum, pagus in agro neapolitano ad septentrionem positus, nunc *Villaricca*. De Panecoculo enim plura illius aevi documenta mentionem faciunt. V. infra.

(3) TELES. L. III, c. 15-16.

(4) Ad urbis Neapolis descriptionem ex Telesino supra relatam addo heic aliam e *Vita S. Athanasii* excerptam, ubi, quae et qualis ipsa ducum temporibus fuerit, et quid de eius origine ac statu homines illius aevi senserint, amplius eruitur. Textum, jam a Mazochio editum, cum codd. Neapp. (V. supra p. 84) confero; qui ita se se habet:

" Italiam partem esse Europae nobilissimam ac ditissimam, iuxta trifariam Orbis terrarum dimensionem nemo qui, vel ex parte Cosmographiam noverit, ignorat. Que quidem in duabus insulis et sexdecim dividitur provinciis, quarum septima nuncupatur Campania, frugum omniumque pomorum valde fecunda; que sicuti ferax est, diversa proferendo fructuum germina, ita coelibes et Deo dignos viros saepe produxit et educavit: inter quos Athanasius, quasi novum sidus, non mediocriter emicuit. Haec igitur Campania habet civitates decentissimas et valde opimas; ex quibus una est Neapolis, que quo tempore vel a quo sit condita structore, a priscis et modernis historiographis reticetur, hinc coniici valet, universarum eam antiquissimam esse Italicarum urbium. Quod eo magis mirandum est, ita prepotens amena est, in structurae scilicet munitionibus, situque suburbano, et Christicolarum interius degentium religione, ut in Hesperia post Romanam Urbem nulli reperiatur esse inferior. Que nimirum quantum sit egregia, Virgilius Maro, mantuanus, in distinctis versiculis sui epytaphii, quod sibi ipse moriens dictaverat, manifestat. Cum eam Parthenopem, hoc est virginem, a quadam puella innuba, olim inibi degente, appellaverit. Hanc denique Octavianus Augustus Neapolim iussit vocari, idest novem civitatum dominatrix et velut nonnulli asserunt *novam civitatem*, quod quam sit absurdum, scrupulum movet. Cuius enim ex vetustate nescitur initium nova cur dici valeat, non facile animadvertitur; praesertim cum ab illo non sit, ut putatur, condita. Huius namque amplitudini ac decori Belisarius, patricius, ex praecepto Iustiniani imperatoris septem mirificas turres addidit, quas Augustales et ob numerum achive tetragonas hexagonasque fecit. Narsis denuo Patricius et augustorum cubicularius, postquam Italiam, Wandalis (et Gothis *Cod. Corsin.*) interemptis; eorum ab efferitate exuit, maximam in ea partem auxit, ita ut ex una parte maris illam uniret (muniret *Cod. Corsin.*) con-

sima, quam Aeneas, cum illuc navigio transvectus applicuisset, primus fertur condidisse, cuius quoque magnitudo praegrandis erat, quae a parte meridiana non solum murorum altitudine, verum etiam Tyrrheno mari munitur. A caeteris vero partibus excelsis moenibus roboratur. Quam ob rem adeo ipsa inexpugnabilis constat, ut nisi famis periculo coortata nullatenus comprehendi queat. Nempe huiusmodi urbis dominus, olim Octaviano Augusto annuente, Virgilius maximus poetarum (1) extitit, in qua etiam ipse volumen secum ingens hexametris composuit versibus. „ (TELES. L. III, c. 19).

" Igitur, cum rex Rogerius a parte Orientis urbe hac obsessa, eiusdem captionem diu differendam praevidisset, accidit in cor eius, ut innumeris accitis fossoribus castrum ingens aggeris circumductione munitissimum super eam firmaret, quatenus ibi incessanter militaribus excubiis sufficienter expositis, ipso quoque absente, Neapolis vicinius indesinenter ab ipsis constringeretur. Cum ergo posita super Neapolim obsidione agger, pro extruendo castro ipso, terram effodiendo surrigeretur, caepit agger idem, eo quod ex coemento arido terra egesta labilis esset, huc, illucque submergi, propter quod opus ipsum in vacuum assumptum fuisse videbatur, nec poterat castrum ipsum inceptum, dum agger sic submergeretur, ad effectum pertingere. Quo viso, Proceres ad regem mox venientes submissis, vocibus conqueruntur. Incassum, inquiunt, ad construendum castrum labor iste assumptus est, quoniam quotidie terram effodiendo, agger circumducitur, qui tamen ad expletionem eiusdem castri non proficit, quoniam quod pro aggeris erectione fodiendo egeritur, dilabi pro sui instabilitate non cessat, quapropter dimisso hoc opere, aliud inveniatur consilium, quo ad arguendam rebellis urbis superbiam congruentior praestetur facultas. Item est et aliud omnino lugendum, quoniam sunt nonnulli ex hac expeditione, qui in loco isto dierum aestum canicularium non ferentes, incipiunt iam infirmari, alii vero intolerabili equorum, qui prae multa aquae inopia siti moriuntur, cadaverum foetore tabescere. Sed etiam tellus ipsa, qua consistimus, eo quod coementum siccum sit, impurum a se prodeuntem calorem (sic). Horum quippe malorum vitia valde veremur, ne forte in tantum procedant, ut totus ab eis exercitus infirmatus,

ticuo ob navium receptaculum, et tam firmissimo munivi aedificio, ut etiam onustae mercimoniis trieres a superemientibus validissime tueantur. Sed cur immoramur in exterioribus edificiis, que utique melius a conspicientibus cernuntur, quam eloquentia cuiuslibet valeat sophistae fari? Quandoquidem ita interius frequentissimis ecclesiis ac preclaris antiqua videlicet et vetustissima structura editis, nec non et monasteriis virorum, puellarumque farsa retinetur, ut horum continuis precibus, nocturnis diuturnisque (*pro* diurnisq.) adiuta, invictrix consistat, et tuta. Nam et introrsus binas prasulum gestat sedes ad instar duorum testamentorum, quamquam una sit quae eam gubernat et regit reliquam ut capite reguntur artus diversi.

Reperiuntur plane in ea templa prisco constructa edificio; quoniam non solum a Constantino, piissimo principe, Augustorum christianissimo, sed plures ante annos Christiana inibi religio floruit. Siquidem beatissimus Petrus apostolorum princeps, Aspren sanctissimum primum ibi ordinavit episcopum. Nam et beati illo Agrippini ecclesia hactenus demonstratur, qui quintus a supradicto Aspren episcopus ordinatus est, quique et patronus etiam defensor est istius Civitatis. Beatissimum quoque Ianuarium, Christi martyrem, postea Neapolites meruerunt habere tutorem, quibus annitentibus, faventibusque praefata urbs, Domino favente, tuta permansit manebitque in aevum; quoniam quasi duas firmissimas bases, duoque candelabra splendentia gloriatur se habere supradictos Patres eadem Civitas duabus fulta alis, id est duorum Sanctorum fisa precibus. In qua laici simul cum clericis assidue graece, latineque, communi prece psallunt Deo, debitumque persolvunt iugiter officium. Quo etiam indigenae et inquilini non circumeundo domos in peregrinorum habitu stipem publice expetunt, sed loco, quo eommorantur, omnia necessaria, quae desiderant, animo habundantissime percipiunt; et iuxta praeceptum Dominicum praedictae Urbis accolae potius Lazarum (*al.* Lazaros), quaeritant exhibentque largius, quibus indigent, quam inopes affluentum inquirant opes.

Idcirco a multis crebro expugnata gentibus, et prius a Wandalis, postremo a Langobardis indesinenter oppressa, per annos ferme ducentos inviolata persistit et invicta ab omnium hostium concussione. Quoniam Civitas haec, Civitas misericordiae et pietatis est, hinc inde omni vallata bonitate; quae quidem meruit tot talesque patronos habere Dominum in exorando, merito huiuscemodi debuit protectione tutari, ut et bonis exuberet opibus et a cunctis exsistat adversariis illaesa. „

(1) De Virgilio in neapolitanis medii aevi traditionibus docte disseruit cl. vir COMPARETTI in t. II operis: *Virgilio nel medio evo.*

penitus, quod absit labefactetur. Unde hinc, si tuae non displicet pietati, cito removendi sumus, ut non morientes, cum salute etiam nostra Neapolim non solum diebus aestivis, verum etiam in hieme, si necesse fuerit, coercere possimus. Quibus rex auditis, mox eorum misertus, iussit obsidionem removeri, cogitans qualiter alio modo, absque suorum discrimine hostibus suis resistendum esset, quamobrem magnam eiusdem expeditionis partem dispertiens per singula oppida, quae Neapoli viciniora erant, instituit, uti eam, ipso quoque discedente, instanter comprimerent, suique rebelles, si quando forte usquam armati progrederentur, vicinius ab ipsis possent restringi. „ Quibus ita dispositis perrexit Cuculum, quod dum ipse a Sicilia moram redeundi faceret a Pisanis, quos secum Princeps duxerat, incassum, eo quod neapolitanis iubente ipso adversaretur, ex parte etiam fuerat subversum. Quod videlicet oppidum quoniam Neapoli propinquissimum existebat ad artandum eam quantocyus reaedificans melius etiam, quam antea fuerat, opere firmari praecepit, deinde praevidens magis Aversae restitutione rebellis Neapolis posse restringi superbiam, perrexit illuc, atque eodem, quo prius fuerat, iussit restaurari situ, atque ad eam inhabitandum, cunctos, qui prius illam inhabitaverant, redire permisit. „ (TELESIN. L. III, cc. 19, 20, 21.)

" Interim autem dum rege ipso cum suo exercitu praesente, eiusdem civitatis instanter reparatio fieret, Princeps et Comes Magisterque militum Sergius intra moenium Neapolis septa conclusi nesciebant quid agerent, videntes se omnes iam in proximo forte superandos, nî forte undecumque adveniens succursus citius adesset. Nam et victus inopia indesinenter angebantur, nilque, quo ad vitam cum suis sustentarentur, de foris per terram advectum, ad eos intrare minime poterat. Militum vero, qui ad stipendia ipsorum militare videbantur, alii verentes plurimum regiam captionem, urbem quandocumque poterant, latenter exeuntes abscedebant, alii autem possessiones proprias nolentes amittere, ad eas resumendum, qui tamen regis licentiam accipere possent, revertebantur. Cum ergo praedicti principes civitatis conclusione ita coercerentur, hoc tandem ab eorum solertia providetur consilium, ut ocyus Pisam dirigentes civium aures missis precibus pulsarent, quatenus eorum miserentes, ingentem per mare venientium belligerorum copiam transmitterent, eisque celerrimum in extremo iam positis opitulationis succursum impenderent. Cum ergo immensa acies ab eis directa cum ratibus aequora sulcando Neapolim tendissent istiusmodi praefirmantur consilio, ut urbem Amalfiam inchoante aurorae ortu subito aggredientes, aut praedarentur, aut Regi, si fortuna sinistra non eis impedimentum ferret, eriperent . . . . „ Venientes itaque ipsi Pisani subito inchoante aurorae luce invaserunt urbem nulloque resistente eam funditus impieque depopulantur. . . . . „ At Rogerius . . . . . cognito hoc . . . . castra movit. Amalfiam excussurus, super Pisanos irruit, multos caede prosternit, alios capit, vel fugat. (TELES. L. III, cc. 22, 23 — Cf. *Ann. Pisan.* in M. G. H. t. XIX, p. 240).

" Rex autem, Pisanorum exercitum reverti comprehendens iterum Neapolim obsedit, cumque die quodam in festivitate Nativitatis Sanctae Mariae, Rex ipse navale bellum cum Neapolitanis incipere vellet, en subito tempestas affuit, et omnes naves illas divisit; ita quod in profundum mergi putarent; et sic ad portum Puteolanum revertuntur. Tunc rex videns neque mari, neque terra, contra civitatem agere navigia illa reverti praecepit, et ipse Salernum repedavit, deinde Siciliam ingressus est. „ (FALCO BENEV. p. 270).

" Post discessum Regis in Siciliam, secundum vices . . . . quae ab eo constitutae fuerant . . . . Comes Adam ad regendum Aversam, militiam primus ingreditur, qui dum se in eadem viriliter optimeque ageret, magnam de se in militari strenuitate famam tunc divulgavit. Nam saepissima discursione eiusdem urbis exteriora ita circumquaque militando coercuit, ut non iam ad portam eius usque vereretur accedere, verum civitas ipsa tanta panis inopia iam angebatur, ut vix duo valde pusilli panes de milio Rothomagensi nummo mercarentur. Porro milites, quibus Adam ipse praeerat, circiter mille erant ex quibus ad arcendum Neapolim, alii in oppido, quod dicitur Suma, alii Acerris, nonnulli in munitione . . . . . Cuculi, quamplures Aversae excubare iubentur. Neapoli vero tam prae timore regis, quam pro cibi penuria, militum post non pauco numero absce-

dente, vix trecenti remanserant, qui interdiu etsi pro paucitate sui aperte resistere non poterant, per noctis tamen silentium exeuntes ignorantibus illis incendia praedasque agebant. Cum ergo huiusmodi infestationibus et illi praeliando alternarentur, Comes Adam appropinquante vicis suae termino, ad sua repedavit, cui successit Comes Rubertus filius Ricardi. . . . qui. . . . ita omni militaris virtutis et strenuitatis instantia neapolitanos constringebant fines, ut nunquam per eos ad malum inferendum hostibus exire daretur nisi forte in nocte, cum videri non possunt. Sergius vero Magister militum, ex quo rex in Siciliam discessit, Pisam navigio transvectus abiit, si forte inde sibi caeterisque suis excusionis opem collaturus esset, cum rex ipse Neapolim obsessurus rediret. (TELES. L. IV, c. 1-5.) Qui a Pisanis diligenter susceptus est, et promiserunt libentissime ei auxilium inferre, sed quorumdam inimicorum consilio, auxilium illud promissum destructum est. Unde magister ipse militum vehementer turbatus, Neapolim revertitur et civitatem suam viriliter tenuit. „ (FALCO BENEV. l. c.).

Anno sequenti 1136 " praefatus Imperator Apostolico Innocentio mandavit, ut eum praestolaretur, quia, Domino favente, sicut promiserat in festivitate S. Iacobi venire despondebat. Pontifex autem spirituali gaudio gavisus Magistro militum destinavit omnia, quae imperator ei mandaverat, deinde princeps ipse audiens civitatem Neapolim famis periculo urgeri cum quinque navigiis ad eamdem civitatem venit et cursu celeri Pisas revertitur. Continuo ad imperatorem festinans, invenit eum montes descendisse, et super civitatem Cremonam castra sua posuisse. Illico pedibus eius advolvitur, lachrymis rogans ut sibi exhaeredato subveniret. Interea ad tantam famis asperitatem civitas pervenit Neapolis, quod infantes multi, pueri, adolescentes, iuvenes, senes etiam utriusque sexus per civitatis plateas et domos spiritum exhalabant. Sed Magister militum, et eius fideles, qui libertati invigilabant civitatis, quippe antiquorum suorum sequebantur honestatem, mori prius famis morte malebant, quam sub nefandi Regis potestate colla submittere. Haec inter praefatus Imperator literas suas signatas propriis Legatis suis Magistro militum, et civibus suis destinavit consolationis verba describens, ut fidelitatis propositum teneant, quia favente Domino in proximo ad eius liberationem festinaret. . . . . Item in subsequentibus diebus alias transmisit Imperator literas continentes se in proximo venturum in Apuliam, et Italiam a tanta perditione redempturum. Archiepiscopus praeterea Marinus civitatis Neapolitanae, et Philippus de Acerra, civis Neapolitanus, vir prudentis ingenii, et Rainulphus Comes, qui obviam Imperatori dudum exierant, similiter literas suas consolationis Magistro militum delegarunt. Literis itaque talibus acceptis et tali suspensi Neapolitani promissione licet fame coacti, Imperatoris tamen illius expectabant adventum. „ (FALCO BENEV. p. 271-272).

Anno sequenti 1137 " imperator Lotharius, tum Papae suggestione et admonitione continua, tum exulum Apuliae precibus et miseratione commotus, cum magno exercitu Italiam intravit, et per partes Anconae simul cum Papa Innocentio in Apuliam venit. Robertum vero Capuanorum principem cum comite Raydulfo, et aliis exulibus, cum quadam parte sui exercitus Terram Laboris intrari iussit. Galeas etiam Pisanorum in eorum auxilio venire praecepit. Imperator autem Lotharius totam Apuliam, resistente nemine, occupavit. Rex vero Rogerius cognoscens quod Imperatori resistere non valeret, eo quod Barones eius, et civitates pro maiori parte ab ipso recesserant civitates et castra sua fortia praemunivit. Ipse vero cum exercitu suo una diaeta aut ad multum duabus post imperatorem veniens civitates et castella, quae Imperator ceperat, expugnabat, et. . . . principes eius promissionibus et muneribus ad suum amorem et gratiam attrahebat. Capuanus vero princeps cum Comite Raydulfo Terram Laboris ingressus eam et ducatum Amalphiae potenter obtinuit et cum magno exercitu militum et galeis Pisanorum Salernum veniens eam obsedit. (ROM. SALERN. in M. G. H. t. XIX, p. 421). Sergius magister militum Neapolitanorum cum ipsis etiam erat. . . . " Cumque civitas Salerni fere unius mensis spatio esset obsessa, et ab eis non posset modo aliquo expugnari, novissime Imperator ab Apulia vocatus cum Apostolico et suo exercitu super eam venit. (ROM. SALERN. *Ibid.* p. 422) " Tunc sapientes civitatis ad ipsum Imperatorem venere

et pactis intervenientibus civitatem ipsam suo imperio submiserunt . . . . . His ita peractis praefatus imperator et apostolicus castra inde amoventes Abellinum venerunt, deinde Beneventum et iuxta fluvium Caloris . . . . castrametati sunt II. die stante mensis Augusti. (FALCO BENEV. p. 279). Ibi pontifex et imperator Comitem Raynulfum de ducatu Apuliae investiverunt. . . . . „ Quo facto Imperator in Alemaniam rediit, Innocentius vero Romam intravit et . . . . Anacletus non multo post diem clausit extremum. Rex autem Rogerius audiens Apostolicum et Imperatorem recessisse, receptis etiam suis quadringentis militibus, qui a Salerno venerant, fortior effectus, festinus Salernum venit et a Salernitanis civibus cum summa est devotione susceptus. Nec mora: Nuceriam obsedit, expugnavit et destruxit; totam Terram Laboris potenter obtinuit: Capuam in ore gladii cepit et concremavit. Tunc cum Sergio Magistro militum Neapolitanorum concordatus est (1), et eum secum in expeditionem duxit. Dehinc acies suas versus Apuliam dirigens, totam terram Beneventanam et Capitanatam recuperavit. Quo audito, Comes Raydulfus, qui se ducem vocari faciebat, congregato exercitu militum, cum infinita multitudine maritimarum civitatum, apud Ranianum ei potenter occurrit. Quumque de pace inter eos componenda, mediante Bernardo Clarevallensi Abbate, diutius esset tractatum, nec potuisset peccatis exigentibus, consummari, bellum inter eos validum est exortum . . . . . Rex . . . . . lacessentibus militibus in fugam conversus est, et tunc multa millia hominum capta sunt et occisa. Sergius quoque Magister militum Neapolitanorum gladio perculsus occubuit (2). „ (ROM. SALERN. in M. G. H. t. XIX, p. 422 et 423. Cf. FALCO BENEV. p. 284; *Chron Cav.* ad a. 1137). " Secundo vero die stante (scil. 29) mensis octobris bellum hoc actum est. „ (FALCO BENEV. l. c.)

Post mortem Sergii ducatus Neapolitanus Rogerii dominio adversari non cessavit; quousque mortuo Raynulfo duce Apuliae (30 m. aprilis 1139), et capto ab regis militibus apud Gallucium PP. Innocentio (22 m. iulii 1139), qui postea pace facta eidem Rogerio totam terram concessit (25 mensis iulii), „ cives Neapolitani venerunt Beneventum, ubi Pontifex, et Rex se contulerant, et civitatem Neapolim ad fidelitatem domini regis tradentes ducem filium eius (3) duxerunt, et eius fidelitati colla submittunt. „ (FALCO BENEV. p. 302).

Hic Neapolitanae reipublicae sub ducibus finis fuit. Postremum documentum, quod nobis nunc superest, imperatorum Byzantinorum nominibus inscriptum, diem 20 m. maii ind. II, anni scil. 1139, praesefert. Ex tunc, et more Curialium neapolitanorum proprie ex m. septembri cum indictione III, annus primus dominationis Rogerii in civitate Neapolis supputatur. (4)

(1) FALCO. BENEV. p. 283: *Confestim Magister militum Sergius civitatis Neapolitanae ad suam convertitur fidelitatem.*

(2) Nodus heic non parum difficilis ad expediendum occurrit. Ex his, quae Romualdus Salernitanus, et Falco Beneventanus concorditer affirmant, et ego supra rettuli, satis aperte elicitur Sergium die 29 m. octobris anni 1137 morti occubuisse. At documentum extat (V. infra *Regest. Neap.* n. 693) *impp. Iohanne porphyrogenito a. 46 et Alexio eius filio a. 19 die 3 m. aug. ind. I*, scil. a. 1138, Neapoli confectum, in quo *absolutionis, et avocatoris* sive tutoris *a gloriosa potestate d. Sergii ducis* quibusdam *de Abbatissa* dati mentio habetur; unde saltem anno plus ipsum vixisse non sine ratione argui potest. Olim id in causa fuit cur, cum huius documenti summarium in *Notamentis scripturarum S. Marcellini* tantum haberem, aliquando de eo, sive potius de accurata eiusdem breviatione dubitarem; sed nunc, quandoquidem ipsum integre transcriptum et vulgatum est ab cl. viro MINIERI, *Saggio di Cod. diplom.* p. 272, nihil habeo, unde ambigem. Igitur aut falsus de morte Sergii in bello, apud Rinianum rumor increbuit, cum ipse aliquanto post in fata cessisset, aut potius *absolutionis* concessio ab antea, cum Sergius adhuc in vivis esset, facta, tunc postea, cum contractus conficeretur et Sergius obierat, in cit. documento memorari debuit.

(3) Iste Amfusum sive Alfusum nomen habuit. *Chron. Cav.* vero ad a. adiicit: *Rex veniens Salernum filium suum quem Capue principem fecerat, etiam Neapoli dominatorem constituit.* Forte ibi circa finem anni sollemnis proclamatio, uti Di Meo coniicit, facta fuit — Notae vero chronologicae in chartis neapolitanis nullam de eo vel de Guillelmo, qui, Amfuso a. 1144 mortuo, ducis Neapolitanorum titulum suscepit, mentionem faciunt.

(4) Id apte demonstrant inter alia doc. exemplatum *Regnante d. n. Rocerio Sicilie et Italie magnifico rege anno decimo, et eius dominationis civitatis Neapolis anno primo die 20 m. aprilis ind tertia* (a. 1140), quod extat in R. N. A. M. t. VI, p. 57; et doc. confectum die 6 m. aug. ejusdem anni, quod heic ex *Notamento scripturarum S. Sebastiani* p. 529 bre-

Post haec a. 1140 Rogerius habita curia procerum, et episcoporum apud Arianum civitatem, ubi de innumeris suis actibus tractavit " militibus suis congregatis Neapolim tetendit. Archiepiscopus itaque Neapolitanus, Marinus nomine, clerum omnem civitatis congregari praecipit, simul et cives et adventum regis eis annuncians hortatur ut honeste et laetitia multa eum suscipiant. Cives igitur simul cum militibus civitatis foris portam Capuam namexierunt in campu, quem Neapolim dicunt, et Regem ipsum honore et diligentia multa, ultra quam credi potest, amplexati sunt, et sic usque ad praedictam portam Capuanam perductus est. Continuo presbyteri et civitatis clerus ad eamdem portam obviam exivit, et eum hymnis et laudibus ad astra levatis civitatem introduxerunt. Quatuor illico viri nobiles habenas equi et pedes Regis ipsius tenentes, alii quatuor usque ad Episcopium civitatis Regem illum introduxerunt, frequentiam vero populi per plateam incedentis et mulieres viduas, coniugatas et virgines per fenestras existentes, Lector, si aspiceres, miratus, affirmares, imperatorem, aut regem alium sive principem tali sub honore, et gaudio nunquam civitatem Neapolim ingressum fuisse. Quid multa? Rex ipse tali et tanto honore ditatus ad episcopium descendit et in camera archiepiscopi hospitatur, die vero altera adveniente, totam intrinsecus civitatem et foris Rex ipse equitavìt, et palatia, et aedificia circumspexit. Inde navigio parato ad castellum Sancti Salvatoris civitati proximum ascendit, et civibus Neapolitanis ibi vocatis, negotia quaedam cum illis de libertate civitatis et utilitate tractavit. Donavit insuper unicuique militi quinque modia terrae, et quinque villanos, et promisit eis, vita comite, munera multa et possessiones largiturum. Interea noctis silentio praefatus Rex totam civitatem Neapolim extrinsecus metiri fecit; cognoscere volens, quantae esset circumquaque latitudinis; invenit itaque studiose metiendo in gyrum passus duo millia tercentum et sexaginta tres. Et passibus illis ita inventis, dum populus civitatis aggregatus esset, in eius conspectu, quasi dilectionis affectu, eos interrogare cepit, utrum scirent quot passus civitas illorum per circuitum habuisset, qui ultra quam credi potest admirantes, se nescire profitentur. Rex autem, sicut studiose invenerat, mensuram passuum, quos civitas eorum tenebat, patefecit. Unde populus omnis regem ipsum sapientiorem aliis antecessoribus et studiosiorem praedicabant, et quod numquam factum fuerat, super civitatis mensura mirabantur, quomodo Rex ille fieri contractasset. „

Quae deinceps evenerunt ad rem meam non attinent, et aliis narranda relinquo.

viatum subjungere juvat: *Die 6 m. aug. ind. tertia Neapoli. Regnante d. n. Rocerio magnifico rege Sicilie et Italie an. 10 et eius dominationis civ. Neapolis anno primo. Ego Sergius hebdomadarius Ecclesie Stephanie filius quidam Ichannis, qui nominatur de Abbrise promitto vobis d. Bonifacio Abbati monasterii Ss. Sergii et Bacchi, qui nunc congregatum est in monasterio Ss. Theodori et Sebastiani etc. propter integram portionem vestram de quidem d. Iohanne clerico qui nominatur Inferno, et de integra ecclesia vocabulo S. Potiti Xpi martyris de regione Marmorata, que ad eum pertinuit per dominam Annam genitricem suam relictam d. Gregorii, qui nominatur Inferno cum omnibus ejus domibus, et terris ac rebus, de qua me custodem ordinastis et promitto in ea omne officium Sacerdotale exhibere, vesperas et matutinos, missas, horas et laudes canere ; et bona dicte ecclesie sunt quatuor petie de terra posita in loco Meliti picculi, qui dicitur de S. Pelro, et alie posite in loco juxta sanctum Alianum in Liburiano, et promitto dare dicto monasterio mediam oblatam et quartam de oblata quolibet anno. Actum per Gregorium Curialem. Notam. script. S. Sebast. n. 1041 olim DLX.*

II.

CHRONICON

EPISCOPORUM S. NEAPOLITANAE ECCLESIAE

ITERUM AD FIDEM COD. VATIC.

EDITUM AC NOTIS ILLUSTRATUM

PRAEFATIO

Chronicon Episcoporum S. Neapolitanae Ecclesiae, *quod Iohanni Diacono tribuitur*, *et* Gesta Episcoporum Neapolitanorum *a cl. viro Waitz, nupero illius editore, appellatur, ex antiquissimo cod. vaticano n. 5007, acephalo, et absque titulo nobis nunc superest. Is primum ad ecclesiam beneventanam S. Bartholomaei pertinuit, ut ex quadam nota in fine libri, saec. XVI apposita, erui potest. Ibi enim legitur :* iste liber est d. Bartholomei ydest de Benevento (1). *Postea in bibliothecam Vaticanam invectus fuit, forsitan circa tempora Pauli PP. V (1605-1621), ut ex insignibus ipsius in compactione impressis coniicitur. Codex, qui est membranaceus, in forma, uti dicunt, octava, seu potius in 4 minori, habet duplicem numerationem; alteram scilicet in ima paginae ora numeris romanis aliquando, alteram in summa numeris arabicis perpetuo signatam. Haec libro apposita fuit postquam aliqua codicis folia periere. Ipse vero duabus partibus constat. Prima nunc habet folia 100, sive quaternos 12, quorum quisque, praeter unum duobus maiorem, folia octo continet, et super hos quatuor folia, quae primum quaternum nulla nota signatum praecedunt. In his foliis 4 habetur initium Catalogi Pontificum Romanorum a S. Petro usque ad S. Clementem, in quo ipse abruptus desinit verbis:* fuit autem residui. . . (2) *Sequuntur deinde quaterni signati III-XIII; ita ut folia quatuor, et fortasse etiam alia, in quibus continuatio catalogi extare debuit, deperdita fuisse pateat. Praeterea periere etiam postrema folia, forsitan duo, quaterni XIII, qui mancus desinit verbis (N.° 40)* quam Longobardi stabilien . . . . *et aliud itidem paulo ante (N.° 39) post verba;* ad eum solus introiit..... *Haec prima codicis pars scripta est saeculo nono, chara-*

cteribus latinis, formae quae dicitur uncialis, et habet nomina episcoporum et versuum capita rubro colore depicta.

Pars secunda codicis constat quaternis quatuor non signatis, quorum quisque habet folia 8, praeter ultimum, qui tantum 6 folia continet. Scripta est charactere Langobardico, litera scilicet, quae dicebatur Beneventana, saeculo IX. exeunte. Incipit a Paulo episcopo (N.° 40; a. 763) et desinit in Athanasio I. (a. 872). Deinde alia manus adiecit fragmentum vitae Athanasii II, cui praemittit haec verba. Huc usque Iohannes Diaconus, quae sequuntur Petrus edidit Neapolitanae Sedis subdiaconus. *Opus abruptum desinit verbis:* audierat in....

Totus codex manu poene coaeva, scil. saeculi IX vel X recognitus est, et in quibusdam vel correctus vel auctus. Inter alia, quae infra passim adnotabuntur, in vetustioribus undecim episcopis annos episcopatus, quos prima manus scripsit, ista abrasit, et additamenta in textu immisit, praeter unum ad libri finem, quod, nota in textu apposita, ad imam oram adscripsit. In margine vero alia posterior manus saeculi fortasse XII vel XIII aliquas apposuit adnotantiunculas, quibus vel lectorem de eo, quod in textu agitur, admonet, vel id, quod sibi magis notabile videbatur, animadvertit. Ipsae nihil ad historiam conferunt et prorsus inutiles sunt.

Liber, ut diversum certe scriptorem, ita verisimiliter diversum quoque auctorem habere debuit. Id nuper G. Waitz primus vidit, et quidem, nî fallor, recte. Nam quamvis operis indoles et sermo non satis aperte, ut ipse asserit, hanc diversitatem denotet, tamen cum exeunte saeculo nono literas unciales in libris profanis describendis adhibitas esse, nullo probari (3) potest exemplo, neque eiusdem libri partes tam diverso charactere exaratas esse verisimile est, *non sine ratione partem Chronici primam Iohanne Diacono antiquiorem doctus vir existimat, et ab alio, quisquis ille fuerit, saeculo VIII. exeunte vel IX ineunte, compilatam putat. Ego vero eiusdem aetatem aliquot annis, et usque ad medium saeculum nonum protrahendam esse censeo, ut ea, quae de quorumdam episcoporum corporibus in ecclesia Stephania translatis in nn. 3, 6, et aliis memorantur, cum iis, quae Iohannes Diaconus de Iohanne IV, (a. 843-850) ipsa transferente tradit, apte conveniant* (4). *Quod cum cl. vir aliquando animadvertisset, tamen sine gravi causa id non tanti esse putavit, ut in hanc sententiam iret. Ceterum utcumque sit, auctor catalogum et res gestas episcoporum Neapolitanorum cum universali historia, praesertim ecclesiastica, et rebus Pontificum Romanorum connexuit, libros, quibus usus est, ad literam transcribens. Hi praecipue fuerunt:* Chronica Hieronymi, Marcellini, Isidori, et Bedae; Gregorii Turonensis, Historia francorum; Pauli Diaconi, Historia langobardorum; Vitae Ss. Severini, Paulini, et Gregorii magni, ac Gesta Pontificum Romanorum *usque ad Sergium et Gregorium II. Ipse de antiquioribus episcopis pauca, neque semper certa scivit; aliquorum enim nomina omisisse, plurium vero tempora non accurate*

tradidisse, *iam* Muratorius *et* Mazochius *animadverterunt* (5). *Rectius, et aliquando copiosius de illis, qui diebus suis vixerunt, scripsit.*

Altera Chronici *pars procul dubio Iohanni Diacono tribuenda est. Codicem vaticanum Waitz aliquando ipsius etiam autographum esse dubitavit, sed pro certo affirmari non potest. Utcumque sit, scriptura certe illius tempora prodit. De ipso autem auctore infra dicetur. Heic tantum verba germanici editoris, quibus de eiusdem Iohannis opere iudicat, subiungere operae pretium est.* Ubique, *inquit ille*, scriptorem agnoscas veri studiosum, res sive ab ipso visas, sive ab aliis traditas luculenter exponentem. Non solum facta, etiam verba referre studet; sermone utitur vivaci et florido, sed de se plura quam oportuit verba faciendo, similia repetendo, longiorem quam graviorem dictionem praebet.

De Petri subdiaconi denique auctario, utpote minimo, nihil singulare dicendum est. Auctoris notitiam aliquam alibi dedi, et pleniorem etiam infra dabo.

Opere per medium aevum usi sunt auctores Vitarum S. Athanasii, S. Severi, et S. Iohannis, *episcoporum Neapolitanorum. Plura etiam ex eo in suum commodum transcripsit auctor* Translationis Ss. Eutichetis et Acutii. *Qui vero post renatas literas illud norunt et eius auctoritatem allegarunt, fuere praecipue* Chioccarellus, Capacius, Caracciolus *et* Ughellius. *Tunc aliquot exemplaria ex ipso codice descripta fuerunt, quae in bibliothecis Neapolitanis et alibi offendi possunt* (6). *Tandem saeculo superiori* Muratorius *ex exemplo a p. d. Eustachio Caracciolo, quod Nicolaus Carminius Falco cum cod. vatic. contulit, adepto librum primus edidit. Exinde a. 1781* Pelliccia (7), *ut in aliis etiam*, *parum diligenter, et nuper* d'Aloe (8), *nihil adiiciendo, editionem Muratorianam iteraverunt. Cum autem in Neapolitanorum monumentorum ad ducatus historiam pertinentium collectione Chronicon hoc minime negligendum esse videretur, in votis erat, ut ipsum cum codice Vaticano diligenter collatum in opus meum inferrem. Res vero ex animi sententia processit. Cum enim quatuor abhinc annis egregius iuvenis d. Cosimus Stornajuolo Romae degeret, ab cl. viro mihique amicissimo, d. Ianuario Asprenate Galante, enixe rogatus fuit, ut codicem vaticanum cum editis conferret. Is libenter onus suscepit, et operam praestitit accuratissimam. Eius vero in codicem studia variasque libri lectiones amicus Galante, qui propositi mei conscius erat, mihi ad Neapolitani ducatus monumenta adornanda ultro obtulit. Qua liberalitate obstrictus ego heic utrisque viris publicas gratias agere gaudeo et usquam habere profiteor.*

Sed interea dum Monumentorum *editio paratur et primorum foliorum huius voluminis impressio procedit*, Scriptores rerum Langobardicarum et Italicarum saecc. VI-IX *inter* Monumenta Germaniae Historica *in publicam lucem prodierunt. Ibi, praeter* Paulum Diaconum *et alios rerum Langobardicarum scriptores*, Gesta Episcoporum Neapolitanorum *ad fidem cod. vatic. a G. Waitz diligenter, uti ibi solent, curata, iterum (p. 292-436)*

recusa fuerunt. Id mihi in Chronici recensione facienda parum aut nihil intactum reliquit. Nihilominus, cum liber praecipue ad rem meam pertineat, heic illum repeto, ea quae mihi restat, parte, ut potero, illustrandum.

Editionis igitur meae haec ratio erit. Chronici *textum ad fidem cod. vatic. editum iterum propono, iis tantummodo, quae sermonis perspicuitati officere possent, aliquando emendatis. Nominum propriorum initiales literas, quae in originali saepe minusculis scriptae sunt characteribus, maiusculis expressi; punctos et alias scriptionis notas adhibui; adiectiones denique, quas secunda manus in vacuo aut super rasura codicis apposuit, uncis inclusi. Morem praeterea editorum Germanicorum secutus, quod auctor ab aliis scriptoribus ad usum suum traduxit, minoribus characteribus, quod ipse proprie retulit, maioribus distinxi, fontibus, a quibus ille hausit, in margine adnotatis. Ne autem Muratorii praefatione, et notis lectores omnino fraudarem, illam integre, has carptim admisi, ac auctoris nomine distinxi; notas insuper sive ex* MAZOCHII *operibus excerptas, sive meas, quibus Chronicon ipsum, vel Neapolitana historia ac topographia illustrantur, perpetuo adieci. Praeterea* Catalogum episcoporum Neapolitanorum, *qui* Blanchinianus, *ex eo quod a* FRANCISCO BLANCHINIO *primum editus fuit, vocatur, et* Kalendarium S. Neap. Ecclesiae *marmoreum, iam a laudato* MAZOCHIO *et* SABATINIO *editum atque adnotatum, in appendice coronidis loco dabo. Episcoporum et archiepiscoporum Neapolitanorum denique seriem continuatam ab Athanasio II. sive Stephano III. episcopis, in quibus* Chronicon *et* Catalogus Blanchinianus *desinunt, usquequo ducatus Neapolitanus perduravit, ad annum 1139 producam.*

---

(1) Ita in cod. si amicus Stornaiuolo recte vidit. PUTIGNANUS vero in opere: *Vita S. Nicolai*, p. 258 pro *ydest de Benevento* legit *quod* (forte oratorium d. Bartholomaei) *est de Benevento.* Bethmann denique (*Archiv.* XII, p. 247) sic omnia interpretatur. *Iste liber est d. Bartolomei condestabuli de Benevento ;* sed id prorsus insolens mihi videtur.

(2) Bethmann hunc Catalogum alienum ab ipso opere putat (*Archiv.* l. c.), sed recte eius opinio a Waitz refellitur; cum in sequenti c. 3 auctor Chronici verbis *iam dicti Melchiadis* ad illius Catalogi partem deperditam aperte alludat.

(3) Cf. quae ipse Waitz in *Neues Archiv.* I. p. 537 edisserit.

(4) Waitz in not. (2) p. 398 sic ratiocinatur: *De medio saeculo IX cogitandum esset, si quod c. 2, 6 de complurium episcoporum sepulchris jam in ecclesia Stephania collocatis narratur cum iis coniungatur, quae Iohannes c. 59* (al. *44*) *de Stephano episcopo corpora praedecessorum in hanc ecclesiam transferente tradit. Neque tamen verba c. 2, cum his plane conveniunt, neque video quid vetet, ne iam ante Stephani tempora nonnulla sepulchra locum mutasse statuamus. Certe ne sic quidem unus totius operis auctor agnosci posset.* Ubi animadvertentum est cl. virum memoriae lapsu Stephano episcopo, quod Iohanni IV. adscribendum erat, tribuisse.

(5) Cf. MURATORI, R. I. S. t. I, 2, p. 291 ; MAZZOCCHI, *In vetus marmor. S. N. Ecclesiae kalend.* ad d. 3 ac 28 april. p. 141 et 291.

(6) Haec sunt : 1 in Bibliotheca *Nazionale*, X, C, 31 ; in Braneaceiana 3, C. 26; olim II, D. 25. Alia praetereo.

(7) PELLICCIA, *Raccolta di Cronache, opuscoli* ecc. Nap. 1781, t. 3, p. 11 et ss.

(8) D'ALOE, *Storia della Chiesa di Napoli*, vol. I, P. II Nap. 1869, p. 3 et ss.

IN JOHANNIS DIACONI

COMMENTARIUM

DE VITIS EPISCOPORUM NEAPOLITANORUM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII

Civitas Neapolitana, quae Regum olim sedes, et adhuc amplissimi Regni caput, nunc ceteras Italiae urbes civium frequentia, et loci amoenitate post se relinquit, eadem antiquis etiam temporibus, si non pari potentia, ornamentis tamen ac religione longe lateque splendebat. Plures ibi floruere episcopi eam pietatis normam sequuti, ut Coelitum albo concordi populorum suffragio inscripti fuerint. Antequam vero metropolitica dignitas accesserit Neapolitanae cathedrae, catalogum omnium episcoporum, qui eam tenuerant, sibi contexendum sumsit Iohannes Diaconus. *Ille quidem pauca, sed quidquid de eorum vita rescire potuit, in tabulas retulit, unde emersit Commentarius nunc mihi evulgandus. Quis vero fuerit, quove tempore vixerit hic scriptor, inter ecclesiasticos auctores referendus, titulus ipse* (1) *indicat. Fuit ergo* Iohannes *patria Neapolitanus, munere* Diaconus, *eique regenda attributa est* Diaconia Sancti Ianuarii *in eadem Neapolitana urbe posita, hoc est ecclesia xenodochio, seu ptochotrophio adnexa, cuius reditus in peregrinis excipiendis, aut pauperibus pascendis distribuebantur, fundata ab Agnello episcopo circiter annum 680. Postremus episcoporum, quorum vitas Iohannes Diaconus lucubravit, est Athanasius I, vir ob sanctitatem morum in ecclesia Neapolitana celebris, cuius obitus contigit anno 872. Eius autem gesta ita a Iohanne enarrantur, ut facile intelligas, aut iisdem temporibus in vivis fuisse scriptorem ipsum, aut non longe post floruisse.*

Atque heic adnotandum est, editam fuisse iamdiu a LAURENTIO SURIO *in* Vit. Sanctor. *ad diem 23 septembris* Historiam Passionis Sanctorum martyrum Sosii Diaconi et Ianuarii Episcopi, *simulque* Translationis *corporis eiusdem sancti* auctore Iohanne Diacono Sancti Ianuarii, qui eiusdem sacri corporis translationi interfuit. *Propterea* VOSSIUS Iohannem Diaconum *scriptorem Passionis huius inter scriptores historicos recensuit, eiusdemque etiam mentionem fecit* UGHELLUS *tom. VI.* Ital. Sac. *in* Archiep. Neapol. *Quum vero contigisse dicatur huiusmodi translatio anno 920, Iohannis etiam huius, qui ipsam descripsit, aetas inde agnoscitur. Verum fallitur Ughellus in assignando translationis memoratae anno; nihil enim in ea narratione occurrit, quod tempus indicet illius sacri operis, idque longe antea factum opinari possumus. Praeterea idem* UGHELLUS *minime animadvertit, non alium esse* Iohannem Diaconum *memoratae Passionis scriptorem ab eo,*

(1) Titulus in R. I. S. *Chronico* appositus hic est. *Chronicon episcoporum Sanctae Neapolitanae Ecclesiae ab eorum exordio usque ad a. R. S.* 872, *auctore Ioanne Diacono ecclesiae S. Ianuarii Neapoli sitae, qui eo tempore floruit.*

cui vitas antistitum Neapolitanorum debemus. Id mihi certum est, certumque et reliquis futurum puto. Utrobique conveniunt nomen, munus, patria, et diaconia, quandoquidem utriusque operis scriptor appellatur Iohannes Diaconus sancti Ianuarii. *Aetas etiam in eandem nos sententiam impellit. Iam vidimus*, Iohannem Diaconum *in conscribendis vitis nuper memoratis substitisse ad annum 872, hoc est ad mortem Sancti Athanasii, praesulis Neapolitani, quo tempore is florebat, aut a quo parum sua aetate aberat. A continuando eiusmodi labore eum fortasse deterruit minime religiosa, immo detestanda Athanasii II. vita, qui patruo piissimo episcopo in ea sede successit. Translatio autem Sancti Sosii facta est sub Stephano, iunioris Athanasii successore, qui circiter annum 895* (1) *Neapolitanae Ecclesiae praeesse coepit. Lege nunc praefationem vitae Sanctorum Sosii atque Ianuarii. Ita Iohannes Diaconus exorditur.* Post nonnulla tyrocinii mei Opuscula, quibus aliquantisper iuvenilem animum caritatis exercuisse videbar imperio, nullius fore disponebam intentionis, nisi ut me magis hebetaret desidia, quam fomenta lividae stomachationis alicui pro tabulis subministrarem experimentis. *Viden, ut* Iohannes Diaconus, *adhuc tyro, et iuvenis nonnulla opuscula procuderit (inter quae episcoporum vitae computandae videntur); grandioris vero aetatis factus, Passionem sanctorum Sosii, et Ianuarii scripserit? Neque aliter rem se habuisse idem Iohannes nos docet in vita Iohannis III.* (2), *qui circiter annum 836 sedere coepit; in haec enim verba loquitur:* Si huius vitam, vel mores scribere tentavero, non dico meae adolescentiae, cuius sensus propter aetatem adhuc intercluditur, verum etiam sagacioribus oneri fuerit. *Haec sane eo collineant, ut unicum horum auctorem intelligamus.*

Neque haec tantum ex eius calamo habemus. Historiam *quoque* Translationis Sancti Severini Noricorum Apostoli *idem* Iohannes Diaconus *literis consignavit, quam legas editam a clar. viro* Iohanne Bollando *in* Act. Sanctor. *in* Addend. *ad diem VIII. ianuar. tom. I, p. 1098. Facta fuit translatio illa anno vigesimo quarto Leonis, et Alexandri imperatorum, hoc est anno 910, uti censent* Ambrosius Staibanus, *et* Caracciolus. *Verum si ab anno 886, quo Leo Sapiens Basilio Augusto parenti successit, exordium eius imperii arcessas, annus eius XXIV. in annum cadit 909. Immo quum Leo, et Alexander anno 870 imperatores a patre fuerint renuntiati: quis certos nos facit, non ab eo potius anno deductam fuisse* Iohanni Diacono *epocham Caesarum illorum, ac propterea citius consignandam praelaudatam translationem, atque anticipandum etiam initium sedis Stephani, sub quo episcopo eadem peracta fuit? Apud* Ughellum *in* Catal. archiep. Neapol. *legitur Bulla Athanasii III. episcopi Neapolitani data* imperantibus dominis Leone et Alexandro magnis imperatoribus anno XXX, die XVII mensis decembris indict. XI. *hoc est anno Christi 907, si recte positae sunt chronicae istae notae ab* Ughello. *Ergo eorum annus XXIV. in annum caderet 901* (3). *Sed haec tenebris non carent. Nulla autem dubitatio est, quin et hoc opusculum eumdem* Iohannem Diaconum *auctorem habeat, a quo antistitum Neapolitanorum vitas accepimus. Immo hinc luculentius ostenditur ad eumdem Iohannem referendam esse supra memoratam* Historiam Passionis sanctorum Sosii, atque Ianuarii. *Utraque enim opella, solicitante Iohanne, abbate monasterii neapolitani S. Severini, conscripta est; utrobique idem stilus; ac insuper una alteram poscit. Ita vero legitur in Historia Passionis Sancti Sosii.* Post eversionem Luculani oppidi, sicut in alio constat libello expressum, quum memoratus Abbas (*Iohannes*) corpus Sancti Severini meruisset adipisci *etc. En ut in hoc opusculo mentio fit praecedentis alterius, quo translationem corporis S. Severini Iohannes Diaconus fuerat persequutus. Praeter haec idem* Iohannes Diaconus Passionem XL martyrum Sebastenorum *Graece ab Evodio episcopo Caesareae scriptam Latio donavit, eaque primum edita est anno 1604 a* Gerardo Vossio *Borchlonio; tum anno 1668 celeberrimi PP.* Henschenius *et* Papebrochius *eam intulerunt in* Acta Sanctorum *ad diem 10 martii, p. 12, tom. II, illius mensis. Exploratum est, hunc etiam foetum eidem Iohanni tribuendum; disertis*

(1) De aetate Stephani III. neap. episcopi infra certiora ex monumentis proferam.

(2) Immo IV., cui cognomen *Scriba* vel *ad aquarolam.*

(3) Recte quidem. V. supra p. 106.

enim verbis in praefatione ita ille scribit: Domnus Iohannes, spiritalis noster Pater, abbas quoque monasterii Sancti Severini *(cuius nimirum gratia alia scripsit Iohannes, ut supra vidimus)* quum me infelicissimum Iohannem Diaconum, servum Sancti Ianuarii martyris *(en idem qui supra Diaconiae Sancti Ianuarii praepositus)* non meis meritis unice diligeret, et crederet suis iussis in nullo me ire sinistrum, coepit saepissime coram me devotionem referre, quam erga praedictos haberet martyres *etc. Adnotavit etiam cardinalis* BARONIUS *in notis ad* Martyrol. *die XIII decembris Iohannem Diaconum* Acta Sanctorum Eustratii et sociorum *e graeco in latinum transtulisse. Bollandiani tamen hoc in dubium revocant* (1), *scribentes, in exemplari antiquissimo Barberinae bibliothecae non* Iohannem *interpretem, sed* Guarimpotum *appellari. Verum falli vix potuit hac in re magnus Annalium parens, quum ipse aperte legerit interpretis nomen, hoc est Iohannes servus Sancti Ianuarii, quemadmodum supra quoque idem in aliis libellis sese inscripsit. Eamdem vero versionem lucubravit Iohannes iussu Athanasii iunioris Parthenopensis Ecclesiae praesulis, cuius revera temporibus floruit* Iohannes Diaconus, *nobis hactenus memoratus* (2). *Postremo tandem loco auctor est* CARACCIOLUS, *homiliam in honorem S. Agrippini, foetum esse* Iohannis Diaconi (3), *a quo has ipsas vitas Neapolitanorum antistitum accepimus. Atque haec animadvertisse iuvit, ut qui in posterum de scriptoribus ecclesiasticis acturi sunt, aequiores se praebeant erga* Iohannem *hunc a plerisque neglectum. Et alia quidem ille ingenii sui monumenta fortasse reliquerit, quae temporum voracitate iam cessisse existimare facile possumus; nam praeterquamquod exercere se adolescens in hisce studiis coepit, ea etiam mentis vivacitate, stilique facilitate, instructus erat, ut in urbe Neapolitana unus ab episcopis, aliisque ecclesiasticis viris deligeretur ad sacras res gestas scriptis consignandas.*

Nunc ad vitas Neapolitanorum antistitum redeamus, quas florente aetate Iohannem Diaconum *procudisse diximus. Illud in primis in omnium oculos incurrit, simulque molestiam delicatulis quibusdam ingerere poterit, quod, quum is describenda sibi sumat eorumdem episcoporum gesta, pauca demum de iis adferat, et ieiunos plerumque lectores dimittat. Ad singulos quidem aut pauca, aut multa ab eo apposita legas, sed quae abs re sint; nam pro Neapolitum rebus res Romanorum Pontificum nobis propinat, et, ut vacuum suum impleat, minime necessariis, immo inopportunis narrationibus legentium expectationem pascit, ne dicam fallit. Adde scriptorum hunc exigua sibi eruditionis subsidia conquisivisse; nam* Romanorum Pontificum Vitis, *quae Anastasio Bibliothecario tribuuntur, et* Opusculo Historico BEDAE, *et* Langobardica Historia PAULI DIACONI *fere contentus, tanta confidentia eorum etiam scrinia expilavit, ut totidem verbis lacinias inde sumtas, nullo tamen auctore laudato, in suum usum converterit. Dissimulare haec nolui; sed ea spe neminem futurum, qui propterea vili opusculum hoc habere velit. Profecto nobis hasce vitas non parum commendat antiquitas, ac potissimum quod tunc prodierint, quando rarus erat, qui ingenio ac eruditione in Italia emergeret. Saepe conquesti sumus late diffusam eorum temporum inscitiam, et pauca superesse illius saeculi historica monumenta. Fateatur ergo quisquis*

(1) De hoc dubitari etiam videtur Waitz in not. (6) ad *Praefat. Gestorum episc. neap.*; sed Mazochius, ut utraque conciliaret, opinatus est Ioannem Guarimpoti nomen mutavisse, Ioannis abbatis S. Severini (quem *patrem* suum *spiritalem* in praef. ad *Acta Ss. XL Martyrum* vocat) gratia, cum Diaconi dignitatem suscepisset. (*Comment.* in *S. N. Eccl. Kalendarium* vol. II. p. 343). Ego autem nil habeo unde Mazochii opinionem vel firmem vel improbem.

(2) Praeter haec alia etiam opuscula Iohannes composuit, quorum notitiam heic addere incongruum non est. Et primo notanda est 1. *Vita S. Nicolai ep. Myrensis* ed. a MOMBRITIO t. II. et ap. MAI, *Spicil. Roman.* t. IV, p. 324-339. Opus, quod BARONIUS in Notis ad *Martyrol.* ad. d. 6 m. dec. Iohanni Diacono Romano tribuit, ASSEMANIUS in *Kal. Eccles. univ.* t V. p. 418, huic nostro vindicavit.— 2. *Vita et Passio S. Febroniae martyris, et S. Petri Alexandriae episcopi,* quam ipse Athanasii junioris jussu *ex graeco stylo latinis auribus transferre* curavit *quibusdam additis, quibusdam ademptis*, ut in vetusto Ecclesiae Bivinensis codice f. 1050, quem signatum VIII, B. 4, servat bibliotheca *Nazionale* Neapoli, declaratur. An autem ipsa typis unquam vulgata fuerit nescio.

(3) CARACCIOLUS, *De sacris N. E. monum.* pag. 137; at recte MAZOCHIUS, *De Ss. N. E. episc. cultu* pag. 330, id negat. De ejus homiliae auctore egi supra pag. 112, not. (2). V. etiam infra.

rem serio pensat, gratissimum hoc nobis occurrere, et praesertim quum multas inclytae urbis antiquitates servavit, non aliunde sperandas, atque in postremis episcopis plura adferat, quae Neapolitanae historiae non levi sint adiumento. Ad manus autem Ughelli fuerunt huiusmodi vitae, quum in Italia sacra *Catalogum archiepiscoporum Neapolitanorum contexeret. Aliis etiam eruditis ac potissimum Camillo Peregrinio commemoratae sunt; sed nondum lucem viderant; quia adhuc Mstae. Propterea multis egi ego apud doctissimum, neque minus ex eruditione, librisque editis, quam ex eloquentia sacra clarissimum virum P. Sebastianum Paulium Lucensem ex Congregatione Clericorum Regularium Matris dei, Caesareum historiographum, tunc Neapoli agentem, ut quando, frustratis apud alios precibus meis, impetrare nondum potueram opusculum istud, ipse pro antiqua sua erga me benevolentia mihi tamdem feliciori successu procuraret. Neque inanis spes mea fuit; is enim tota animi contentione in id intentus, denique a P. Eustachio Caracciolo Cl. Reg. sui ordinis Romae Consultore, quem pietas, doctrina, et generis nobilitas summe commendant, impetratum ad me misit. Eius ergo ope ac beneficio* Iohannes Diaconus *luce nunc primum frui incipit. Antiquissimum autem cod. Mstum, unde haec descripta fuere, habet Vaticana Bibliotheca omnium princeps: et quod meae felicitati tribuo, clarissimus ac eruditissimus vir Nicolaus Carminius neapolitanus, latinae non minus quam graecae linguae peritissimus, cui ob Dionis Cassii historiam nuper tanta sui nominis laude, fatisque melioribus recusam multa debet literaria respublica, exemplar, quo sum usus, diligentissime cum Vaticano codice contulit, ita ut si qua in hunc libellum errata irrepsere, non editoris, aut typographi vitio, sed quidem vetusto ipsi codici sint tribuenda.*

In calce libelli subiungitur fragmentum vitae Athanasii II. episcopi neapolitani, illius nempe, qui vitiis non paucis sinistram famam sibi apud posteros quaesivit. Eius auctor in Vaticano codice dicitur Petrus neapolitanae sedis Subdiaconus. *Si Ughello fides, Petrus iste Neapolitanorum antistitum gesta circa annum 1200 continuavit. Baronius ad annum 872 vitam Sancti Athanasii I. Neapolitani antistitis ab altera diversam, quam* Iohannes Diaconus *nobis dabit, commemorat, et eius parte in suos Annales illata, auctorem putat illius Petrum Diaconum Casinensem, qui hoc item tempore vixit. Contra Ughellus Barouium heic impegisse arbitratur. Petrus enim Diaconus Casinensis tribus post saeculis floruit, neque ullam Athanasianae vitae a se conscriptae mentionem habet; quare anonymum potius censet eius vitae scriptorem. Verum non incusandus Baronius: is enim Petrum huius vitae auctorem Sancto Athanasio synchronum facit, ac propterea a Petro Diacono Casinense, qui anno 1136 florebat, satis distinguit. Ego in eo tantum a Baronii sententia discedendum puto, quod Petrum Athanasianae vitae scriptorem Diaconum Casinensem crediderit. Quippe ille non alius fuisse videtur, quam idem Petrus Neapolitanae Ecclesiae subdiaconus, et Athanasii I. ac secundi aequalis, a quo primas lineas vitae Athanasii II. habemus, in calce harum vitarum additas, quive etiam scripsit Sancti Agnelli abbatis miracula, ubi inscribitur* Petrus Sanctae Parthenopensis Ecclesiae Hypodiaconus (1). *Certe* Petrus Diaconus *in libro* de Viris illustr. Casin. *nullum alium Petrum Diaconum Casinensem scriptorem ante se commemorat, commemoraturus, si fuisset.* Ughellus *itidem in Catalogo suo neminem exhibet, qui post* Iohannem Diaconum *vitas episcoporum Neapolitanorum sit persequutus, ita ut quae ille asserit de* Petro Subdiacono *vivente ac scribente circiter annum Christi 1200 plane ab amplectendo deterreamur. Atque haec pauca praefari libuit in vitas Neapolitanorum antistitum, in quibus si qua lacuna occurrit, noris eam ex ipso antiquissimo codice derivari, unde haec fuere descripta. Ego notulas quasdam apponam, ubi aut necesse, aut congruum videbitur* (2).

(1) Petrus N. E. subdiaconus Stephano III. et Athanasio item III. neapolitanis episcopis floruit. Praeter *Libellum de Miraculis S. Agnelli*, et *Opusculum de Miraculis S. Agrippini*, de quibus supra egi, scripsit etiam *Vitam et passionem sanctorum Abba Cyri et Ioannis*, quam e graeco opere a S. Sophronio, Hierosolymitano patriarcha, compositam breviavit et in latinum vertit. Eam e cod. Vatic. primus edidit MAI, *Spicil. Roman.* t. IV,

(2) Ex Muratorii notis eas tantum excerpsi et iteravi, quae magis ad historiam neapolitanam illustrandam faciunt, et quae res alibi a me non actas agunt. Ipsas vero siglo MUR. qui immortalis viri cognomen designant, dixtinxi. Item notis, quas ex Mazochio excepi, siglum ad MAZ. auctorem significandum apposui.

CHRONICON

EPISCOPORUM S. NEAPOLITANAE ECCLESIAE

Anno quadragesimo secundo imperii Cesaris Octaviani, cessante regno, ac sacerdotio Iudaeo- Isid.
rum, secundum oracula prophetarum, dominus noster Ihesus Christus pro nostra salu-
te ex virgine nasci dignatus est.

Peractis igitur Octavianus a primordio regni sui annis LVI. et mensibus VI., Tiberium previ- Beda
gnum suum reliquit in regnum, qui regnavit annos XXIII. Huius quintodecimo imperii anno
Dominus post baptismum regnum caelorum adnuntiavit. Octavodecimo eiusdem anno sua pas-
sione mundum redemit. Et predicaturi per regiones Iudeae apostoli, Iacobum, fratrem Domini,
Hierosolymis ordinant episcopum, et VII. diaconos. Et lapidato beato Stephano, ecclesia per regio-
nes Iudeae et Samariae disseminata est.

Gaius regnavit annos III. menses X. dies VIII. Per idem tempus Matheus apostolus evange- Isid.
lium in Iudea primus conscripsit.

Claudius regnavit annos XIII. menses VII., dies viginti octo.

Huius secundo anno beatissimus Petrus apostolus, cum primus Anthiocenam fundasset eccle- Beda
siam, et VII. annis ibidem pontificalem cathedram sedisset, ad expugnandum Simonem magum Hieron.
Romam pergit; ibique cathedram sacerdotalem tenuit annos XXV., menses II. dies III. Fuit autem G.pont.
temporibus Tiberii cesaris, et Gaii, et Claudii, et usque ad ultimum Neronis annum.

Iacobus, frater Domini, cum XXX. annos Hierosolymorum rexisset ecclesiam VII^mo^ Neronis Beda Hieron.
anno a Iudeis lapidatur. In cuius thronum Symeon, qui et Simon, secundus adsumitur. G.pont.

Marcus quoque, auditor Petri et de baptismo filius, evangelium, quod Romae scripserat, Beda
Ægypto, et Alexandrie, Petro mittente, predicat. Huius temporibus Simon magus cum alterca- Hieron.
tionem proposuisset cum Petro, et Paulo, dicens, se quamdam virtutem Dei esse magnam, medio die Isid.
dum ad patrem volare promittit in caelum, in aere a demonibus ferebatur, adjurante eos Petro
per Dominum, Paulo vero orante, dimissus crepuit, et confracta sunt crura eius, ob cuius
necem a Nerone Petrus crucifigitur, capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis,
asserens se indignum, si sic crucifigeretur ut Dominus eius. Paulus gladio ceditur. Al- Beda
vinus Florus Festo magistratui Iudeae succedit, cuius luxuria, et avaritia, ceteraque nequitia non
ferentes Iudaei, contra Romanos revellaverunt. Adversum quos Vespasianus magister militiae a
Nerone transmissus est. Vespasianus apud Iudaeam imperator ab exercitu appellatus est, et bel-
lum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur. Titus, Iudaea capta, et Hieroso- Isid.
lymis subversas, sescenta milia virorum interfecit. Iosephus vero scribit, undecies centena milia
fame et gladio perisse, et alia centum milia captivorum publice venundata. Ut autem tanta mul- Hieron.
titudo Hierosolymis repperiretur, causa azymorum refert fuisse, ob que ex omni gente Iudea

ad templum confluentes, urbe quasi carcere sunt reclusi. Oportuit enim in his diebus pasche eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerant. Colligitur omne tempus a quintodecimo anno Tiberii cesaris, et ab exordio evangelice praedicationis ann. XLII.

G.pont. Hieron. Beda Linus papa a beato Petro apostolo episcopus ordinatus, primus post eum Romane ecclesiae pontificalem cathedram tenuit annos XI., menses III., dies XII. Fuit autem temporibus Vespasiani, et Titi. Qui Titus bellum iam dictae Hierosolymae in annis quattuor consummavit. Templumque stravit.

G.pont. Beda Cletus sedit annos XII., mensem I., dies XI. Fuit autem temporibus Titi, et Domitiani, juniori fratris sui, sub quo apostolus Iohannes in Patmo insula relegatus est.

Clemens sedit annos IX. menses II. dies X. Fuit autem residui. . . . . (a).

I. Aspren (1) episcopus (b).

(a) *Male* Mazochius, O. c. *p. 195 hunc locum* tantum paucissimis voculis *mutilum putavit. In cod. Ms. saltem quatuor folia perierunt.*

(b) *Heic, et deinceps* (*ubi clarius etiam apparet*) *usque ad Zosimum n. 11 post v.* episcopus, *quaedam abrasa in cod. fuerunt. Verisimile est, ut* Waitz *adnotat, ibi annos uniuscuiusque episcopi olim adscriptos fuisse.*

(1) In aliis Aspren. (V. *Kalend. Neap.*: *Catal. Blanchin.* infra; et *Vitas* eiusdem. — Cf, Mazzocchi, *De Ss. neap. epp.* p. 191, not.). — Duplex vero de hoc sancto episcopo vita habetur; altera brevior, et quidem antiquior, quam ex vetusto cod. langobardis litteris exarato, et in maioris neapolitanae ecclesiae thesauri sacello olim servato Chioccarellius (*Antist. Neap. p.* 10) primus edidit, et post eum plerique alii; altera fusior a quodam Alberico composita, quam Ughellius (*It. sac.* VI, p. 19) primo; et Cuperus (Aa. Ss. *Bollandi* ad d. 3 aug. I, p. 199) postea, atque alii inde publici juris fecerunt. Ex his autem fluxerunt vetus *Lectionarium Ecclesiae Neapolitanae,* quod. a. 1525 primitus excusum fuit, atque narratio de eiusdem sancti episcopi vita et miraculis, quam in *Chronico S. Mariae de Principio* insertam idem Chioccarellius ex cod. characteribus langobardis scripto et in canonicorum archivo cathedralis ecclesiae neapolitanae adservato, cuius exemplum, a. 1533 confectum, adhuc ibidem extat, in eodem supra memorato opere vulgavit. Hanc auctor libri: *La Cronica di Partenope*, quae vulgo sub nomine Iohannis Villani circumfertur, suam fecit et in patrium sermonem vertit.

Antiquioris vitae aetas incerta est. Chioccarellius, quem secutus est Sabatini (*Cal. Nap.* VIII p. 22, et XII p. 2 et ss.) illam paulo post Silvestri PP. et Constantini Aug. tempora conscriptam censuit; Mazochius contra (*O. c.* p. 201) non ante saeculum undecimum. Rectius vero Scherillius (*Della venuta di S. Pietro in Nap.* p. 188) quamquam, ut mihi videtur, non in omni parte probandus, opus bifariam divisit, et primam partem (lect. 1-5), in qua de vita tantum S. Asprenatis agitur, saeculo IV. vel V. scriptam, secundam vero (lect. 6-9), quae miracula continet, saeculo nono compositam iudicavit.

Recentioris autem vitae auctor se ipsum et quodammodo etiam aetatem, in qua vixit, ex prologo prodit. Dicit enim se jussu Petri, neap. archiepiscopi, *quae de hoc sancto viro breviter et inculto corruptoque sermone in tomo chartae exarata* habuerat, *stylo diffusiori atque excultiori* prosecutum fuisse. Scripsit igitur vel saeculo XI, in quo Petrus I. (a. 1094-11.?), vel saeculo XIII, in quo Petrus II, de Surrento dictus (a. 1216-1251), neapolitanam cathedram tenuerunt. Mazochius et omnes alii, qui de hoc Alberico egerunt, hanc secundam opinionem absque ulla dubitatione secuti sunt; ego autem potius in primam adducor, cum saeculo XIII cultus S. Asprenatis quasi obsoletus fuerit; quippe qui in Kalendario Tutiniano, illis temporibus confecto, nullus omnino videatur, et cod. Corsin., in quo huius Alberici vita etiam extat, ante haec tempora, immo saec. XI. exeunte verisimiliter, scriptus sit; male enim supra, illum ad saec. XIII adscripsi. Ceterum huius vitae exemplar exstat etiam in cod. Bibl. neapolitanae (*Nazionale*) sig. VIII, B, 1 a fol. 43 ad 48. Saeculo XIII denique *Chronicon S. Mariae de Principio*, ut Mazochius etiam coniicit, compilatum fuit.

Sequiori aevo, praeter illos, qui de rebus Neapolitanorum sacris scripserunt, ut Caracciolus, *De sacris N. E. mon.* p. 108; Chioccarellius, *Antist. neap. Catal.* p. 7-18; Ughellvs, *O. c.* t. VI; Mazochius, *De Sanct. N. E. episc.* p. 190-214; Sabatinius, *Calend. Nap.* t. VIII, p. 7 et ss.; Parascandolo, *Mem. stor. della Chiesa di Nap.* t. I, et Scherillo, *Della venuta di S. Pietro in Nap.* p. 288 et ss.; ac praeter illos qui *Vitas Sanctorum* collegerunt, ut Bollandista Cuperus ad d. 3, aug. Romaeus et Paulus Regius, in septem Ss. patronis Neap., de Asprenate epo praecipue egit Sicola, *Della nobiltà gloriosa di S. Aspreno.* Nap. 1685 in 4; ubi inter plura fabulosa et inepta parum aut nihil in re, multum vero ad neapolitanam historiam ex monumentis notandum affert.

Fuit (1) amator pauperum, et tante beatitudinis, ut omnem hominem a majore usque ad minimum libenter exciperet, et per dominici talenti acceptionem populos ad viam salutis cotidie evocaret (2).

II. Epithimitus episcopus (3).

Prioris exempla sequens, distributo talenti munere,. cum lucro Domino consignavit.

III. Maro (4) episcopus (5).

(1) Antiqua Neapolitanorum hominum traditio fert Asprenatem ab ipso Petro apostolorum principe primum Neapolis episcopum ordinatum fuisse. *Petrus* siquidem, ut vetus Vita, de qua supra innui, tradit, *Antiochensi fundata Ecclesia Romam accedens ad moenia urbis neapolitanae transeundo pervenit,* ubi *quamdam mulierculam senem* (Candidam posteriores scriptores scil. *Chron. S. Mariae de Principio* et alii vocant) sibi occurrentem, atque Asprenem deinde ex eiusdem vetulae insinuatione ab aegritudine, qua ambo laborabant, sanans ad fidem convertit et in christiana religione erudivit. Postea Romam profecturus ad preces neapolitanae plebis ipsum Aspren urbis praesulem consecravit. Qui deinde *plenus dierum et operibus virtuosis tertio nonas augusti,* a. D. 69 vel 79, uti *Chron. S. Mariae de Principio* adiicit, cum annis 33 boni pastoris officium implevisset, obiit. Huius vero traditionis, quae, quoad apostolicam ordinationem attinet, auctoris Vitae athanasianae saeculo IX, uti supra dixi, conscriptae testimonio firmatur, insignis apud posteros memoria exstat in basilica, quae *S. Petrus ad aram* nuncupatur, ex *ara Petri* in eo loco, ubi S. Petrus missam celebravit, ab olim consecrata. In hac basilica olim, ut Chioccarellius testatur (*O. c.* p. 9), facti huius historia vetustissimis picturis ac titulis, quorum aliqui adhuc supersunt, et in sacello praesertim, quod in atrio eius ecclesiae extat, fuit descripta (V. Scherillo, *O. c.* p. 336 e *Sommario dei privil.* etc. *di S. Pietro ad aram.*) — Alia denique ex instrumento not. Pappansugna a. 1383 confecto petita argumenta, vel his similia a Chioccarellio allata, utpote nullius fidei, vel auctoritatis, non moror.

At contra sunt qui Asprenatem a Petro Apostolo episcopum ordinatum fuisse omnino negant, et illum Clemente PP. et Trajano imp. antiquiorem non esse, auctoritate Catalogi episc. neap. a Blanchinio vulgati, contendunt. Mazochius vero ut antiquam Neapolitanorum traditionem, et novam Blanchinianam opinionem quodammodo conciliaret, in hanc sententiam venit, ut fateretur Asprenem a Petro ipso ordinatum; non tamen episcopum sed presbyterum, et a S. Clemente postea, cum turba credentium crevisset, pontificali denique munere ornatum. Sed *Catalogus,* quem unice Blanchinius et Mazochius sequuntur, non multum quidem auctoritatis habet in vetustiorum N. E. episcoporum aetate firmanda; cum tempora PP. et impp., quae affert, haud recte inter se plerumque conveniant. Ceterum controversiam ample et docte exposuit, et distinxit Scherillo in libro jam saepe laudato, ad quem lectores remitto.

Quoad vero diem et annum attinet, in quibus Asprenas obiit, haec subiungere congruum est. Dies depositionis eiusdem certus et constans est ex *Kalendario neapolitano* marmoreo et aliis, ubi ad d. 3 augusti adnotatur; annus autem emortualis verisimiliter Ae. v. septuagesimusnonus ex *Chron. S. Mariae de Principio* statui potest. ut acute quidem et erudite nuper disseruit amicissimus Galante in scripto: *Il LXXIX dell'era cristiana, anno mortuale di S. Aspreno primo vescovo di Napoli.* Exst. in diario *La scienza e la fede.* Serie IV, vol. XIII, p. 402.

(2) Vetus in nostra urbe secus viam, quae olim *Media* et nunc *dei Mercanti* appellatur, in quibusdam privatis aedibus delubrum extat divo Asprenati dicatum, quod ob aliquod fortasse beneficium ibi ex alio translatum in *Actis Visitationis* Annibalis de Capua (a. 1583) et Alphonsi Gesualdi, neapolitanorum archiepiscoporum, etiam titulo *S. Iohannis ad corpus* denotatum legitur. Ipsum describunt Celano, *Notizie di Napoli*, G. IV, et magis accurate laudatus Sicola, P. I, p. 276, ac Sabatini, *O. c.* VIII, p. 10. Hic primus graecam inscriptionem infra repetendam, et ibi adhuc extantem protulit, unde Campuli et Constantini, qui templum construxerunt, nomina eliciuntur.

Alia ecclesia sub titulo S. Aspreni, sed vulgatius *delle Crocelle a porta S. Gennaro* recens est, quippe quae a. 1633 a pp. Cruciferis aedificata fuit. De ea vide sis patrios topographos.

Sacellum praeterea eiusdem nomini dicatum et in cruce cathedralis ecclesiae a sinistris majoris altaris extans, ab olim eius lipsana servat, et antiquissimis picturis decoratur. Cf. Sicola, P. I, p. 123, 239. Bernardus archiepiscopus instrumento die 7 m. febr. a. 1370 manu Pirri Starola confecto, ut ex *Actis Visit. Cath.* a. 1580 eruo, illud, quod erat sub vocabulo S. Aspreni et undique depictum, Petro de Tocco concessit, a cuius heredibus adhuc habetur.

Effigiem denique S. Aspreni, quam Tutinius nescio ex qua icone erutam in quodam opusculo suo Ms. delineavit, Sabatinius, l. c. incidendam curavit ac edidit.

(3) Nulla huius episcopi mentio in *Kalend. Neap.* marmoreo, et in aliis. Si vero *Catal. Blanchin.* fides habenda sedit a. 17 sub Adriano imp.

(4) Aliqui scriptores, ut errorem de quodam Severino inter neapolitanos praesules intruso explicarent, huic episcopo cognomen Severini tribuerunt. Ita etiam Sabatini, *O. c.* I, pag. 67 censet. Sed cum nulla huius Severini in ecclesia neapolitana mentio habeatur, et cum nullum (praeter p. Beatilli notitiam non satis certam) de duplice Maronis nomine sive ex monumentis testimonium sive ex re argumentum suppeditet, recte Mazochius hanc sententiam refellit.

(5) Maro in *Catal. Blanchin.* sedit a. 23 sub Antonino

Cum his praedecessoribus suis ob sanctitatis meritum in ecclesia Stephania translatus esse videtur (a).

IIII. PROBUS (1) episcopus (2).

Omni probitate conspicuus, nominis sui operibus copulans, placida morte quievit.

V. PAULUS episcopus (3).

Mirabilis in opere, mirabilis in factis, mitis in prosperis, prudens in adversis; post diuturna tempora gaudens et ipse migravit ad Dominum (4).

VI. AGRIPPINUS (5) episcopus (6).

Amator patrie (7), defensor civitatis (8), qui quotidie pro nobis suis famulis exorare non

(a) *In cod. corr.* translati esse videntur.

Pio imp. et Divis fratribus, sed id nullo alio firmari potest testimonio. Certe eius *Depositio* ad d. 15 m. jun. in *Kalend Neap.* marmoreo adnotatur.

(1) Quidam hunc episcopum eumdem ac Patrobam, unum ex Christi discipulis, faciunt, quem alii etiam neapolitanae ut et puteolanae, Ecclesiae aliquando praefuisse suspicantur, (Cf. CARACCIOLO, *O. c.* p. 121; CHIOCCARELLI, *O. c.* p. 17; MAZOCCHI, *O. c.* p. 186), at utrumque nullo documento vel ratione innititur (Cf. SCHERILLO, *O. c.* p. 183 et sq.).

(2) Nec ulla de hoc episcopo in *Kalend. Neap.* marmoreo, ut et in aliis nota. In *Catal. Blanchin.* vero sedisse annis 24 sub Antonino Vero et usque ad Septimium Severum imp. dicitur.

(3) In *Catal. Blanchin.* hunc episcopum sedisse a. 31 sub Antonino Caracalla et Macrino dicitur.

(4) Inscribitur in *Kal. Neap.* marmoreo ad d. 23 m. aug.

(5) De S. Agrippino, uti supra monui, extat *Libellus Miraculorum*, qui a Mazochio, ex cod. Romano Corsiniano n. 777 in saepius laudato opere: *De Ss. Neap. episc.* p. 336 editus fuit. Ex hoc *Libello* antiquum Lectionarium fluxit, quod in *Officio Sancti Ianuarii* et aliorum a. 1525 impresso, habetur. Aliud vero Ms. exemplum, Corsiniano simile, habetur in cod. qui a me etiam antea memoratus fuit et in bibliotheca Neapolitana sign. VIII, B. 1. nunc servatur,

Quod autem de cod. Corsiniani aetate supra p. 84 ab Mazochio deceptus etiam dixi, id nunc retracto; quandoquidem codex ille non ad saec. XIII, sed potius ad XI. exeuntem tribuendus sit, tum ex Uraniana de b. Paulini in S. Iohannis epi. neap. obitu apparitione epistola, quae ibi legitur et nondum Iohanni IV. adtributa videtur, quod ipso saec. XIII. evenisse (Cf. MAZZOCCHI, *O. c.* p. 257) dicendum est, tum ex sententia cl. viri Bethmann, qui illum ad manus habuit, et ita etiam de codice judicavit (V. *Archiv.* XII, p. 394; ubi IX pro XI ex typographi errore legitur. Cf. WAITZ in not. (7) ad praef. in *Gesta episc. neap.* p. 401). Neque aliter Waitz ipse ex eiusdem cod. scriptura beneventana opinatus fuisset, nisi eum transversum egerit falsa de Alberici aetate supputatio. Cum enim *Vitam S. Aspreni* ab Alberico saeculo XIII compositam putaret, codicem Corsinianum, in quo illa etiam legitur, ad eadem tempora amandare coactus fuit.

Quae cum ita sese habeant, alius heic error, in quem ibi incidi, corrigendus est. Codicem enim neapolitanum, quem Corsiniano, et saeculo XIII antiquiorem tunc dixi, ipso potius saeculo XIII scriptum nunc affirmo, cum Vitam S. Iohannis IV. a Iohanne Cimiliarcha, post annum 1262 certe compositam, contineat.

Ex recentioribus vero scriptoribus, qui de eodem Agrippino epo egerunt, omissis iis, qui neapolitanae ecclesiae historiam vel sanctorum vitas prosecuti sunt, unum SECCO, *Vita di S. Agrippino.* Nap. 1681 in 8° heic memorare juvat.

(6) In *Catal. Blanchin.* Agrippinum sedisse a. 12 sub Aurelio (Elagabalo) et Alexandro impp. dicitur. In *Kalend. Neap.* marmoreo et in aliis posterioribus, ut et in *Martyrologio Romano* ejusdem *Natalis* in die 9. m. novembris adnotatur.

(7) *Libellus miraculorum S. Agrippini* haec de eo adhuc vivo (n. 9) habet: " Quodam tempore dum divina misteria in sancta Sede persolvisset, atque ad suos consanguineos visitandi gratia pergeret, in regionem videlicet Herculensem, plateam Furcillensem, ex qua idem originem nativitatis sumpserat; in qua etiam Ecclesia ad honorem nominis eius hactenus perseverat, quaedam paralytica ante ianuam domus sue iacebat, multis annorum curriculis fatigata, que nullo medicorum solamine poterat liberari " et tandem precibus ejusdem S. Agrippini per divinam gratiam sanata est. "

(8) In ejusdem *Libelli* initio, id etiam aperte affirmatur " Quis enim ignorat (ibi dicitur) per hunc beatissimum Agrippinum et beatum ac sanctum martirem Ianuarium Neapolitanam urbem ab insidiis inimicorum sepissime liberatam? Quae ita esse per revelationem diversorum ac relationem cognovimus, quod unus ex his Sanctis ad custodiam civitatis, alius ad disperdenda consilia hostium, fraudesque vigilare. manifestissime comprobatur. Ut hactenus memorata civitas eorum sit munita patrociniis ac defensione protecta. "
In *Vita S. Athanasii* b. Agrippinus dicitur item *patronus et defensor istius civitatis;* quinimo et antequam ipsum Ianuarium Neapolitani tutorem habuissent.

cessat. Hic signis multis, et miraculis coruscat (1). Plurima auxit Domino turba credentium, et gremio sancte matris ecclesiae collocavit; unde merito audire meruit: *Euge serve bone, quia in modico fidelis fuisti, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Denique in ecclesia Stephania translatus, merito cum honore quiescit (2).

VII. EUSTHASIUS (3) episcopus (a).

(a) *In cod. nil erasum, linea plena.* WAITZ.

(1) De cit. *Libello miraculorum S. Agrippini* supra (p. 112) aliqua adnotavi. Illum vero ex duabus partibus constare ibi dixi, et ex secunda, a Petro subdiacono composita, quod de Neapolitanae urbis per Saracenos obsidione a. 959 actum narratur, excerpsi et cum lectoribus communicavi. Nunc heic miraculum quoddam ex prima parte subjungere juvat, quod etsi nullam peculiarem epocham denotet, tamen historiam etiam nostram quodammodo illustrare potest. Illud igitur ita se habet. „ Albinus quidam in eadem civitate Neapolitana commanens, diabolico incitatus spiritu, dum pro tradictione praedicte civitatis ad nefandissimam Longobardorum gentem pergeret, ut eisdem tempus memorati sceleris constitueret, in itinere positus, vidit beatissimum martirem Ianuarium terribiliter comminantem sibi, atque interdicentem, ut ab incepto opere revocare mentem, gressumque debuisset; qui statim amens effectus perdensque virtutem, nec ultra progrediens, tentus a militibus et Neapolim perductus hec ipsa, que retuli, ore proprio cunctis audientibus enarravit, sicut et puplica monumenta testantur. Ex hoc factum est, ut sepe dicta civitas sanctorum Ianuarii atque Agrippini gratia operante ab imminenti excidio sit erepta „ (n. 1).

(2) S. Agrippinus in coemeterio extramurano primum sepultus fuit, ubi eius *tumulus* et *sepulchrum*, ac *oratorium*, etiam suo nomini dicatum, in cit. *Libello* memorantur. Exstabat juxta, ut Mazochius asserit, immo subter basilicam S. Ianuarii ibi item positam, et proprie in imo ex tribus, quibus olim (ut SCHERILLIUS, *Esame spec. delle Cataeombe* in *Atti della r. Accad. di Archeol.* t. V, p. 127 et 195, opinatur) coemeterium ipsum distributum fuit, cryptarum ordine, cum in medio (Cf. *Vitam S. Ianuarii* graecam in *Atti* cit. t. VIII, p.274) illa S. Ianuarii esset, quae ex eo quod usque ad prima saeculi noni tempora eiusdem sancti martyris corpus servavit, *foris ad corpus* deinceps vocata fuit. Ex una enim in alteram descendebatur; nam, ut in *Lib. Mirac.* legitur " temporibus beatae recordationis domini Pauli primi, sanctissimi, et senioris huius Sedis episcopi . . . cum b. Ianuarii . . . gloriosa celebraretur sollemnitas . . . praefatus pontifex domnus Paulus cum omni clero, atque magnatibus, cum hymnis et laudibus ad ecclesiam *(S. Ianuarii)* processit ex more, sacraque mysteria exultantes agere coeperunt. Dum haec agerentur subito a parte oratorii b. Agrippini magna cum stridoribus vox resonavit, e cuius vocis inopinatae admiratione magna ex parte plebis factus est concursus atque occursus. Descendentes vero ad eius tumulum invenerunt hominem *(Maurum nomine)*, quem ante attractum viderant . . . solutis genibus erectum stantem, ipsumque altare amplexu tenentem. et osculantem magnaque cordis alacritate Dominum collaudantem et b. Agrippino grates innumeras referentem „ quia integram valitudinem adeptus erat (*Lib. mir. S. Agrip.* n. 10). Oratorium igitur sive ecclesia S. Agrippini ea de causa *confessio* sive *confessionis cubiculum* etiam in laudato *Libello* appellatur, et aliquando ipsa et alia, quae in continenti erat ecclesia, sub uno eodemque titulo S. Agrippini et S. Ianuarii designata. Postea monasterium ibi iuxta ab Athanasio I. erectum fuit, quod *beatissimi Ianuarii sacerdotis et Christi martyris seu Agrippini confessoris Christi foris ad corpus* nuncupatum invenio in instrum. anni 942 (V. infra *Regest. Neap.* num. 47) et in aliis. Nunc inferior criptarum ordo oppletus est, et nulla de antiquissima huius episcopi basilica, praeter adytum ad ipsam, Scherilli coniectionibus indicatum, vestigia visuntur. Quae autem usque adhuc eiusdem, quamvis non tam remotae antiquitatis, in camera quadam effigies orbiculata depicta cum legenda SCS. AGRIPPINUS supererat, ea nunc omnino periit, nam opus tectorium ibi rimis fatiscens collapsum est.

Alia S. Agrippini ecclesia in regione Herculensi, platea Furcillensi, saeculo IX. iam exstabat et nunc adhuc exstat. Plura documenta de ea loquuntur. Fuit olim Estaurita tum nobilium, tum popularium de plathea Furcillae; postea fratribus ordinis S. Basilii a. 1615 concessa; nunc vero parochiae S. Mariae *ad plateam* sedes. De ea vide sis *Relatione della edificatione e dotatione della chiesa di S. Agrippino del dottor Gregorio Motillo* in SECCO, *Vita di S. Agrippino* p. 383.

Preterea in *Actis Visit.* archiep. Carafae a. 1557 recensetur quaedam cappella *S. Arpinelli* posita *intus fundacum de le colonne,* tota diruta. Ea, ut ex aliis *Actis Visit.* a. 1583 elicitur, tunc profanata fuit, et titulus in ecclesiam S. Sebastiani monialium translatus.

(3) De huius S. Episcopi nomine recte scribendo disseruit MAZOCHIUS. *De SS. Neap. epp.* p. 94. — In *Kalend. Neap.* marmoreo, et in *Catal. Blanchin.* vocatur *Eustathius;* ac in illo ad diem 10 maii adnotatur sic.: *Depositio Eustathii epi nri;* in hoc eum sedisse a. 17 sub Maximino, Gordiano et Philippo impp. dicitur.

In altario beatae Dei genetricis semperque virginis Mariae, que dicitur Cosmidi (1) populi devotio exequentes (2), conditus est, atque translatus.

VIII. EPHEVUS (3) episcopus (4).

Pulcher corpore, pulchrior mente plebi Dei sanctissimus prefuit, et fideliter ministravit (5). Ipse vero post quorumdam incursionibus (6) translatus (7) deductusque Neapolim ecclesiae Stephaniae reconditur (8).

(1) Haec ecclesia olim una ex septem Neapolitanae urbis diaconiis fuit. (Cf. instrum. a. 1017 in R. N. A. M. IV, 115) — In doc. a. 1140 habetur *Sergius subdiaconus S. Sedis N. E. qui vocatur Petalario seu Archediacono divine* (an diaconie?) *ecclesie S. Marie que vocatur a Cosmedi.* SABATINI, *O. c.* V. 48.— Circa haec tempora dicitur posita in regione Portenovense. SABATINI cit. VII, 35.

Postea una ex quatuor parochiis maioribus evasit, et ita adhuc habetur. — In ea a. 1616, die XVI. Kal. decembr. sub ara maxima, reperta fuerunt hujus b. Eustathii episcopi lipsana cum vetusta hac inscriptione, marmoreae urnae incisa: HIC REQUIESCIT CORPUS SANCTI EUSTASII CONFESSORIS. CARACCIOLO, *O. c.* p. 144.

(2) Hanc lectionem, cum sit aperte vitiosa, pro suo quisque captu olim refinxerunt. In Deciani Catalogi (i. e. *Catal. Sanctorum aliquot jussu . . . Decii Carafae arch. Neap. ab omnibuz ecclesiasticis Neapoli . . . celebrandorum* Neap. 1619) adnotatis sic scribitur: *populis devote exsequentibus*, quo modo et Caracciolus et Ughellus exhibuerunt. Chioccarellus in hunc modum: *populi devotionem exsequentes;* idque forsitan ex suo codice; nam cetaeroqui ne sic quidem oratio cohaeret. Atqui frusta laboraveris, si huiusmodi vitia extirpare omnia ex eius saeculi (quo sic plane scribendi mos erat) auctoribus adnitare. Hunc tamen locum, quia quam minima mutatione sanatur sic scribas licet: *populi devotione exsequente.* Porro *exsequente* tantumdem est quod *instante.* MAZ.

(3) Idem ac *Ephebus*, ut in *Kal. Neap.* marmoreo; nam *b.* et *v.* facile inter se permutantur. Chronographus vero, sicuti antea in Probi episcopi nomine luserat, parem prorsus allusionem et in Ephebo usurpavit. Allusio vero ex eo intelligitur quod aevo sequiore *Ephebus* idem erat, qui *pulcher.* MAZ.—Alii habent *Euphebium*, *Eufremum*, vel sine diphtongo *Ephremum*, *Efremum* et *Efrimum.*

De hoc episcopo nunc extat tantum *Libellus miraculorum*, quibus *post longa annorum curricula* ab ejus obitu *effulsit.* Illum memorant Baronius, Caracciolus, Chioccarellius aliique, et PAPEBROCHIUS ex Mss. erutum in Aa. Ss. *Bollandi* 23 Maji V. p. 236 primus integrum vulgavit. Ex eo fluxerunt lectiones Officii a. 1525 editae. Monumentum, de cuius aetate alibi dicam, infra iterum dabo.

(4) In *Catal. Blanchin.* Ephebum sedisse annis 9 sub Decio, Gallo, Volusiano, Aemiliano, Valeriano, et Gallieno impp. (a. 249-268) dicitur; at si *Vitae S. Ianuarii* graecae fides habenda *(Atti* cit. VIII, 239), eum ultra annum ae. v. 272, Quieto et Boldumiano Coss. episcopalem cathedram tenuisse, dicendum est. Ex Mazochii vero sententia episcopatus Ephebi commode ad tertium Christi saeculum aut quarti initium referri potest.

(5) *Depositio* S. Ephebi epi in *Kalend. Neap.* marmoreo, et in aliis ad d. 23 maii adnotatur.

(6) Langobardicas, ut Mazochius coniicit, vel etiam Saracenicas forte infestationes intelligit.

(7) Ephebus extra urbem sepultus fuit in coemeterio primum, quod ipsius nomine et oratorio insigne fuit, mox forsitan in ecclesia S. Fortunati, de qua infra dicam, deinde procul dubio in Stephaniam illatus. Iterum denique extra urbem post aetatem Iohannis diaconi ex Stephania in ipsam ecclesiam suo nomini consecratam eius lipsana invecta fuerunt, ut *Acta inventionis*, quae idem PAPEBROCHIUS l. c. edidit, testantur. Ibi, ut ex relatione fr. Guardiani Capucinorum, a. 1591 facta discimus, subtus altari majori, ex parte posteriore in muro tunc videbantur " tres imagines Sanctorum antiquissimae francico more depictae in habitu episcopali cum suo cuiusque nominis titulo superne, sic ut in medio esset *S. Eufrimus* hinc *S. Maximus*, et inde *S. Fortunatus.* Aderat sepulcrum coniunctum altari ex parte posteriori ipsius aliquanto elevatum..... supra quod sepulcrum iacebat extensa figura lapidea sculpturae rudis et antiquissimae in habitu episcopali " Aa. Ss. *Boll.* Maii, V, p. 241 — Ecclesia vero, quae a. 1539 fr. Capucinis concessa fuit, adhuc extat in suburbio civitatis orientem versus, et vulgo, post alteram Capucinorum ecclesiam alibi exstructam, *S. Efremus vetus* appellatur.

Effigiem denique eiusdem episcopi ex icone antiqua a Camillo Tutinio delineata Sabatinius in aes incisam l. c. dedit.

(8) *De* Marciano, Cosma, *et* Calepodio *neapolitanis epp. et de aetate in qua ipsi floruerunt*

MURATORIUS in notis ad Chronicon hoc nostrum, tres heic episcopos deesse autumat, Marcianum scilicet, qui Ephebi successor putatur, tum Cosmam qui sub Constantino magno Neapolitanae ecclesiae praefuisse perhibetur, Calepodium denique, qui synodo Sardicensi anno 347 interfuisse, et subscripsisse ex syncrono monumento eruitur. Eadem jam antea proposuerat Chioccarellius, nisi quod Cosimum eumdem ac Zosimum putavit, et Calepodium post Fortunatum, qui sequitur, episcopum posuit. Ita et Ughellius. Alii tamen alia sentiunt. Lucentius in add. ad *It. sacr.* inter Marcianum et Cosmam addit Iohannem, quem S. Ianuarii corpus e fundo Marciano, Neapolim transtulisse et Neapolitanis circa a. 525 sacra iura

ministrasse asserit. Contra Bollandista Papebrochius existimat nihil in Chronico deesse, Marcianum et alios, quos supra nominavi, viros, potius graecos fuisse episcopos, qui diversi a latino Neapolitanorum praesule graecis Neapoli commorantibus praeerant, ita ut uno eodemque tempore Calepodium et Fortunatum ibi floruisse dici possit. Auctor enim *Vitae S. Athanasii* Neapolim *introrsus binas praesulum sedes gestare* dixit; utpote quae duplicem populum, ut Baronius rem explicat, continuisset, latinum scilicet et graecum. Mazochius denique, cui accedit Parascandolo, Marcianum inter episcopos Neapolitanos admittit, sed eius aetatem ad tempora post *Chronicon episcoporum neapolitanorum* et post *Catalogum Blanchinianum* protrahit; de Cosma an quarto saeculo sub Constantino magno, vel octavo sub Constantino Copronymo floruerit, incertus est; Calepodium denique, praeter alios diversos modos, quibus huic difficultati occurrere conatur, ubivis potius quam Neapoli in Campania sedisse censet. Haec sunt, quae de his tribus episcopis apud scriptores disputantur. Ea igitur, atque monumenta, quae de ipsis habentur, ut eorum sive aetas, sive sedes apte investigetur, singillatim expendere nunc iuvat.

Et primum omnium de Marciano haec invenio. Teste Chioccarellio in antiquo Kalendario Ms. ecclesiae Neapolitanae; in alio ante vetustum breviarium item Ms. posito; in veteri quoque Missali ecclesiae S. Eligii et in breviario bibliothecae Cassinensis, inter manuscriptos n. 196 (corr. 193) signato, ad diem 30 octobris concorditer, praeter primum, ubi nota Neapolis deest, legebatur *S. Marciani episcopi et conf. Neapoli.* In *Kalend. Neap.* marmoreo eodem die 30 octobris cujusdam etiam S. Marciani memoria extat.

Praeterea huic episcopo sacellum dicatum olim visebatur ad gradus Cathedralis ecclesiae e regione turris campanariae, ascendenti ex obelisco S. Ianuarii in ipsam maiorem ecclesiam latere dextro. Totum vetustissimis picturis in pariete ornatum erat. Iam ab anno 1580, ut ex *Actis Visitationis* maioris ecclesiae ab archiepiscopo Annibale de Capua confectae eruitur, eo quod poene fatiscens esset profanatum fuit. Cum autem saeculo superiori ad amplificandam seminarii contiguam aedem omnino diruere decerneretur, Mazochius antequam praeclarae vetustatis monumento manus inferrentur illud accucurate descripsit, et picturae, quae aliarum antiquior sibi videbatur ac in imo pariete ex adverso ostii extabat, imaginem in aes incisam post librum dedit. Haec b. Virginem in throno sedentem, et puerum Iesum in ulnis gestantem in medio, atque ab eius dextro latere S. Marcianum et S. Restitutam, ab laevo S. Ianuarium, et S. Patrociniam (h. e. *Patriciam*), omnes stantes, repraesentabat. Singulis ad capita romanis characteribus, sed antiquitate nimia fugientibus inscripta nomina legebantur, ac inferius ante Deiparam ad dextrum latus episcopus sive archiepiscopus quidam, ad laevum presbyter, ambo flexis genibus et orantes, visebantur. Huius vero aediculae sive ecclesiae, quam idem Mazochius undecimo maxime saeculo aut ad summum ineunte duodecimo extructam putat, mentio habetur in quibusdam instrumentis a. 1222, 1225 et 1255, in quibus *ecclesia S. Marciani intus episcopio S. Neap. Ecclesiae* vocatur (*Notam. instrum. S. Gregorii* n. 228, 475. et 287).

Ex his omnibus igitur Marcianum Neapolis episcopum et ab Ecclesia Neap. etiam sacris honoribus decoratum fuisse perspicue evincitur; at qua proprie aetate ipse vixerit ita certe erui non potest. Mazochius, cum nomen eius omnino in *Chronico episcoporum Neapolitanorum* et in *Catal. Blanchin.* omissum vidisset, post saeculum IX eum floruisse contendit et inter annum 962 et 1065 sedisse coniicit. Post eum Parascandolo, tempora strictius definiens, inter a. 966, quo Gregorium episcopum, et a. 990, quo Sergium archiepiscopum, ex monumentis certos habemus, Marcianum collocat. Si enim ipse, ut hi ratiocinantur, per tota saecula novem priora Neapolitanam cathedram rexisset, certe Chronographo nostro et Catalogi auctori ignotus non fuisset. Hoc vero argumentum, nî fallor, parum aut nihil virium in se habet. Nam Mazochius idem pluries Neapolitanorum episcoporum seriem primis temporibus mancam procul dubio esse, et aevo ante-Constantiniano plures ibi extitisse episcopos, quam paucissimos illos in chronico memoratos, ultro fatetur. Muratorius quoque idem sentit. Nil igitur vetat cur in ipsis prioribus saeculis Marcianus, cuius nomen chronographi nostri diligentiam forte effugere potuit, ponatur. Et revera huic coniecturae favet, et nomen Marciani, quamvis sedes non denotetur, in *Kalend. Neap.* marmoreo inscriptum eo ipso die, quo in posterioribus Kalendariis Marcianus ille, Neapolitanus revera episcopus invenitur, et episcopi nota, quae ei usque in monumentis datur; cum, si inter a. 966 et 990 vixisset, archiepiscopali munere fungi deberet. Praeterea monumenta, quae saeculo IX extabant, a Neapolitanis excussa fuisse omnia, de quo Mazochius minime dubitari videtur, et Chronographum nostrum in errorem, quod humanum est, numquam incidere potuisse, haud facile quisque sibi persuaserit. His denique accedit vetus Neapolitanorum traditio, et *Vitae S. Ianuarii* graece scriptae, qualiscumque sit, auctoritas, ex qua Marcianum, qui C. Marius Marcianus dicitur, inter a. 278 et a. 302 post Ephebum in Neapolitana cathedra sedisse confirmari potest. Nam etsi de huius *Vitae* sinceritate, et an ipsa, uti nunc legitur. a. 500 composita fuerit, cum plura in ea sint, quae illam vetustatem minime sapiant, dubitari quis possit, tamen ratio certa et constans, qua facta pene omnia ibi traduntur, perspicue demonstrat vitam ipsam supra antiquiores laterculos forte saeculo VI. ineunte factam, postea a quodam Metaphraste aevo sequiore amplificatam, vel plerisque in locis interpolatam fuisse. Marcianus igitur, si recte video, post Ephebum Neapolitanam cathedram tenuit et bonis operibus usque ad initium quarti saeculi effulsit.

Si autem de Marciani aetate, quem omnes Neapolitanum episcopum recognoscunt, aliqui dubitant; contra de Calepodii sede,

cuius aetas ex monumentis certa est, a quibusdam disputatur. Is, ut Mazochius adnotat, ab S. Athanasio, qui in rebus his pars magna fuit, in *Apologia* contra Arianos c. 50 recensetur inter catholicos episcopos, qui Sardicensi Synodo interfuerunt (et quidem decimo loco post Iulii PP. legatos) quamvis omisso sedis nomine, quod etiam in ceteris episcopis reticetur, ac inde in subscriptionibus, quae in collectione conciliorum sardicensibus canonibus subnectuntur post Osium Cordubensem, et Vincentium de Capua statim tertio loco notatur, hoc modo: *Calepodius Neapolitanus.* Praeterea idem Calepodius, qui in aliquibus codd., ut Labbeus admonet, etiam *legatus S. Ecclesiae Romanae* dicitur, diserte Campaniae tribuitur in fragmentis Hilarii inter subscriptiones episcoporum Sardicensium (qui adfuerunt, et subscripserunt in iudicio, ut ibi dicitur) inter quas legitur: *Calepodius a Campania.*— Dubitari igitur non potest, quin Calepodius episcopus Neapolis in Campania fuerit a. 347, cum synodus Sardicensis contra Arianos haberetur.

Verum negotium facessit alius, quem eodem ipso tempore in Neapolitana cathedra sedisse comperimus, episcopus scil. Fortunatus, cui epistola haud diu post a praesulibus orientalibus Arianis missa habetur. Hi enim, cum ab occidentalibus minimum impetrare potuissent, ut Paulum Cpolitanum, et Athanasium e coetu suo excluderent, e Sardica discesserunt et apud Philippopolim Thraciae conventu seorsim habito (quem tamen ipsi Sardicensem synodum etiam vocant) *decretum* sive epistolam encyclicam ad omnes orbis episcopos ediderunt, qua, sui facti ratione exposita, in Athanasium et ceteros *homousianos* damnationis sententiam pronuntiarunt. Ea vero epistola inscribitur inter ceteros *Fortunato Neapolis Campaniae episcopo* nominatim (MAZZOCHI, *In Kalend. Neap.* p. 612 et ss.). Ita eodem fere anno 347 Calepodius et Fortunatus in Neapolitana cathedra inveniuntur, quod plurimum negotii habet, et haud facile explicari potest.

Huic vero difficultati pluribus modis obviam ire conatus est Mazochius tum in *Kalend. Neap.* tum in *Ss. Neap. Epp.*; at prae ceteris illam explicationem denique amplectitur, quae minus inter omnes probabilis, nî fallor, mihi videtur. Contra enim monumentorum fidem Calepodium cuiusdam in Campania sedis episcopum fuisse libenter concedit, hanc vero sedem Neapolim esse aperte negat. Et ad hanc sententiam nulla alia ratione impellitur, nisi ex Chronographi nostri silentio, qui, cum Fortunatum memorasset, de Calepodio tacuit. At, cum huius scriptoris reticentia nihil contra demonstrare possit, mihi satis probabile videtur, quod Mazochius idem primum omnium suspicatus est, scil. Calepodium tempore subscriptionis concilii Sardicensis i. e. a. 347 Neapolitanum pontificem fuisse; postea sive eodem a. 347 exeunte, sive potius a. 348, uti ipse etiam recte coniicit, Calepodio recens mortuo, Fortunatum a Neapolitanis in sede episcopali substitutum fuisse, cui schismatici patres epistolam direxerunt. Nil, si quid video, id prohibet credere. Unum autem, quod sciam, argumentum contra hanc sententiam afferri potest; diuturnitas scil. episcopatus Fortunati, uti in *Catal. Blanchin.* habetur. Si enim Fortunatus sedit annis 21, et a. 354 vel 355 Maximum successorem habuerat, iam ab anno 331 electum et proinde nullum Calepodio locum relictum fuisse concludendum erit. At de annis episcopatus undecim priorum Neapolis episcoporum quisque recte dubitare potest, cum ipsi in Chronographo nostro desiderentur, et ex confessione eiusdem Mazochii series in Fortunato, Maximo, et Zosimo praesertim omnino luxata sit. Forte vel ibi error irrepsit, vel ille qui *Catal. Blanchin.* compilavit in ineundis subducendisque rationibus suis male se habuit. Calepodius igitur, Cosmae, de quo mox sermo erit, successor, ab a. 324 ad a. 347 Neapolitanam cathedram tenuisse non inverisimile est.

Quae autem de duobus episcopis, altero graeco, altero latino, tunc uno eodemqne tempore Neapoli extantibus, vel de chorepiscopo pro graecis ibi commorantibus quidam nostri extcrique scriptores in medium attulerunt, ea omnia, utpote ab eodem Mazochio, ab Assemanio aliisque pluribus profligata, heic missa facio.

De Cosma denique, qui unus nunc superest, paucioribus me expediam. Is in Chronico nostro minime desideratur, sed Zosimi nomine, quamvis ordine praepostero, inscriptus est, Id ex Pontificum temporibus Zosimo ibi adscriptis, sub quibus episcopatus eius praecise adnotatur, facile erui potest. Nam fuit a temporibus Melchiadae PP. usque ad undecimum Silvestri annum, Constantino imperatore, scil. ab a. 310 usque ad a. 324, quod bene Neapolitanorum traditioni convenit. In *Chronico* enim *S. Mariae de Principio* cuiusdam S. *Cosmae* Neapolitani episcopi, tempore Constantini magni, mentio habetur, quem Pseudo-Villanus Neapolitanus *Zonium* nuncupavit. Ita ex eodem Zosimi nomine varie pronuntiato *Zonius* et *Cosimus* ortum est; de eo autem infra in notis ad Chronographum nostrum de Zosimo loquentem dicam. Heic tantum animadvertendum est memoriam Cosmae episcopi ad diem 16 m. augusti in *Kal. Neap.* adnotatam nullo argumento ad hunc Cosmam potius quam ad alium Calvi decessorem referri potest.

Ex dictis igitur ego sic Neapolitanornm episcoporum seriem per haec tempora compono. Post Ephebum inter a. 278 et a. 310, Marcianum colloco; huic successorem adscribo Cosmam, qui ab a. 310 ad a. 324 sedem Neapolitanam tenuit; Calepodium deinceps inter dictum annum 324, et usque ad a. 347 Neapolitanorum sacris praefuisse existimo. Postea eodem anno vel sequenti Fortunatus successit, quem excepit Maximus usque ad a. 357, cum ab Arianis in exsilium eiectus fuit et Zosimus haereticus ei suffectus. Huic denique episcopatui se abdicanti forsitan a. 363, successit Severus, a quo episcoporum nostrorum series minus manca et luxata esse incipit.

VIIII. FORTUNATUS (1) episcopus (2).

Sanctissimus extitit vitae, sanctissimis orationibus die noctuque indesinenter agens, regna caelorum, sicut desideravit, adeptus est (3). Qui sepultus foris urbem (4) quasi ad stadia quattuor; deinde post longo tempore (5), populi patrocinia ejus petentes, ab ecclesia sui nominis consecrata (6) transferentes, per manus pontificum conlocarunt in ecclesia Stephania, parti dextrae introeuntibus, sursum, ubi est oratorium (7), in caput catatumbae (8).

(1) Ad hunc Fortunatum animadverterunt Caracciolus, Ughellius, et alii, scriptam fuisse epistolam anno 347 sive 348 ab episcopis Arianis sub ementito nomine Sardicensis concilii Philippopoli coadunati. Apud LABBAEUM tom. II. *Concil.* inter alios episcopos *Fortunato Neapolis Campaniae Episcopo* eadem epistola inscripta legitur. MUR.

Quod autem idem Muratorius subiungit contra Nicolaum Fabrum, quem nomina episcoporum de suo addidisse ei epistolae in Mss. codd. *Fragmentorum* S. Hilarii pictaviensis insimulat, cum in Maurinorum editione absint, id MAZOCHIUS in *Comment. in vetus mar. S. N. E. Kalendarium* p. 613 profligavit.

(2) In *Catal. Blanchin.* Fortunatum episcopum sedisse a. 21 temporibus Claudii, Aureliani, Taciti, et Probi, scilicet ab a. 268 ad a. 282 dicitur; quod certe ex documento supra memorato falsum demonstratur.

(3) In *Kalend. Neap.* marmoreo ad diem 14 m. junii legitur: *Depositio Fortunati episcopi nostri.* Neque alias festum eiusdem designatum fuit in vetustissimis quibusdam officiis charactere Longobardo exaratis apud Chioccarellium, ipso eodemmet testante, p. 33, ac in antiquissimis codicibus tum neapolitanae ecclesiae, tum aliarum quarumdam ecclesiarum, ut Caracciolus affirmat p. 301. Postmodum XII exeunte aut XIII ineunte saeculo eius festum ad diem 26 februarii translatum fuit, ut ex Kalendario Tutiniano eruitur, quousque, eius cultu aliquanto obliterato, forsitan post a. 1589 ad m. junium, sed sequentem diem 15 restitutum fuit; in quo de eo PAPEBROCHIUS agit apud Aa. Ss. m. junii t.II, p.1052.

(4) Chronographus, quo proprie loco S. Fortunatus primum conditus fuerit, silentio praeterit, et de translatione inde facta nimis perplexe et involute loquitur. Verisimile tamen est, ut Mazochius suspicatur, primitus vel in coemeterio S. Ianuarii vel in viciniis iacuisse (Cf. MAZZOCCHI, *In Kalend. Neap.* p. 618); deinde octavo saeculo in ecclesiam sui nominis a Paulo seniore episcopo traductum, postea in Stephaniam, forsitan a S. Iohanne IV. collocatum; et denique, quo tempore incertum, sed omnino post nonum saeculum, in ecclesiam S. Ephebi, de qua supra memini, transvectum. Ibi a. 1589 eius et S. Maximi sui successoris lipsana inventa fuere cum marmorea tabella, sive lamina plumbea iuxta ENGENIUM, *Nap. Sacr.* p. 544, his verbis inscripta: HIC IACENT CORPORA SANCTORŨM MAXIMI ET FORTUNATI SUB PAULO I. . . . . . . Hanc vero inscriptionem mutilam putant Papebrochius et Mazochius atque varie supplent, quod ex Engenio negat SABBATINIUS *O. c.* IV, p. 33, sed certe nemo ipsorum ex monumenti inspectione sententiam suam confirmat.

(5) MAZOCHIUS l. c. hunc Chronici locum mutilum putat, et sic supplet: *Deinde post longo tempore* in ecclesiam sui nominis translatus fuit. Ac tandem *populi* etc.

(6) Haec ecclesia olim exstabat in suburbio extra portam S. Ianuarii inter sacras aedes S. Severi et S. Mariae Sanitatis, in loco ubi postea quaedam domus familiae Angrisanorum extructa fuit. Collacrimabiles eius reliquias ad profanos usus conversas Chioccarellius, qui ibi vetustissimas S. Fortunati et S. Maximi imagines pontificalibus vestibus ad parietem graeco more depictas vidit, l. c. memorat. Ea saeculo superiore ab iisdem Angrisanis Mazochio commonstrata fuit, in domuncula, quae foribus ecclesiae Sanctae Mariae Sanitatis e regione tunc obvertebatur in extremo vici, qui Angrisanorum nomen habebat, laevo latere. Cf. MAZOCHIUM *O. c.* p. 617.

Saeculo XV monasterium S. Mariae *domnae Albinae,* quod adhuc extat, dicebatur etiam S. Fortunati, ut ex documento a SABBATINIO l. c. allato eruitur.

(7) Idest *chorum* ecclesiae. Locum docte explicat MAZOCHIUS, *O. c.* p. 620, ubi *Disquisitio de veterum basilicarum oratorio* not. (354) habetur.

(8) Quod heic *catatumbae* cum *t* pro *catacumba* legatur non id errori amanuensium est imputandum; nam etiam Gregorins M. L. III. ep. 40 catatumbas habet. MAZ.

De vocis etymo alibi p. 898 ipse Mazochius disserit, et *Catacumbas* non aliud fuisse nisi *ad naves* vel *apud naves* ostendit. Haec primitus Romae propria appellatio sepulcri apostolorum apud Vaticanum fuit, eo quod in viciniis naumachia olim extabat, postea etiam ad Callisti coemeterium communicata, postremo quaevis vetera christianorum subterranea sepulcreta extra Romam communi *Catacumbae* nomine nuncupata fuerunt. Aliam *catatumbae* etymologiam ex *cata* et *tumba*, quasi *ad tumbas* proponit DU CANGE in *Gloss. med. et infim. lat.* ad. v.—Ad hanc Stephaniae catacumbam alludit auctor *Translationis Ss. Eutich. et Acutii* describens *imae telluris solo defosso terraneam domum.* Sed de ea alibi melius.

X. Maximus (1) episcopus (2).

Ab incunte aetate sua strenuus, et omnimodo moderatus, sancte ecclesiae militavit (3). Nam et ipse prius in ecclesia beati Fortunati sacerdotis et Christi confessoris est conditus. Nunc vero in oratorio ecclesie Stephanie partis leve introeuntibus sacro altario adeptus exultat (4).

(1) In *Libello precum* a presbyteris Marcellino et Faustino, Luciferiano schismati addictis, Valentiniano, Theodosio et Arcadio impp. circa a. 384 contra S. Damasum PP., S. Hilarium aliosque catholicos, qui cum Arianis haereticis ad fidem reversis communicare non abnuebant, porrecto haec de Maximo, neap. episcopo. habentur. „ Maximus quoque de Neapoli Campaniae eo quod esset inhabili stomacho et corpore delicatior, primum quidem, ut caderet, diu afflictus iniuriis, deinde, ubi ob animi constantiam fideique virtutem carnis infirmitate non vincitur, ductus est in exsilium, atque illic Martyr in Domini pace requievit „... et post alia plura; " Sanctus vir Maximus episcopus, cuius supra meminimus, fidem vindicans rectam consortiumque reprobans haereticorum, ductus est in exsilium. In loco eius praevaricatorem ordinant nomine Zosimum, qui et ipse prius fidem catholicam vindicabat. Res ista in Neapoli, civitate Campaniae, acta est. Cognoscit hoc sanctus Maximus, et de exsilio scribens dat in eum sententiam, non solum episcopali auctoritate, sed etiam aemulatione ac virtute martyrii fruens in gloriam divinam. Sed post aliquot annos beatus Lucifer de quarto exsilio Romam pergens, ingressus est Neapolim Campaniae, ut diximus, civitatem, ad quem Zosimus venire tentavit, illa forte fiducia quia scilicet iam de impietate correxisse videbatur. Sed hunc Lucifer confessor suscipere noluit, non ignorans, quae gesserat; imo et Sancti Spiritus fervore, Episcopi, et Martyris Maximi sententiam robustius exsequitur, dicens quod episcopatum ipsum, quem sibi, ut adulter vindicabat, speciali animadvertentis Dei iudicio non habebit, et hic quoque sentiet poenam suae impietatis. Sed non post multum temporis idem Zosimus, cum in coetu plebis vult exequi sacerdotis officia, inter ipsa verba sacerdotalia ejus lingua protenditur, nec valet eam revocare intra oris capacitatem, eo quod contra modum naturae extra os penderet, ut bovi anhelo. Sed, ut vidit se linguae officium perdidisse, egreditur basilicam, et res mira! foris iterum in officium lingua revocata est. Et primum quidem non intelligitur in eum compleri sententiam Martyris et confessoris: sed cum hoc ipsum toties iterum patitur, quoties in basilicam diversis diebus intrare tentavit; ipse postremo recognovit ob hoc sibi linguam inter pontificii sollemnia verba denegari, ut sanctorum episcoporum in eum rite prolatam sententiam probaret. Denique cessit Episcopatui, ut ei lingua, quae cesserat, redderetur. Non res antiquas referimus, quae solent quadam ratione in dubium venire. Vivunt adhuc praesentia ista documenta. Nam et Zosimus hodieque in corpore est, usum linguae non amittens, postquam maluit cum episcopatus amissione vivere, dolens suis impietatibus „ (Ex cit. *Libello*, quem primus edidit Sirmondus, a. 1650, ap. *Max. Bibl. vet. patr.* Lugd. V, 652 et ap. Gallandium, *Bibl. vet. patr.* VII, 461.

Quando haec facta superius relata acciderint neque *Libellus* ipse, neque documentum aliud aperte indicant. Sed ex variis eorumdem factorum circumstantiis facile argui potest Maximum a. circiter 356 in exsilium ab Arianis pulsum fuisse ob repudiatam Sirmiensis synodi formulam, et a. 362, quo Iulianus apostata episcopos exsules revocari iussit, iam defunctum; alioquin cum ceteris in sua sede reversum inveniremus.

Fuerunt vero qui, ut Chioccarellius, duplicem Maximum in Neapolitanorum episcoporum serie per haec tempora invexerunt, unum Zosimi decessorem eumdemque martyrem, alterum huiusmet Zosimi, Ariani, postquam is episcopatu se abdicaverat, successorem. At hunc errorem, in quem Baronius ex memoriae lapsu incidit, pluribus jam Mazochius coarguit, et nuper aliis novis argumentis, et praesertim ex autographo ipsius Baronii, ubi error deest, Antonius Trama opusculo: *Dell'unico Vescovo per nome Massimo nella sede dei Vescovi di Napoli*, Napoli 1873 in 4.° profligavit.

Neque heic denique praetermittendum videtur, quod in *Vita S. Ianuarii* ab Emmanuele monacho Graece scripta habetur, Maximum scilicet secundo episcopatus sui anno in exilium missum, eiecto Zosimo Ariano, postea vero eodem Zosimo episcopatui se abdicante, iterum in Neapolitanam cathedram restitutum fuisse. Quae an cum iis quae in *Libello* supra cit. de Maximi morte narrantur conveniant, alii videant.

(2) *Catal. Blanchin.* Maximum a. 22 sedisse sub Caro, Carino, Aureliano (Cf. Maz. in notis) et Diocletiano, et Maximiano impp. (a. 282-304) adnotat, quod quam falsum sit ex aetate huius episcopi, superius certis monumentis constituta, facile evincitur.

(3) In *Kal. Neap.* marmoreo festum S. Maximi ad diem 11 junii *depositionis* nota signatum inscribitur. Consentiunt eidem vetustissima quaeque alia Kalendaria ab Chioccarellio et Caracciolo adnotata; at in Kalendario Tutiniano illud ad diem 6 m. febr. transpositum habetur. Postea omnino evanuit, donec a. 1589, cum Ss. Maximi et Fortunati corpora invenirentur, eorum cultus revixit. Cf. Mazzocchi, *In Kal.* p. 688.

(4) Quatuor vario tempore S. Maximi translationes cum

XI. ZOSIMUS (1) episcopus (2).

Fuit temporibus Meltiede (3) jam dicti papae (4), usque ad undecimum Silvestri papae annum, et Constantini imperatoris. Hic sanctus Silvester exilio fuit in monte Serapi, et postmodum rediens cum gloria, baptizavit Constantinum augustum, quem curavit Dominus a lepra. Iste primus Imperatorum christianus effectus, licentiam dedit christianis libere congregari, et ad honorem Christi basilicas construi. Ipse autem fecit Romae, ubi baptizatus est, Basilicam beati Ioannis Baptistae, quique inter alias constructas ecclesias, etiam et in urbe Neapoli basilicam fecit, asserentibus multis, quod sancta Restituta fuisset (5). G.pont. Isid. Beda

Huius Constantini temporibus heresis Ariana exoritur, Nicaenumque concilium trecentorum decem et octo patrum a Constantino ad condemnationem Arii congregavit, et damnaverunt Arrium, et Fotinum, et Sabellium vel sequaces eorum. Isid. G.pont.

S. Fortunato communes, Mazochius memorat. 1 ex loco exsilii in ecclesiam extramuranam S. Ianuarii, quam ex sequentibus arguit, et ante annum 362 contigisse putat; 2 inde in ecclesiam S. Fortunati sub Paulo episcopo post medium octavi saeculi, quod ex inscriptione ad sepulcrum apposita probat; 3 ex ecclesia S. Fortunati in Stephaniam, ut chronographus supra asserit; et 4 e Stephania in ecclesiam S. Ephebi, ubi 1589 eorum corpora inventa fuere.

(1) Muratorius Chronographum nostrum reprehendit eo quod inter Neapolitanos antistites Zosimum hunc adnumeraverit, quandoquidem, pulso in exsilium Maximo, legitimo pastore, ab Arianis in eius locum Zosimus iste, uti supra innui, intrusus fuerit. At ego minime mihi persuadeo scriptorem ipsum tantae ignorantiae, vel negligentiae in rebus ad fidem spectantibus fuisse, ut vel de Zosimi haeresi nesciverit, vel haereticum et Arianum hominem inter tot catholicos sanctosque episcopos adscribere non renuerit. Nam apud Neapolitanos saeculo nono malam Zosimi ipsius famam non obsolevisse nobis compertum est. Paulus enim, diaconus Neapolitanus, in *Vita S. Mariae Aegyptiae*, quam de graeco in latinum transtulit, cum prope ab initio de quodam monacho Palaestinorum, cui nomen idem erat, dicturus esset, Zosimum illum *in praedicationis erroneae dogmatibus occupatum sectae alterius* (gr. ὡς ἑτερόδοξον) ab hoc, de quo agere aggreditur, expresse distinguit. Rectius ergo Chronographum nostrum in Maximi et Zosimi aetate allucinatum fuisse exsistimo, et Zosimum, sive Cosimum laudati Maximi decessorem cum Zosimo Ariano, qui in Maximi locum suffectus fuerat, confudisse arbitror.

(2) In *Catal. Blanchin.* Zosimus a. 14 in neapolitana cathedra sedisse proditur, quod Chronographi nostri ratiocinationi, qui eius episcopatum inter a. ae. v. 310 et 324 includit, optime convenit.

(3) *Meltiede* pro *Meltiadis*— In antiquis pluribus hic pontifex *Meltiades* dicitur, qui nunc passim *Melchiades* vocatur. MAZ.

(4) Nullam in superioribus *Melchiadis papae* mentionem vidimus. Ergo hinc intelligas aliqua desiderari in hoc opusculo, fortasse deperdita ex librariorum incuria. MUR.

(5) Constantinum magnum urbem Neapolim quandoque adiisse, et in ea plures fundasse ecclesias olim apud nostros homines vulgo creditum fuit (Cf. *Chron. S. Mariae de Principio* l. c. PSEUDO-VILLANUS, *Chronica di Partenope* I, 41; et ex eis SUMMONTE. *O.c.* I, 329, etc.). At fabulosas has traditiones fuse redarguit inter alios, quos mitto, ASSEMANI, *O. c.* t, II. p. 272 et ss. Antiquiora enim, quae extant, monumenta de eius in urbem Neapolim adventu tacent, et unam tantum sacram ab eo vel potius eius iussu conditam aedem memorant. BEDA, *De sex aetat. mundi* scribit Constantinum fecisse *basilicam in urbe Neapoli.* Praeterea auctor vitae S. Silvestri PP. sive *Liber Pontificalis* haec, quae ad sacram neapolitanae urbis historiam faciunt, habet. " Eodem tempore fecit basilicam beatissimus Constantinus Augustus in urbe Neapolitana, cui obtulit et dona haec. Patenas argenteas duas, pensant. sing. libras 25; scyphos argenteos duos, pensant. sing. libras 10; calices ministeriales, pensant. sing. libras duas; amas argenteos, pensant. sing. libras quindecim; phara argentea 20, pensant. sing. libras octo; phara aerea 20 pensant. sing. libras decem— Fecit autem formam aquaeductus per milliaria octo. Fecit et forum in eadem civitate et donum obtulit hoc. Possessionem Machari, praestantem solidos 150. Possessionem et Cymbranam, praestantem solidos 105. Possessionem Hyrclinam (*al.* Hyrchinam) praestantem solidos. 108. Possessionum Affiles. praestantem solidos 150. Possessionem Ninfulas, praestan. solidos 90. Possessionem Insulam cum castro praestantem solidos 80. „ *Lib. Pontif.* ex edit. BLANCHINII, t. I, p. 52.

Alii, ut ADO, viennensis episcopus; addunt basilicam in urbe Neapoli miro opere exornatam fuisse in honorem Ss. Apostolorum et Martyrum, vel, ut IOHANNES Monachus in *Chron. Vulturn.* eamdem mire pulchritudinis S. Salvatori dicatam dicunt. Nostrates denique, aut dubitanter, ut Chronographus noster et auctor *Vitae S. Athanasii*, aut asseveranter, ut *Catal. Blanchin.* eam in illa, quae postea ex illatis ibidem S. Restitutae reliquiis eius nomen accepit, recognoscunt.

Quaestionem autem diu apud nos de una, vel duabus in Neapolitana urbe cathedralibus agitatam, neque adhuc definite iudicatam, alibi, ut instituti mei ratio est, leviter attingam.

XII. Severus episcopus (1) sedit annos xlvi (2), menses ii. dies xi.

Hic fecit basilicas (3) IIII; (4) unam foris urbem iuxta sanctum Fortunatum (5), et aliam in civitatem mirifice operationis, in cuius apsidam depixit ex musivo Salvatorem cum xii.apostolos sedentes, habentes subtus quattuor prophetas, distinctos pretiosis marmorum metallis. Esaias cum olive coronam nativitatem Christi, et perpetue virginitatis Dei genetricis Mariae designare voluit, dicendo: *Fiat pax.* Hieremias per uvarum offertionem virtutem Christi, et gloriam passionis prefiguratur, cum dicitur: *In virtute tua.* Danihel spicas gerens, Domini adnuntiatur secundum adventum, in quo omnes boni et mali colliguntur ad iudicium. Propterea dictum est: *Et abundantia.* Ezechias (6) proferens manibus rosas et lilias, fidelibus regnum caelorum denuntians; unde scriptum est: *In turribus tuis.* Etenim in rosis sanguis martyrum, in liliis perseverantia confessionis exprimitur.

Prius ipse foris urbem iacuit in ecclesiam sui nominis consecratam. Nunc vero requiescit in ea ipsa ecclesia Neapolim constituta, quem alii Severianam, alii propter oratorium ibi factum sanctum Georgium (7) vocant (8). Et [fecit (a) monasterium sancti Martini,

(a) *Haec, quae uncis inclusi, a secunda manu, poene coaeva, addita fuerunt.*

(1) De hoc episcopo duo synchrona monumenta habentur, quorum alterum est epistola S. Ambrosii ad Severum episcopum, quem Neapolitanum fuisse ex mentione *Campaniae*, ubi eum degere videtur, satis liquet; alterum est alia Symmachi Decio, Rectori Campaniae missa, epistola, qua Severus idem commendatur. Haec, quae eiusdem episcopi laudes continet, ita sese habet.

" *Symmachus Decio.* Habeant fortassis aliae commendationes meae interpetrationem benignitatis. Ista iudicii est. Trado enim sancto pectori tuo fratrem meum Severum episcopum, omnium sectarum attestatione laudabilem; de quo plura me dicere, et desperatio aequandi meriti et ipsius pudor non sinit. Praeterea testis, non laudatoris partes recepi, tibi reservans morum eius inspectionem. Quam cum penitus expenderis, reperies me cessisse eius potius laudibus, quam per negligentiam defuisse. Vale „ (Symmachus, *Epist.* L. VII, n. 51.)

Extat etiam *Vita S. Severi* a Chioccarellio et Caracciolo memorata, quam Ughellius *O. c.* t. VI edidit et *Bollandistae* in Aa. Ss. ad d. 30 april. p. 768 inseruerunt, atque ego infra iterum dabo. De eius aetate tunc disserendum erit. Heic tantum animadvertere iuvat illam ex duabus partibus conflatam esse, quarum prima saeculo IX forsitan, altera certe seculo XI exeunte compilata fuit.

Ex hac vita fluxerunt antiquae lectiones, quae in eiusdem festo recitabantur et in *Officio S. Ianuarii et aliorum*, quod pluries supra memini, a. 1525 impressae fuerunt.

(2) Ita et in *Vita* cit.; at *Catal. Blanchin.* annum unum adiicit, numerans annos episcopatus 47, m. 2, d. 11.

(3) Quatuor basilicas a Severo fundatas Chronographus noster adnotat; at ex eis duas tantum designat, nisi in ipsis, uti Mazochius facit, monasteria S. Martini et S. Potiti adnumerare velis. Quintam vero, ut in nota sequenti innuo, vitae auctor adiecit.

(4) Heic auctor *Vitae*, et antiquum *Lectionarium* quaedam de S. Ianuarii basilica *foris portam huius civitatis milliario uno*, nimirum extramurana, interpolant.

(5) Haec ecclesia, ex qua ad *catacumbam S. Severi* aditus patet, et in qua ipse sepultus fuit, postea *sui nominis* consecrata, ut eiusdem *Vita*, et *Catal. Blanchin.* addunt, nunc vulgo *S. Severo alla Sanità* dicitur. Anno 1573 ab archiepiscopo Mario Carafa fratribus Conventualibus concessa fuit, qui, cum novum ibi templum excitarentur, veterem cryptam poene obsoletam reddiderunt.

(6) Hic *Ezechiel* potius dicendus esset; at et apud alios aevi sequioris scriptores *Ezechiam* pro *Ezechiele* legisse Mazochius monet.

(7) In hac ecclesia prima in urbe post cathedralem *plebs* sive parochia constituta fuit, ut ex eodem Chronographo nostro (n. 18) arguere licet. Olim in vetustissimis membranis ad ipsam pertinentibus, quas nunc poene omnes deperditas dolemus, ac in aliis etiam quam plurimis adhuc superstitibus scripturis *S. Georgii catholicae maioris*, unde praesens nomen, vel *S. Georgii catholicae maioris, quae est ecclesia Seberiana*, aut *Severiana* nuncupata reperitur, et *iuris sanctae Neapolitanae ecclesiae* declaratur. Ibi quoque mentio habetur *congregationis ecclesiae Severianae* in a. 962 (R. N. A. M. t. II p. 97) et *Stauritae ecclesiae Seberianae*, cui in a. 1138 archiprimicerius, ac itidem monasterii ac hospitalis rector, Petrus diaconus S. Sedis N. E. praeest (Engenio *O. c.* p. 42). Ex ea proinde titulum abatialem sumpsit unus ex septem diaconis cardinalibus Ecclesiae Neapolitanae (Cf. Sparano, *Mem. della Chiesa Nap.* t. I. p. 159).

(8) A. 1310 Humbertus, neapolitanus archiepiscopus, b. Severi corpus, intus marmoream arcam collocatum, in alta-

et sancti Potiti martyris (1)]. Fuit autem temporibus Silvestri pape, et Constantini augusti, et perduravit usque ad Damasum papa (2), transiliens apostolicos hos, Marcum, Iulium, Liberium, Felicem (3).

re maius eiusdem ecclesiae transtulit, in quo etiam, ut CHIOCCARELLIUS p. 198 testatur, pulcherrimam umbellam e levigatis marmoribus, quatuor suffectam columnis, quatuor itidem evangelistarum statuis superius aptavit. Novae translationis memoria versibus, quos ipse Chioccarellius refert, posteris mandata fuit.

(1) IANNONIUS, *Storia Civile*, II. 8. fundationem monasterii S. Martini a Severo episcopo factam ridet, eo quod S. Martinus tunc adhuc in vivis esset, cum iam Severus obierat. Verum ex accuratiore episcoporum nostrorum chronologia satis recte probari potest Severum circiter 8, vel 9 annis post Turonensem episcopum vitam produxisse, vel, si id non placet, probabili coniectura statui monasterium, de quo agitur, primitus aliis dicatum, tempore succedente, S. Martini titulum habuisse, et Chronographum nostrum ad haec tempora, Severo posteriora, cum ita illud appellasset, respexisse. — Duo autem S. Martini titulo monasteria in nostra urbe ex monumentis habemus, unum monachorum, quod in testamento Sergii Amalphitani a. 1026 (CESTARI, *Ann. del r. di Nap.* t. VII. p. 605) et in instrum. a. 1279 (*Notam. instrum. S. Greg.* n. 275) memoratum invenio; alterum *puellarum Dei* sive monialium, de quo extat mentio in doc. a. 916 (R. N. A. M. t. I. p. 19). Monasterium monachorum, quod verisimiliter heic Chronographus noster innuit, et de quo verisimilius loquitur S. Gregorius in *Epist.* L. III. ep. 23 et V. ep. 15, in regione Capuana positum fuisse putatur, ubi postea ecclesia usque ad saeculum XVII. S. Martino dicata remansit, quae inde in monasterium S. Mariae *de pace* abolevit. — Monasterium vero S. Martini monialium ibi ego extitisse putaverim, ubi S. Mariae *domnae reginae* asceterium fuit. Nam in ipsomet documento, in quo S. Martini mentio habetur, memoratur etiam terra quaedam *iuxta campum* ipsius monasterii et iuxta *murum publicum*, ac *carbonarium publicum*. Cum autem aliunde compertum sit antiqua moenia Neapolis eo usque septentrionem versus processisse, et *Carboneti*, sive *Carbonarii*, ubi iam olim ecclesia S. Petri *ad carbonetum* extabat, nomen adhuc supersit in viciniis, in via, quae vulgo audit *S. Giovanni a Carbonara*: verisimiliter coniici potest ipsum monasterium ibi olim extitisse. Sequiori aevo coenobium evanuit, sed ecclesia per alia tempora permansit. Memoratur enim in instrumento anni 1227, et posita dicitur *intus curte maiori Neapolitanae Ecclesiae* (R. N. A. M. t. 1. p. 191) et ad eam pertinens, unde titulus etiam cuiusdam praebendae presbyteralis canonicorum in Ecclesia Neapolitana prodidit. Item in *Actis Visit.* a. 1542 adnotatur *cappella S. Martinelli in platea S. Mariae ad Cellaro*. Postea profanata fuit et beneficium in ecclesia Sanctae Restitutae translatum. Eius vero situs clarius exprimitur in quodam volumine penes archivum S. Visit. in archiepiscopali Curia Neapolitana adservato, cui titulus: *Documenti per l'Ill. e Rev.mo Capitolo della Cattedrale.* Ibi n. 3 in nota praebendae presbyteralis S. Martini adnumeratur census *sopra un comprensorio di case sito dirimpetto la porta piccola, e porteria del monistero di Donna regina per l'antica chiesa di S. Martino incorporata in detto comprensorio di annui d. 21. 56 siccome appare dalla visita di Annibale di Capua.*

Monasterium vero S. Potiti ordinis S. Benedicti olim extabat Neapoli in regione Summae Plateae loco qui dicitur l' *Anticaglia*. Postea a. 1615 in suburbio translatum fuit, ubi nunc ecclesia eius nomini dicata adhuc extat. Porro quid S. Potitus cum Neapoli commune habeat prodidit CARACCIOLUS *O. c.* p. 139.

(2) Verbis quae supra leguntur Chronographus noster, et auctor *Vitae* supra laudatae Severum inter annum 314, et annum 384 Neapolitanam cathedram tenuisse affirmant, vel, ut infra strictius adnotant, ab anno 326, ad annum 366. At uterque omnino fallitur. Nam huius episcopi aetatem ad posteriora tempora referendam esse monumenta testantur. Cum enim epistola, quam supra memini, ab Ambrosio, quem a. 340 natum scimus, scripta fuerit, uti dicitur, annum tertium et quinquagesimum agente, facile colligitur illam procul dubio in anno 393 collocandam esse. Neque alia epistola Symmachi ad Decium, quam supra etiam innui, ante annum 360 assignari potest. Rectius igitur *Catal. Blanchin.* atque recentiores Baronius et Chioccarellius ad ulteriora tempora Severi aetatem produxerunt et melius etiam Ughellius, qui eum circa annum 367 electum fuisse affirmat. Ceterum si *Vitae S. Ianuarii* ab Emmanuele graece scriptae fides habenda esset, epocha huius episcopi pressius definiri posset. Tradit enim mortuo Maximo Arianisque arianum episcopum eligere conantibus, ac catholicis contra negotium S. Ianuario commendantibus, tandem octo post mensibus ind. VI. Iuliano Aug. IV. et Salustio Coss. beatum ac genere nobilem Severum electum fuisse. Qui ind. VII. Honorio. Aug. VIII et Theodosio iuniore III. Coss. mortem obiit, beatissimo martyre ei apparente et ad caelestia gaudia eum advocante (*Vita S. Ianuar.* n. 29). Severus igitur ex hac ratiocinatione a. 363 ae. v., 8 mensibus post mortem Maximi, qui die 11 m. junii praecedentis obierat, scil. die 18 m. febr. ad episcopalem neapolitanae urbis sedem ascitus fuit, et a. 409 post a. 46, m. 2, d. 11, in die 29 aprilis vitam obiit. Cf. FALCONE, *Vita di S. Gennaro* p. 461.

(3) In *Kalend. Neap.* marmoreo *Depositio S. Severi ep. nostri* ad diem 29 aprilis adnotatur; ut et in *Kalend.* Tu-

G.pont. Silvester Papa constituit, ut chrisma ab episcopo conficeretur. Et pribilegium episcopi, ut baptizatum confirmet propter hereticam suasionem. Et hoc constituit, ut baptizatum liniret presbyter chrisma levatum (a) de aquam, propter occasionem transitus mortis. Hic constituit, ut diacones in ecclesia dalmaticas uterentur, et palia linostima leva eorum tegeretur. Hic constituit, ut sacrificium altaris non in sericum, nec in pannum tinctum celebrari, nisi tantum in lineum terrenum procreatum, sicut corpus domini nostri Ihesu Christi in sindonem lineam mundam sepultum. Sedit sancti Silvestri tempore beatus Severus annos XII. (b) et supervixit ann.
G.pont. XXIV (1). Post Silvestrum Papam, sedit Marcus papa annos II., menses VIII, dies XX.; et post eum Iulius papa sedit annos XV menses II, dies VI.

Fuit autem temporibus Constantini, et Constanti fratris sui (2), qui Constans arrianus
Isid. effectus catholicos toto orbe persequitur. Cuius etiam favore fretus Arrius Constantinopolim pergit, adversus ecclesiam iterum dimicaturus. Divertens per forum Constantini ad necessariam cau-
G.pont. sam, viscera ejus repente simul cum vita effusa sunt. Liberius papa sedit annos VI. menses III. dies IV. Fuit temporibus Constantini, filius Constantini, usque ad Costantio. Hic exilio deputa-
Beda tur. Athanasius Alexandriae episcopus, cum a Costantio quereretur ad poenam, honorifice su-
Isid. sceptus est. Donatus, artis grammatice scriptor, ac preceptor Hieronimi, Romae insignis habetur.
Beda Beatus Antonius monachus centesimo quinto aetatis anno in heremo moritur. Ossa Andreae apostoli, et Lucae evangeliste Constantinopoli transferuntur. Hilarius Pictaviensis episcopus,
G.pont. qui pulsus ab Arrianis in Frigia fuerat, Gallias redit. Felix Papa sedit annum I. menses III. dies II. Hic declaravit Constantinum, filium Constantini hereticum, et secundo rebaptizatum ab
Hier. Eusebio Nicomediense, juxta Nicomedia in Aquilone villa. Iuliano (c) apostata, imperatore facto (d) ad dolorum cultum converso, blanda persecutio fuit, inliciens magis, quam impellens ad sacri-
Isid. ficandum, in qua multi voluntate propria corruerunt. Qui etiam dum in odio Christi templum Hierosolymis Iudaeis reparare permisisset, atque ex diversis provinciis Iudaei collecti, nova templi fundamenta iacerent, subito nocte obruto terremoto, saxa ab imo fundamentorum excussa, longe lateque sparsa sunt. Ignis quoque ab interiore aedi templi egressus, plurimos eorum suo prostravit incendio. Quo terrore reliqui pavefacti, Christum confitebantur inviti. Et ne hoc casu crederent factum, sequenti nocte in vestimentis illorum crucis apparuit signum.

Hier. Eodem tempore sanctus Athanasius episcopus Alexandriam revertitur. Pagani apud Seva-
Beda stem Palestine urbis sepulcrum beati Iohannis baptistae invadunt, ossa dispergunt. Eadem rursum collecta et cremata latius dispergunt. Sed Dei providentia adfuerunt ex Hierosolymis monachi, qui mixti colligentibus, quaeque ipsi poterant, ablata, ad patrem suum Philippum pertulerunt. Post multum vero temporis sub Theodosio principe, Theophilus eius urbis pontifex, destructo Serapis sepulcro, sancti Iohannis ibidem consecravit ecclesiam.

Isid. Iobianus, dum se ab exercitu imperatorem fieri conspiceret, se christianum adfirmans, paganis praeesse non posse asserens. Et illi: *Nos* (inquit omnis exercitus) *qui per Iulianum nomen*
Beda *Christi abiecimus, tecum Christi esse volumus.* Quibus auditis, imperii sceptra suscepit, et honorificis atque officiosissimis literis beatum Athanasium requisivit; ab ipso formam fidei, et ec-

(a) *In cod. eadem manu corr.* lebatum.

(b) *Numerus in cod. abrasus fuit.*

(c) *In cod.* Iul.....

(d) *Verba* imperatore facto *in loco abraso rescripta fuerunt.*

tinii; postea circa finem saeculi XIII festum eiusdem ad sequentem diem 30, quo nunc colitur, translatum fuit. V. MAZZOCCHI. *In Kalend.* p. 257 et *De Ss. Neap. epp.* p. 244.

(1) Hi numeri in unum collecti 36 annorum summam faciunt. At supra Chronographus ipse a. 46 adnotavit. Error heic igitur inest, et 34 pro 24 legendum.

(2) Imo *Constantii fratris sui*, *qui Constantius Arrianus* etc.

clesiarum disponendarum suscepit modum. Sed eius pia laetaque principia mors inmatura corrupit (1)

XIII. URSUS (2) episcopus sedit annos IV.

Fuit autem temporibus Damasi papae, et Valentiani augusti.

Ambrosius Mediolanensis ecclesiae episcopus ad fidem rectam Italiam convertit. Hilarius episcopus Pictavis moritur. Beda

Ipse vero Ursus episcopus sepultus est (3) in cymiterio foris ab urbe, ubi et beatus requievit (4) Ephevus.

XIV. IOHANNES (5) episcopus sedit annos [XXVII (a)].

Hic tante severitatis plenus fuit, ut etiam sanctus Paulinus Nolanae sedis episcopus, sicut in vita sua (6) legitur, eum accersiret atque vocaret ad Christi gloriam intuendam (7).

(a) *Numerus* XXVII. *postea in cod. additus fuit, ut Waitz adnotat.*

(1) In vita Damasi Papae Anastasius Bibliothecarius, sive alius quisquam Scriptor eo longe antiquior, schisma narrat Ursicini, qui Damaso legitime electo litem duram creavit, electus et ipse a factione sua ad cathedram Petri. Illic autem legitur: *Constitutus est Damasus, et Ursicinum eiecerunt ab urbe, et constituerunt eum Neapoli episcopum.* Baronius, Caracciolus, Ughellius, et alii negant, Ursicinum unquam episcopum Neapolitanis datum; tum quod in Galliis exulare coactus fuerit, tum etiam quod Faustinus, et Marcellinus in *Libello precum* supra memorato Ursicino faventes, nullam huius episcopatus mentionem habent. Praeterea in *Vita S. Severi* apud Ughellium Ursus diaconus eiusdem Severi nepos in episcopatu successisse dicitur. Sed non haec ita certa ut omnem de episcopatu Ursicini suspicionem avellant; nam Damasi vita longe antiquior est vitis Neapolitanorum antistitum, atque ea docere nos potest, quae Iohannes Diaconus ignorarit. Ursicinus autem, quem alii *Ursinum* appellant, non statim a confirmata electione Damasi in Gallias relegatus est, sed diu in Italia se continuit. Potuit autem praecedere episcopatum Severi. MUR.

Mazochius contra in *Kalend. Neap.* marmoreo Ursicinum istum Damasi aemulum unquam Neapoli consedisse negat. At postea in opere: *De Ss. Neap. Epp.* eum aliquando ante Severum Neapolitanam cathedram, brevissimo tamen tempore, invasisse suspicatur. Ego vero in re tam dubia et obscura nihil certi affirmare audeo; sed, ut *Libri Pontificalis* testimonium apte explicem et cum episcoporum nostrorum chronologia concilliem, in hanc sententiam venio, ut Ursicinum Neapolitanum episcopum certe constitutum, numquam vero factu sedem occupavisse censeam. Ceterum haec, ut Muratorii verbis utar, dubitantis specie, non affirmantis scripsisse mihi licuerit.

(2) Ursus hic, de quo etiam *Vita S. Severi* loquitur, non Damasi temporibus, ut Chronographus noster, et *Catal. Blanchin.* sed, ut ex supra notatis eruitur, medio fere saeculo serius vixit; quod testimonio quoque graecae *Vitae S. Ianuarii* n. 29 firmari potest. Ibi enim Ursus Varano et Tertullo Coss. ind. VIII. (a. 410). Neapolis episcopus habetur.

(3) In *Kalend. Neapol.* marmoreo ad diem 21 februarii adnotatur: *Depositio Ursi episcopi nostri.* In aliis recentioribus eius festum deest. Male autem quidam nostri scriptores dubitant, an Ursus hic, de quo in *Kalend. Neap.* mentio, alter Ursus fuerit, quem saec. IX. in sede Neapolitana ponunt, nam hic neque episcopus, neque electus Neapolitanus unquam fuit.

(4) Ita in cod. Male vero in editis *requiescit.* Nam iam supra Chronographus dixerat Ephebum in Stephania translatum fuisse. Mazochius errorem vidit et emendationem proposuit.

(5) Chronographus noster Iohannem hunc, qui primus in Neapolitanorum episcoporum serie habetur, ad anteriora tempora retrahit, scilicet ad annos 376-398. *Catal. Blanchin.* aliquanto ultra usque ad a. 401 progreditur. Ex monumento autem, quod infra iterum dabo, eum serius vixisse certo eruitur.

(6) *Vitae* nomine epistolam Uranii *de obitu S. Paulini* intellige. MAZ.

(7) In supra memorata Uranii presbyteri epistola *de obitu S. Paulini Nolae episcopi* ad Pacatum scripta haec de Iohanne nostro habentur: " Verumtamen et hoc, quod ad meritum sancti Paulini pertinet, veneratio tua debet agnoscere, quod etiam sanctus Iohannes, Neapolitanae urbis episcopus, a domno Paulino de hac vita ad Christum accersitus atque evocatus agnoscitur. Nam ante diem tertium, quam de hoc mundo sanctus Iohannes ad Dominum migraret, retulit se vidisse sanctum Paulinum, angelica dignitate vestitum atque ornatum, totum niveum, totum sidereum, atque odore ambrosio renidentem, favum etiam candidissimum (candidissimi *Cod. Corsin.*) mellis in manu tenentem ac dicentem sibi: *Frater Iohannes, quid hic facis? Solve vincula taediorum tuorum, et iam ad nos veni; haec enim esca, quam in manu teneo, apud nos satis abundat.* Et cum haec dixisset, complexus est eum, et immisit in os eius partem favi illius: cuius dulcedinem atque odorem ita S. Iohannes concupisse se dixit, ut si sibi in ipsa revelatione potestas fuisset, ab eius vestigiis nullo modo recessisset. Et tamen non diu dissimulavit. Nam excitatus a somno eadem die, idest Quinta Feria, iuxta con-

Post triduum autem deposito (1) corpore, neophitorum pompa prosequente, in eo oratorio, ubi manu sua dicitur condidisse beatissimum martyrem Ianuarium a (2) Marciano sublato, et ipse parte dextra humatus quievit. Nunc in ecclesia Stephania, ubi beatus Fortunatus, similiter parti dextre quiescit.

Fuit autem temporibus Damasi, et Siricii papae, et Valentiniani et Valentis, Gratiani et Theodosii imperatoribus.

Isid. Huius Gratiani diebus Martinus, episcopus Turonis, Galliae civitatis, multis miraculorum signis

Marcel. effulsit. Gregorius Nanzianzenus, facundissimus Christi sacerdos, et Hieronimi praeceptor. ecclesia apud Vizantium ab Arrianis capta, plebem catholicam in beatae Anastasiae oratorio catholico cotidianam adlocutionem continuit. Sepe namque pravorum conviciis insectatus est. Sed gratia Christi praeditus usque ad id tempus, quo eadem ecclesiam sui praesentiam catholicis est reddita, perfidis obstitit Arrianis. Nam his consulibus (3) Theodosius Magnus, postquam de Scythicis gentibus triumphavit, expulsis continuo de orthodoxorum ecclesiam Arrianis, qui eam per quadraginta

suetudinem suam, remunerans omnes clericos atque pauperes sanus dominicam cenam celebravit. Sexta vero (*a cod. Corsin. abest:* vero) feria orationi vacavit. Sabbato autem secunda hora diei ad ecclesiam laetus processit, ascenso tribunali ex more populum salutavit; resalutatusque a populo orationem dedit, et collecta oratione spiritum exhalavit. Ea tamen nocte in ecclesia vigilatum est. Postero autem die, idest Paschae, illuminatis lampadibus cum ingenti Neophytorum pompa, prosequente etiam multitudine populorum, usque ad sepulcrum gloriosam atque laudabilem sepulturam adeptus est. (URANII, *Epist.* ap. MAZOCHIUM cum *cod. Corsin.* collata in *O. c.* p. 253).

Postea, tempore procedente, haec narratio ab Iohanne I. (cuius memoria et veneratio sensim aboleverat) in Iohannem IV. vulgo transfusa fuit. Sic porro Iohannes Cimiliarcha, cum saeculo XIII. vitam huius episcopi, qui, ut infra videbitur, saeculo nono floruit, in usum lectionum officii conscriberet, narrationem ipsam in eumdem transtulit, et ex eius auctoritate Caracciolus, Chioccarellius, Ughellius, aliique recentiores scriptores idem affirmarunt. Ceterum ad rem videndus est MAZOCHIUS, *In Kal. Neap.* p. 129 et ss. et *De ss. Neapol. epp.* p. 256.

(1) *Depositio S. Iohannis episcopi nostri* in *Kalend. Neap.* marmoreo ad diem 3 aprilis adnotatur, et recte a Mazochio huic Iohanni I. adscribitur (V. *Kal. Neap.* p. 133, et ss., ac *De Ss. Neap. Epp.* p. 256). Cum autem ex supra relata Uraniana epistola Iohannem ipsum die sabbato sancto obiisse erui possit, Mazochius annum eiusdem emortualem in a. 432 adsignat, eo quod tunc pascha in diem tertium aprilis incidit, quo die sanctus episcopus depositus fuit. At difficultatem movet aliorum ratiocinatio; si enim Severus obiit a. 409 et Ursus post eum sedit a. IV. scilicet usque ad a. 413, Iohannes nullo modo a. 432 mori potuit, cum a. 27 in neapolitana cathedra sederit. Quapropter episcopatum eius usque ad a. 440, ut Bollandistae opinantur, protrahunt. Haec insuper opinio ex annis episcoporum, qui Iohannem usque ad Soterem sequuntur, nutare videtur; hi anni enim una supputati summam annorum 57 faciunt, et ad a. 497 ducunt. At Soter ex certo monumento in a. 465 Neapolitanus episcopus habetur. Aut ergo epocha emortualis Iohannis ab a. 432 subducenda est, aut anni episcopatus, tum eiusdem tum successorum usque ad Soterem, aliquot annis minuendi sunt. Et heic velim animadvertas numerum annorum in cod. Vat. ad Iohannis sedem appositum, ab alia manu additum postea fuisse, atque diem festum eiusdem in aliis vetustis Kalendariis passim kalendis aprilis, et aliquando sive ad diem 31 martii, sive ad diem secundum aprilis adnotari.

(2) De tempore, et auctore primae sancti Ianuarii e fundo Marciano Neapolim translationis tum veteres, tum recentiores nostri scriptores plurimum inter se discrepant. Auctor *Vitae S. Severi* episcopo, de quo scribit, Chronographus noster Iohanni I. factum tribuunt. Ita et posteriores, qui aut uni, aut alteri adhaerent. Alii tamen, ut discrepantia testimonia conciliarent, Severum episcopum corpus S. Ianuarii circa finem saeculi IV. vel initium V. Neapolim transtulisse putant, Iohanne I. tunc presbytero vel diacono eidem translationi assistente. Sed haec ineptiae mihi videntur. Aptius, si diis placet, difficultatem removet Emmanuel, sive quisque alius is fuerit graecae *Vitae S. Ianuarii* auctor, asserens Cosmam episcopum, pace per Costantinum Ecclesiae data, eodem et Licinio Aug. IV, Coss., XIII. Kal. octobris (a. 315) corpus S. Ianuarii e Marciano Neapolim in coemeterium transtulisse et in monumento iuxta eum locum exciso honorificentissime deposuisse; deinceps Severum anno tertio sui episcopatus (scil. 365) basilicam eidem b. Ianuario prope coemeterium extruxisse. in qua eiusdem corpus ex monumento, quod Cosmas fecerat, condidisse; Iohannem denique eiusdem b. Martyris caput ex hac basilica in episcopium intra urbem intulisse, quod forte novae translationis traditioni ansam praebuit. Sed de hac re aliis iudicium relinquo.

(3) Scil. Gratiano Aug. V., et Theodosio Aug. Cons. Chronographus enim, cum Marcellini comitis librum expilaret, no-

ferme annos sub Arrianis imperatoribus tenuerant, catholicis et orthodoxis restituit imperator, mense decembrio. (1) Eucherii, et Euacrii. Centum quinquaginta sanctis patribus in urbe Augusta congregatis adversus Macedonium, in sanctum Spiritum naufragantem, ab isdem episcopis sancta synodus firmata est, Damaso videlicet sedem beati Petri tenentem, Constantinopoli vero per Timotheum Alexandrinum , perque Miletium Antiochenum , et Cyrillum Hierosolymitanum episcopum , Nectario ex pagano protinus baptizato , et in praefata synodo pontifice ordinato. Athanaricus rex Gothorum, cum quo Theodosius imperator pepigerat, Constantinopolim mense ianuario venit, eodemque mense morbo periit. Hieronimus presbiter in Bethleem toto mundo clarus habetur. Per idem tempus caput Iohannis Baptistae Constantinopolim est perductum, et in septimo miliario civitatis debite venerationis humatum est. Gentium quoque templa per totum orbem, juvente Theodosio, eodem tempore subversa sunt, nam adhuc intemerata manebant.

XV. Nostrianus (2) episcopus sedit annos [xvii (a)].

Hic fecit valneum in urbe, (3) et alia in gyro aedificia, qui usque hodie Nostriani valneus vocatur (4). Qui bonis operibus agens, in Domino requievit. Et sepultus est in ecclesia

(a) *Anni episcopatus item post in cod. additi fuerunt.*

mina eorum , qnae in antecedentibus excripta a Marcellino fuerant, oscitanter in iis, quac ipse in opus suum transtulit, omisit.

(1) Desideratur *sub Consulatu*, deinde haec corrigenda et scribendum *Eucherio et Syagrio Coss.* Denique ad hunc consulatum, scilicet ad annum Christi 391 , spectant quae sequuntur, non vero quae praecessere, uti constat ex laudati Marcellini chronico. Mur.

(2) Huius episcopi meminit auctor libri *De divinis promissionibus* , qui, ut Muratorius observat, olim S. Prospero Aquitano tribuebatur , nunc autem aut alteri Prospero Africano, aut anonymo cuidam in Africa nato tribuitur, qui certe eo tempore floruit. Hic enim cap. VI. ita scribit: " In Italia nobis apud Campaniam constitutis, cum venerabili et apostolico honore nominandus Leo Manichaeos subverteret et contereret Pelagianos et maxime Iulianum, ambiens tum quidam Florus nomine, spiritu seductionis arreptus, virtutem et meritum sibi sancti Sosii martyris assignans, cum haud procul a Neapolitana urbe in subversionem animarum quaedam promitteret faceretque illicita, a germano venerabilis Nostriani episcopi et Hierio presbytero simul cum clericis praedictae ecclesiae tentus et coercitus, sic a praefatae provinciae limitibus pulsus est. „ (*Biblioth. Patrum* t. VIII.). Cum autem haec sub S. Leone magno Pp. (a. 440-461) evenerint, recte affirmari potest Nostrianum circa a. 444 in Neapolitana cathedra sedisse, et Chronographum nostrum male aetatem eius ad tempora Anastasii, Innocentii, Zosimi et Bonifacii PP. (a. 399-422) recessisse.

(3) De hac re videndus est Paciaudi, *De sacris Christianorum balneis.* Romae, 1758. Situm vero huius balnei a Nostriano extructi, quod nulla ratione Mazochius, *De ss. Neap. epp.* p. 107 circa eum locum, ubi est fons, *Bollo dell' Annunziata* dictus, collocat, melius ex monumentis habemus. Extabat in via, quae nunc vulgo audit *di S. Gregorio Armeno* vel *S. Liguoro.* In quodam enim documento in *Notam. instrum. S. Gregor.* n. 61 adnotato haec leguntur: *Marocta filia quidam domini Petri, qui nominatur de Mara vendit et tradit Mariae de domino Ebulo venerabili abbatissae monasterii S. Gregorii maioris domum sitam in platea publica, quae nominatur Nustriana, regione Furcillense, ubi antea fuit Bagneum, et cohaeret dicta domus cum domu haeredum domini Gregorii qui nominatur Bulpicella, et in platea publica sunt duae columnae marmoreae iuxta ecclesiam S. Mariae ad Balneum, et hoc pro praetio unciarum 20. Actum per d. Petrum primarium.* Instrumentum, ut diligens transcriptor animadvertit, caret principio, ita ut annus indicari non possit; sed ex nomine abbatissae , quae etiam in aliis instrumentis medii saeculi XIII. invenitur , ad tempora Friderici II, et paulo posteriora adscribendum esse patet.

Ex balneo igitur in via Nostriana extructo quaedam cappella ibi iuxta posita *S. Maria ad Balneum,* sive *ad Valneum* nuncupata fuit. Postea aevo sequiori, scil. a. 1436, ipsa a Iacobo Benedicto de Adria, vicario in spiritualibus et temporalibus a Pp. Eugenio IV. in ecclesia Neapolitana, sede vacante, nominato, concessa fuit monachis Olivetanis, qui recens in nostram urbem accesserant. Bullam originalem servat vir nobilitate, ac pietate praestantissimus d. Nicolaus Capicius Galeota, protonotarius apostolicus, uti ipse testatur in opusculo: *Cenni storici intorno a S. Nostriano vescovo di Napoli. Napoli 1874* p. 7.

(4) Non modo balneum, sed etiam via, ubi illud extabat, ab episcopo Nostriano nomen accepit. Primum vero documentum, quod de hac via invenio, ad annum 972 pertinet (V. infra *Re gest. Neap.* n. 195). Ipsa aliquando dicitur posita in regione Augustali (*Notam. instrum. S. Gregorii* n. 103 etc.), aliquando in regione Furcillensi (*Notam*, cit. n. 87 etc.) Id.

beati Gaudiosi Christi confessoris (1), foris urbem euntibus ad sanctum Ianuarium martyrem, in portico sita (2).

Fuit autem temporibus Anastasi, et Innocenti, Zenonis (3), et Bonifatii pontifices Romanorum, et Theodosii, et Archadii, et Honorii. Huius Theodosii imperatoris tem-
Isid. pora sanctus Martinus obiit. Iohannes anachorita in signis claruit, qui etiam Theodosio
Marcel. consulenti de Eugenio tyranno victoriam illi praedixit. Ambrosius Mediolanensis episcopus orator catholicus ad Christum dominum commigravit.

Iohannes Anthiociae natus, ibique a Meletio eiusdemque civitatis episcopo, eodemque confessore lector ecclesiae ordinatus, per singulos officii gradus ascendit. Ubi per quinquennium diaconus, multos divinosque edidit libros. Presbyter quoque factus, per duodecim annos pluriores confecit. Tanta dehinc opinione ubique merito propagatus, Constantinopolim in locum Nectarii pontifèx suffectus est, ubi plurima dulciaque divinarum scripturarum volumina suo operi catholicis addidit.

Repugnante eo contra Eudoxiam, Arcadii uxorem, propter quod superinvasit
Marcel. quaedam viduae villam, et quod porfyreticam columnam, argenteam statuam, iuxta ecclesiam posita constitueret, Iohannem Constantinopolitanum episcopum, cum nonnullorum episcoporum consensu, nolente Arcadio principe, in Cuccusum, Armeniae oppidum, exulem miserunt. Eumque post annum unum in villam Ponticae regionis..... (a) de exilio in exilium religarunt. Hunc ibidem mortuum religiosa orthodoxorum plebs in atrio Basilissi episcopi, idemque martyris, ab eodem martyre in somnis ammonita, in nobum moxque repertum sepulchrum recondidit.

Beda Septimo Honorii principis anno Luciano presbytero revelavit Deus sepulchrum, et reliquias beati protomartyris Stephani, et Gamalielis, ac Nicodemi, qui in evangelio, et in actibus apostolorum leguntur. Scripsit ipsam revelationem greco sermone ad omnium ecclesiarum personam; quam revelationem Habitus presbyter, Hispanus genere, in latinum vertit eloquium, et adiècta epistula sua, per Orosium presbyterum occidentibus dedit. Qui etiam Orosius ad loca sancta perveniens, quo eum beatus Augustinus ad sanctum Hieronimum pro discenda animi ratione miserat, reliquias beati Stephani accepit, et patriam reversus, primus intulit occidenti. Hieronimus presbyter obiit duodecimo Honorii anno, II. Kalendas octobris anno aetatis suae XCI.

XVI. TIMASIUS episcopus sedit annos, [XXXI (b)].

(a) *Spatium vacuum pro uno verbo in cod. relictum.*
(b) *E correctione posteriori.* Waitz.

factum puto ex eo quod pars superior viae ad regionem Augustalem, pars inferior ad Furcillensem pertinebat. In ipsa platea extabat etiam *porticus publicus*, ut legitur in cit. doc. a. 972, et in aliis annorum 1207 ac 1267, quae in cit. *Notam.* nn. 477 et 103 item habentur.

(1) De hac ecclesia suburbana S. Gaudiosi, quae nunc basilicae S. Mariae Sanitatis confessio est, egit SCHERILLO in opusculo: *Dell'antichità e culto della effigie di S. Maria della Sanità di Napoli* p. 1 et ss. Ibi iuxta in coemeterio sepultus fuit idem b. Gaudiosus, S. Abitinensis ecclesiae in Africa pontifex, qui cum aliis ex illa regione a. 439 Vandalorum persecutionem fugiens, Neapolim advenit (VICTOR VITENSIS, *Hist. pers. Vand.* L. I, c. 5) et ibi monasterium condidit, in quo a. 451-452 obiit. Inscriptio ex musivo opere facta et ad tumulum eiusdem apposita adhuc extat in eodem coemeterio. Cf. praeter SCHERILLIUM et alios, quos mitto, PARASCANDOLO, *O. c.* I, p. 66 et seq

In ecclesia vero supra nominata quaedam ex topho cathedra monstratur, quae, ut inscriptio super addita prodit, creditur: *Episcopalium functionum sedes, quam S. Nostrianus Neap. antistes, S. Gaudiosus Bythiniae episcopus aliique praesules in antiquis his christianorum coemeteriis decorarunt.*

(2) Post tempora huius Chronographi sacra Nostriani lipsana ex ecclesia suburbana S. Gaudiosi in ecclesiam S. Ianuarii ad Diaconiam translata fuerunt, et sub altari recondita. Ibi enim die 16 m. augusti a. 1612 sub arcula quadam marmorea vetustissima, in qua inscriptio Langobardis litteris sculpta habebatur sic: *Corp. S Nostriani episcop.* ipsa, iam olim a. 1589 primum reperta, iterum recognita fuerunt. Tunc cultus eius instauratus fuit, sed, cum deinceps abolevisset, nuper restitutus est.

(3) Corr. *Zosimi*, ut rectius in *Catal. Blanchin.*

Fuit autem temporibus Caelestini, et Xysti papae, et usque ad eloquentissimum, et doctissimum Leonem papa, (1) tenentem imperium Theodosio minore, Arcadii filius (a).

Effera gens Wandalorum, Alanorum, et Gothorum ab Hispaniis ad Africam transiens, omnia ferro, flammas, rapinis simul et Arriana impietate foedavit. Sed beatus Augustinus Hipponiensis episcopus, et omnium doctor eximius ecclesiarum, ne civitatis suae ruinam videret, tertio obsidionis eius mense migravit ad Dominum V. kalend. septembris, cum vixisset annos LXXVI., in clericatu autem, vel episcopatum annos quadraginta complesset. Beda

XVII. FELIX episcopus sedit annos IX. menses III. dies VI.

Fuit temporibus supradicti domni Leoni papae (2), et Mauricii et Valentiniani augusti.

His diebus heresim Eutychianam horta est. Tunc beatissimus Leo papa misit ad Marcianum augustum, fidelem principem catholicum, et factam conlationem cum eodem principem collecti sunt episcopi in Calcedona in martyrium sanctae Eufimiae, et congregati sunt CCLVI. sacerdotes, et aliorum CCCCVI. episcoporum, qui congregati una cum thomum, hoc est fidem apostolicae aecclesiae Romanae, et cum chirografum sancti archiepiscopi Leonis, sed et catholici principis Marciani presentia augusti, congregatum concilium, exposuerunt fidem catholicam, duas naturas in uno Christo, Deum et Hominem. In quo loco piissimus augustus Marcianus una cum uxorem suam augustam Pulcheriam, deposita regia maiestate, fidem suam exposuerunt ante conspectum sanctorum episcoporum. Ubi et damnaverunt Eutychium, et Nestorium; et iterum fidem suam imperator Marcianus augustus cum conjugem suam Pulcheriam augustam, chirographo proprio fidem suam exponentes, postulaverunt sanctum concilium, ut dirigeret ad beatissimum papam Leonem, damnantes omnes hereses. Iterum multas epistulas fidei misit beatissimus Leo archiepiscopus quae hodie recondite archibo tenentur. G.pont.

Hic firmavit frequenter suis epistulis synodum Calcedonensem. Ad Marcianum epistulas XII, ad Leonem augustum epistulas XIII, ad Flavianum episcopum epistulas VIII., episcopis per Orientem epistulas XVIII., quas fidei confirmavit synodi. Horum temporibus, Valentiniani videlicet, et Marciani et Pulcheriae uxori suae, caput beatissimi Iohannis praecursoris Domini, et baptistae, in urnam missum, [qui] sub terram reconditum fuerat, eo revelante Marcellino quodam presbytero, in eodem specu inreprensibiliter habitantem, ostenditur, mense februario, die vicesimo quarto, media ieiuniorum paschalium septimana. Marcel.

XVIII. SOTER (3) episcopus sedit annos XXI.

Hic ecclesiam catholicam beatorum Apostolorum (4) in civitatem constituit, et ple-

(a) Theodosius minor, Arcadii filius, *e correctione posteriori*. Waitz.

(1) Scil. ab a. 422 ad a. 440; sed etiam episcopi huius aetas neque cum istorum Pp. et impp. aetate adamussim convenit, neque annorum ab eo in sede actorum putatio recte constat. Quapropter Chioccarellius et ex eo Ughellius illum Nostriano praeposuerunt, at nihil est unde id admittere possimus. Rectius in graeca *Vita S. Ianuarii* n. 29 ipse Valentiniano aug. VIII. et Anthemio Coss.ind. VIII. i. e. a. 455 memoratur.

(2) Scil. ab a. 440 ad a. 461, quod item vel falsum vel saltem dubium est.—In sequentibus pro *Maurici* l. *Marciani*.

(3) Soter hic Neapolitanus episcopus intervenit synodo Romae habita sub die XV. Kalend. decembrium Flavio Basilisco et Herminerico Coss. scil. a.465, residente viro ven. Hilaro Pp.in basilica S. Mariae. *Coll. Concil.* ed. MANSI t. VII. p. 959.

(4) Ecclesia haec bb. Apostolis dicata, altera post Severianam in urbe Neapoli extitit, quae *catholica*, i. e. baptismalis sive potius parochialis fuerit. Deinceps in ea monasterium invenio; in documento enim anni 1033 memoratur *Gregorius archidiaconus S. Neap. ecclesiae dispensator monasterii Ss. Apostolorum* (V. infra *Regest. Neap.* n.455), Tunc forte parochia ibi aboleverat, ad ecclesiam S. Pauli translata. A. 1575 clericis regularibus, qui Teatini vocabantur, concessa fuit; quibus abrogatis, ad sodalitium S. Mariae *Verte Coeli* pervenit, quod ibi usque adhuc extat.

vem (1) post sanctum Severum secundus instituit; qui (2) usque nunc, Domino propitio, sedole laudes Christo referre non cessant. Humatus autem in ecclesia (3) est, atque translatus, quae et Stephania nuncupatur. Fuit autem temporibus Hilarii, Simplici, atque Felicis, romanorum antistitum (4), et Leonis augusti (5).

G.pont. Hic fecit decretalem, et per universum horientem sparsit, et epistulam de fide catholica, confirmans tres synodos, Nicaeni, Ephesini, et Calcedonense, vel thomum sancti archiepiscopi Leonis, et damnavit Eutychetem, et Nestorium, vel omnes sequaces eorum, et omnes hereses, et confirmans dominationem, et principatum sanctae sedis catholicae et apostolicae.

Beda Simulque et Leo imperator misit per universum orbem singulis orthodoxorum episcopis singulas consonantes epistulas, rescribi postulans, quid de eodem thomo sentirent. Quorum adeo consonantia de vera Christi incarnatione suscepit omnium rescripta, ac si uno tempore, uno praedicante, fuissent universa conscripta. Huius finitis temporibus (a) Odoacar, qui in Italia per aliquot iam annos regnabat, et Feletheum, qui et Feva dictus est, Rugorum regem, magnarum inimicitiarum fomes exarsit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam a Norici finibus idem Danubius (b) separat. In his Nuricorum finibus beati tunc erat Severini coenobium, qui omni abstinentiae sanctitate praeditus, multis iam erat virtutibus clarus; qui cum isdem in locis ad vitae usque metas habitasset, hunc sepius, de quo diximus, Feletheum, eiusque coniugem, cui vocabulum Giso fuit, ut ab iniquitate quiesceret, verbis caelestibus monuit. Quibus pia verba spernentibus, hoc quod eis postmodum contigit, longe ante futurum praedixit.

XVIIII. VICTOR (6) episcopus (7) sedit annos XI. menses X.

Hic fecit basilicas duas foris civitatem Neapolim, unam longius ab urbe ad miliarium unum, ante ecclesias beati Ianuarii martyris, et sancti Agrippini confessoris, ad nomen beati Stephani levitae et martyris (8): et alia in medio itinere, modicum discreta a portico

(a) *Adde* inter, *quod deest in cod.*
(b) *In cod.* Dabius.

(1) Ita pro *plebem*. Plebes enim nuncupabantur parochiales ecclesiae, unde ad nos manavit italicum *Pieve*. Muratorius ex sequentibus vid. *quae usque nunc laudes Christo referre non cessat*, hac voce Chronographum congregationem clericorum, adde etiam, si lubet, plebis christianae, quae psalmos et hymnos in ecclesia Apostolorum tunc temporis decantabant, significare voluisse suspicatur. Neque, si quid video, fallitur; nam, ut in aliis ecclesiis (V. R. N. A. M. IV, 249, et infra *Regest. Neap.* n. 457) *stauritam plebis* ibi extitisse censeo, quae cum parochia a Sotero etiam instituta esse videtur. At de Stauritis alibi.

(2) Heic vel legendum: *quae . . . . . cessat*, vel, ut Mazochius opinatur, qui (plurativo numero, quia ad plebem utramque refertur) . . . . *cessant;* et ita in cod. legitur.

(3) Textus mutilus esse videtur ac forsan cum Mazochio legendum: *Humatus autem in ecclesia est*, quam ipse fecerat *atque translatus* in ecclesiam Salvatoris, *quae* etc.

(4) Scil. ab a. 462 ad a. 492, sed ex sequentibus forte a. 486 non praeteriit. In graeca *Vita S. Ianuarii* n. 30 eius etiam mentio extat, Marciano et Festo Coss. ind. XI (a. Ae. v. 472) cum in Vesuviano incendio Neapolis S. Ianuarii praesens patrocinium experta fuisset.

(5) In *Catal. Blanchin.* de eodem Sotero additur etiam: *Fecit et baptisterium fontis maioris intus episcopio.* Quod quamvis heic in Chronographo nostro desit, tamen alibi, vid. in Iohanne III. item ab eo testatur, dum memorat; *fontes maiores a domno Sotero episcopo digestos.*

(6) Eugipius, abbas Lucullanensis oppidi, Neapoli Campaniae, ad quemdam Paschasium diaconum libellum de vita S. Severini monachi transmisit compositum, ubi de hoc episcopo, qui Gelasii, sedis romanae pontificis, auctoritate corpusculum eiusdem S. Severini in castello Lucullano condidit, memoria extat. Eius scriptum Chronographus noster totidem pene verbis replicat.

(7) In *Kalend. Neap.* marmoreo ad diem 8 februarii: *Depositio S. Victoris episcopi* adnotatur. In aliis etiam Kalendariis inscribitur: *Neapoli S. Victoris episcopi, et conf.* (V. CHIOCCARELLI p. 48).

(8) Nullam aliam de hac ecclesia S. Stephani usque adhuc in documentis vel scriptoribus memoriam inveni.

euntibus partis sinistrae, ad nomen beatae Eufimiae martyris (1) dedicavit. In qua et ipse sepultus quiescit. Fuit autem temporibus Gelasii papae (2), et Zenonis augusti.

Hic papa Gelasius invenit Manichaeos in urbe Rom. quos exilio deportari praecepit; quorum codices ante fores basilicae sanctae Mariae incendio concremavit. Igitur Ferderuchus inmemor. contestationis, et comperta beati Severini morte, abrasis omnibus monasterii rebus, parietes V.Sev.
tantum, quos Danubio non potuit transferre, dimisit. Moxque in eum ultio denuntiata pervenit. c. 45
Nam intra mensis spatium a Frederico, fratris filio, interfectus, praedam pariter amisit et vitam. Cumque generalis transmigratio provenisset, doctoris praecepti non inmemores venerabilis presbyter Lucillus cum cuncta congregatione transferentes corpus eius, iuxta vaticinium praedicentis: *Post mortem meam Deus visitavit vos, et asportate ossa mea hinc vobiscum*, ad castellum montem Feletem, multis emensis regionibus, perduxerunt: atque ex rogatu inlustris femine Bar- c. 46
bariae, cum sancti Gelasii sedis Romanae pontificis auctoritate, et Neapolitano populo exequiis c. 47
reverentibus occurrente, in castello Lucullano per manus sancti Victoris episcopi, in mausileo, quod praedicta femina condidit, collocatum est; residente ibidem Marciano venerabili presbytero cum sancta eius congregatione. Corpus Barnabae apostoli, et evangelium Mathei, eius stilo Beda
scriptum, eo tempore, ipso revelante, reppertus est. Odoacar rex Gothorum Romam optinuit, et Hitaliam infestavit. Honoricus rex Wandalorum Arrianus in Africa plusquam CCCXXXIV. episcopis catholicis, ecclesias eorum clausit, plebem variis affecit suppliciis, et quidem innumeris manus abscidens, linguas praecidit, nec tamen loquella catholicae confessionis eripere potuit.

XX. STEPHANUS (3) episcopus sedit annos XV, menses II (4).

Hic inter alias bonitatis studia fecit basilicam ad nomen Salvatoris, copulatam cum episcopio, quae usitato nomine Stephania vocatur (5). Fuit autem temporibus Anastasii, et Symmachi, romanorum antistites, atque Anastasii augusti.

Transemundus Wandalorum rex catholicas ecclesias clausit, et CCCXX episcopos exilio Sardi- Beda

(1) Haec aedicula, ut in *Actis Visit.* Annibalis de Capua a. 1583 p. 265 describitur, sita erat in suburbio *Virginum* nuncupato, iuxta bona magnifici Iulii de Angrisanis a destris et e conspectu intrantis, iuxta viam publicam noviter apertam per dictum Iulium, qua itur ad ecclesiam S. Mariae Sanitatis. Tunc recens ab eodem Iulio instaurata fuerat, ut ex inscriptione sequenti: *Iulius Angrisanis aediculam hanc divae Eufemiae dicatam refecit et de novo construxit dotavitque sanctissimique papae Gregorii XIII munificentia in ius patronatus erexit. A. D. 1580.*

(2) Scil. ab a. 492 ad a. 496, quod Eugipii testimonio optime convenit, et forte usque etiam ad a. 498, ut Mazochius suspicatur.

(3) In synodo Romae habita post consulatum Paulini die 1. martii, scil. a. 499, in alia, Avieno et Pompeio cons., scil. a. 501 m. maio item habita, et in alia denique, Flavio Avieno iuniore cons., scil. a. 502. m. novemb. convocata (*Coll. Concil.* ed. MANSI, VIII, 239, 247, et 265) Stephanus Neapolitanus episcopus interfuit et subscripsit. Praeterea in Maeneis Graecorum ad diem 28 aprilis, cum de S Patricio Prusae episcopo agitur, haec de eodem, iuxta Mazochii latinam versionem, habentur: " Quamobrem vobis testatum facimus iudicium illud quod deus per ignem facturus est. Nam et Neapoli vidi egomet montem sex millibus ab urbe distantem, hiantem, qui divinum illum ignem (qui undae instar ad trecentas supra montis cacumen ulnas exsiliens, terram concremavit) et saxa eructabat, donec piissimo eius temporis episcopo Stephano cum supplicatione progresso Deumque exorante flamma resedit. „ Quae quamvis patenti anachronismo laborent, cum S. Patricium, qui primo aerae vulgaris saeculo vixit, ad haec tempora protrahant, tamen minime reiicienda Mazochio videntur, cum revera a. 512 Theodorico rege Vesuvius mons ex Cassiodori testimonio in flammas eruperit, et graecos illius temporis chronologicam rationem in eorum scriptis plerumque neglexisse perspectum sit. V. doctam de hac re dissertationem in *Kalend. Neap.* p. 200 et p. 392, ac *De Ss. Neap. epp.* p. 260.

(4) In *Kalend. Neap.* marmoreo ad diem 11 aprilis habetur: *Depositio Stephani episcopi nostri.* Cum autem ipse a. 15 et m. 2 sedisset, Mazochius non sine ratione coniecit eum a. 498 m. februario consecratum fuisse, et die 11 aprilis a. 513 e vivis excessisse; quod etiam ad PP. supra nominatorum aetatem apte convenit. V. *De Ss. Neap. epp.* p. 261,

(5) De Stephania alibi. Heic tantum memorari sufficiat in *Kalend. Neap.* marmoreo ad diem, m. dec. haberi: *Dedicatae basilicae Stephaniae.*

Isid. niam misit. Per idem tempus apud Carthaginem Olimpius quidam Arrianus in valneis sanctam Trinitatem blasphemavit, ignis jaculo emittente visibiliter est combustus. Barbas quoque quidam Arrianus episcopus, dum contra regulam fidei quedam baptizans, dixisset: *Baptizo te , Barbas, in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto;* statim aqua, quae fuerat ad baptizandum deportata, nusquam comparuit. Quod aspiciens, qui baptizandus erat, confestim ad ecclesiam catholicam abiit et juxta morem fidei baptismum Christi suscepit·

Symmachus autem papa inter multa ecclesiarum, quae vel a fundamentis creavit, vel prisca renovavit, etiam omni anno per Africam, vel Sardiniam, ad episcopos, qui in exilio erant retrusi, pecunias, et vestes ministrabat. Hic captivos per Ligurias, et per Mediolana, et per diversas provincias pecuniis redemit, et dona multiplicavit , et dimisit. Hic constituit, ut omni die dominicum vel natalicia martyrum, *Gloria in excelsis* diceretur, angelicum hymnum.

XXI. Pomponius (1) episcopus sedit annos xxviii, dies x.

Hic fecit basilicam intra urbem Neapolim ad nomen sancte Dei genetricis, semperque virginis Mariae. quae dicitur ecclesiae maioris , grandi opere constructam (2). Qui fuit temporibus Hormisdae papae , et Iohannis , Felicis , et Bonifatii, beatorum apostolicorum (3), necnon et Anastasii, et Iustini augustis.

G.pont. Idem vero papa Hormisda misit ex constitutum synodum in Graecias, humanitatem ostendens sedis apostolicae , quia Greci obligati erant sub vinculo anathematis propter Petrum Alexandrinum, et Acacium Constantinopolitanum episcopos. Cum consilio regis Theodori direxit episcopos euntes ad Anastasium aug., nihil egerunt. Iterum secundo misit Ennodium episcopum, et Peregrinum episcopum, portantes epistulas confortatorias fidei, et contestationes secretas numero xix, et textum libelli. In quo libello noluit consentire Anastasius aug., quia et ipse in heresim Eutychianam communis erat. Volens itaque legatos per remunerationem corrumpere, legati vero sedis apostolicae, contemto Anastasio augusto, nullatenus consenserunt accipere pecunias, nisi satisfactione sedis apostolicae operaretur. Tunc imperator repletus furia ejecit eos per pusterula , et inposuit eos in nave periculosa cum milites , et magistrianos et praefectianos , nomine Helidorum, et Demetrium. Qui hoc dedit eis in mandatis imperator Anastasius, ut nullam civitatem ingrederentur. Legati vero sedis apostolicae secretius suprascriptas epistulas fidei xviiii per manus monachorum orthodoxorum exposuerunt per omnes civitates; quae tamen epistulae ab episcopis civitatum, qui erant complices Anastasii augusti, omnes eas epistulas fidei pro caritate Constantinopolim perduxerunt. Furore repletus Anastasius contra papa Hormisda , inter alia sacra sua scripsit, dicens: *Nos iubere volumus, non nobis iuberi.*

Eodem tempore nutu divinitatis percussus est fulmine divino Anastasius imperator, et obiit.

Sumpsit itaque imperium Iustinus orthodoxus , et direxit auctoritatem suam ad papam Hormisdam sedis apostolicae, ut redintegraretur pax ecclesiarum. Tunc papa Hormisda cum consilio regis Theoderici direxit a sede apostolica Germanum , Capuanum episcopum, et Iohannem et Blandum presbyteros, et Felicem, et Dioscorum diacones sedis apostolicae, et Petrum notarium, quos monitos ex omni parte fidei, et textum libelli poenitentiae. Qui venientes iuxta Constantinopoli, suscepti sunt a Iustino orthodoxo augusto cum gloria. Omnis itaque clerus, una cum episcopo Iohanne Constantinopolitano, sententes, eo quod gratanter suscepti sunt, sententes qui

(28) In *Kalend. Neap.* marmoreo, ut et in Tutiniano ad diem 20 aprilis inscribitur : *Depositio Pomponii episcopi nostri.* Postea eius festum ad diem 14 maii, quo adhuc colitur, translatum fuit. De eo praeter nostrates agunt Aa. Ss. Bollandi in die 14 mai t. III. p. 373.

(29) Fabulam de fundatione huius ecclesiae et de eius consecratione a Iohanne II Pp. facta, quam nostrates produnt Sabatinius, ut alios missos faciam, (*O.c.*t.IV.p.168 et ss.) pluribus refellit. Haec basilica postea etiam *catholica maior* dicta fuit; eo quod inter quatuor parochias maiores adnumerata.

(30) Scil. ab a. 514 ad a. 532; sed anni episcopatus minime conveniunt, neque cum sequentibus facile concilies.

erant complices Acacii incluserunt se in ecclesia maiore, quae vocatur Sancta Sophia; et consilio facto mandaverunt imperatori, dicentes: *Nisi nobis reddita fuerit ratio, qnare damnatus est episcopus noster Acacius: nullatenus consentimus sedis apostolicae.* Hic papa Hormisda perrexit ad regem Theodericum Ravennam, et cum eius consilio misit auctoritatem ad Iustinum, et cum vinculo chirographi, et textum libelli reintegravit ad unitatem sedis apostolicae Petrum, et Acacium, vel omnes hereses. Post papa Hormisdam cathedram sanctae Romanae ecclesiae beatus tenuit papa Iohannes. Hic vocatus est a rege Theodorico Ravenna; quem ipse rex rogans, misit Constantinopolim ad Iustinum imperatorem orthodoxum, quia eodem tempore Iustinus imperator ardorem fidei religionis christianae voluit hereticos extricare, et omnes ecclesias Arrianorum catholicas consecrare. Pro hanc causam hereticus rex Theodoricus exarsit, et voluit totam Hitaliam ad gladium extinguere. G.pont.

Eodem tempore Iohannes papa aegrotus infirmitate cum fletu ambulavit, et senatores et exconsules cum eo, hoc est Theodorus, Importunus, Agapitus, exconsules, et alius Agapitus patricius: qui hoc accipientes in mandatis legationum, ut redderentur ecclesias hereticis in partes Horientis, quod si non, omnem Hitaliam ad gladium perderet. Qui dum ambulassent cum Iohannem papam, occurrerunt beato Iohanni a miliario XV. omnis civitas cum cereos et cruces in honorem beati Petri et Pauli; qui cum venisset ad portam, quae vocatur Aurea, in conspectu omnium Beda roganti caeco lumen dedit. Tunc Iustinus augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus, G.pont. et adoravit beatissimum papam Iohannem, gaudio repletus, quia meruit temporibus suis vicarium beati Petri apostoli videre in regno suo. De cuius manibus cum gloria coronatus est Iustinus augustus. Eodem tempore papa Iohannes cum senatores suprascriptos cum grandi fletu rogaverunt Iustinum augustum, ut legatio acceptabilis esset in conspectu eius: qui iam dicti omnia meruerunt, et liberata est Hitalia a rege Theodorico heretico. Cumque idem papa Iohannes reversus fuisset et omnia optinuisset a Iustino augusto, rex Theodoricus hereticus cum grandi dolo et odio suscepit eos, idest papam Iohannem, et senatores, quos etiam gladio voluit interficere, sed metuens indignationem augusti, quos tamen in custodia omnes adflictos cremavit, itaque ut beatissimus Iohannes episcopus, primae sedis papa, in custodia afflictus deficiens moreretur, qui tamen defunctus est Ravenna in custodia XV. Kalendas Iunias martyr. Post hoc factum nutu Dei omnipotentis, nonagesimo octavo die, postquam defunctus est beatissimus Iohannes in custodia, Theodoricus rex hereticus subito interiit, et mortuus est. Cui successit in regnum Beda Athalarico, nepote eius. Heldericus rex Wandalorum episcopos ab exilio reverti, et ecclesias instaurare praecepit. Benedictus abbas virtutum gloria claruit: quas beatus papa Gregorius in libro Dialogorum scripsit.

XXII. Iohannes episcopus mediocris (1) sedit annos XX, dies [XI] (a).

Hic absidam ecclesiae Stephaniae labsam ex incendio reformavit. In quem ibidem ex musivo depixit transfigurationem domini nostri Iesu Christi summe operationis. Fecit et basilicam beati Laurenti levitae et martyris, mirificis constructionibus digestam. (2) Qui

(a) *In Cod.* dies XI *e correctione; scriptum fuit*: mens.... dies XIIII ? Waitz.

(1) Quid sibi hoc epitheto velit Iohannes Diaconus, non facile divines. Appellati sunt olim *mediocres* homines ignobiles aut pauperes, et humili loco nati. Verum a mente scriptoris significationem hanc alienam puto. Fortassis a statura *mediocris* appellatum dicit. Mur.

Interdum et *mediocris* exiguitatem, ut Mazochius opinatur, designat; eadem scil. vi et acceptione, qua Dionysius *exiguus* dicebatur. *De SS. Neap. epp.* p. 177. Omnino autem pro cognomine est habendum, ac maiuscula capitali littera donandum. Id. *ib.* p. 27.

(2) Cum neque Chronographus, neque *Catal. Blanchin.* ubi idem legitur, situm, in quo haec basilica b. Laurentii martyris a Iohanne II extructa fuerit, adnotent, incertum est illum praefinire inter varias in urbe Neapolitana ecclesias, quae S. Laurentio dicatae extiterunt, vel adhuc extant. Verisimile tamen est quod Parascandolo, *O. c.* I, 90 conii-

etiam quasi ad lineam omne stratum ex marmorum crustis ordinatum, placabile (1) oculis omnium videntur. (a) Fuit autem temporibus Iohannis, Agapiti, Silverii, atque Vigilii pontificibus sanctae apostolicae sedis, et Iustini maioris, atque Iustiniani augusti (2).

G.pont. Temporibus vero papae Iohannis religiosus vir Iustinianus augustus summo amore christiane religionis misit fidem suam scripto chirographo proprio ad sedem apostolicam per episcopos Epiphanium, et Demetrium. Agapitum vero papa misit Theodatus rex Gothorum ad Iustinianum augustum; quia eodem tempore Iustinianus augustus indignatus est Theodato regi, eo quod occidisset reginam Amalesuinta, filiam Theodorici regis, commenditam sibi. Qui vero Agapitus ambulavit Constantinopolim x. Kalendas Maii. Ingressus Constantinopolim, et susceptus est Agapitus episcopus cum gloria. Et primum coepit habere altercationem cum piissimum imperatorem de religione; Cui beatissimus Agapitus episcopus constantissimae fidei apostolorum responsum reddidit de domino nostro Ihesu Christo, Deum, et Hominem, hoc est duas naturas in uno Christo. Et dum intentio verteretur, ita Dominus adfuit, ut episcopum Constantinopolitanum nomine Anthemum inveniret hereticum. Et cum intentio verteretur cum augusto, et Agapito papa, hoc dixit ei imperator Iustinianus: *Aut consenti nobis, aut exilio te deportari faciam.* Tunc beatissimus Agapitus papa respondens cum gaudio, dicens ad imperatorem: *Ego quidem peccator ad Justinianum imperatorem christianissimum venire desideravi: nunc autem Diocletiannm inveni. Scias tamen quod minas tuas non pertimesco.* Et dixit ei iterum Agapitus venerabilis papa: *Tamen ut scias te idoneum non esse religioni christianae, episcopus tuus confiteatur duas naturas in Christo.* Tunc ex praecepto augusti, accersito episcopo Constantinopolitano nomine Anthemo, et discussione patefacta, numquam voluit confiteri in doctrina catholicae responsionis ad interrogationem beati papae Agapiti duas naturas in uno domino nostro (b) Ihesu Christo; quem convicit sanctus papa Agapitus, glorificatus est ab omnibus christianis. Tunc piissimus augustus Iustinianus gaudio repletus humiliavit se sedis apostolicae, et adoravit beatissimum Agapitum papam.

Eodem tempore erexit Anthemium a communionem, et expulit in exilio. Tunc piissimus augustus Iustinus rogans beatissimum papam Agapitum, ut in loco Anthemi episcopum catholicum consecraret nomine Mennam. Qui vero Agapitus papa omnia optinuit, ex qua causa directus fuerat. Post dies vero aliquantos aegritudini commotus, defunctus est Costantinopolim x. kal. mai. Cuius corpus in loculum plumbeum translatum usque in basilicam beati Petri apostoli, et sepultus est XII. kal. octobris. Post quem Silverius Romae pontificalem sedem optinuit. Post menses vero II. nutu divino extinctus est Theodatus tyrannus, et levatus est rex Guitigis. Eodem tempore Guitigis ambulavit Ravennam, et cum vim tulit filiam Amalasuntae reginae sibi uxorem. Hoc indignatus imperator Iustinianus, quia regina sibi commendatam occidisset Theodatus, misit Vilisarium patricium cum exercitu, ut liberaret omnem Hitaliam a captivitate Gothorum (c).

De vita autem excedente Silverio, relictus est in ejus loco Vigilius. Eodem tempore Vilisarius patricius misit bellum cum Vitigen regem Gothorum, qui rex fugiens noctu, insecutus est eos Iohannes magister militum, cognomento Sanguinarius. Tenuit eum, et adduxit ad Vilisarium et ad Vigilium papa Romanum. Tunc dederunt ei sacramenta in vasilica Iulia, ut salvum illum

(a) *In cod. prius scriptum erat*: videtur.
(b) *In cod. post additum:* nostro.
(c) *In cod. una et dimidia lineae erasae.* WAITZ.

cit, ecclesiam vid. S. Laurentii in *via Augustali*, cuius memoria habetur in doc. a. 936, (CHIARITO, *O. c.* p. 24) hanc ipsam fuisse, de qua Chronographus loquitur.

(1) Hoc est: quod placet omnium oculis.

(2) Scil. ab a. 533 ad a. 555. Ætas tamen horum pontificum minime convenit cum impp. qui adscribuntur, aetate.

perducerent ad Iustinianum imperatorem. Quem cum duxissent Constantinopolim, gavisus est imperator, et fecit eum patricium, et comitem, et transmisit eum juxta fines Persarum, et ibi vitam finivit. Tunc gratias egerunt imperator. et augusta, et data ei dignitate, iterum miserunt in Africa. Qui veniens in fines Africae, sub dolo pacis interfecit Guinterim regem Wandalorum; et redacta est Africa sub re publica. Carthago quoque anno excessionis suae XCV recepta est. G.pont. Beda

XXIII. VINCENTIUS (1) episcopus sedit annos XXIII.

Hic fecit praefulgidam basilicam ad nomen beatissimi praecursoris Iohannis baptistae (2). Quem amplis aedificiis in gyro distinxit. Fecit et altare, quem cum columnis, et cyburi desuper investivit argento. Fecit fara argentea, et arcus quattuor (a) investitos argento.

Fecit baptisterium fontis minoris (3) intus episcopio (4), et accubitum (5) juxta positum grandi opere depictum (b).

Fuit autem temporibus Pelagii, et Iohannis papae, et Iustini minoris ab ultimo XII. Iustiniani anno, et usque in initio primis anni Tiberii Constantini (6).

Iustinus etiam quattuor institutionum libros, quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit; novas quoque leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactis, eundem codicem Novellam nuncupari sancivit. P.Diac.

Eruli quoque levantes sibi regem Sindoal, premebant cuncta Hitalia. Qui egressus Narses ad eum, interfectus est rex, et omnem gentem Erulorum sibi subiugavit. Deinde venit Amingus dux Francorum, et Buccellinus; simili modo et ipsi premebant Hitaliam: sed auxiliante Domino, et ipsi a Narsete interfecti sunt. Erat enim tota Hitalia gaudens. Igitur deleta, vel separata Narsis omni Gothorum gente, dum multum auri, sive argenti, seu ceterarum specierum divitias acquisisset, magnam a Romanis, pro quibus multa contra hostes laboraverat, invidiam pertulit. Qui contra eum Iustinum augustum, et eius coniugis Sophiae in haec verba suggesserunt, dicen- G.pont. P.Diac.

(a) *Ita e correctione in loco raso.* WAITZ

(b) *Hi duo versus, uti me admonuit amicus Stornaiuolo, novo atramento inducto, iterum scripti fuerunt.*

(1) De hoc episcopo mentio habetur in cuiusdam epistolae, a Pelagio I. PP. inter a. 555 et 560 missae, fragmento, quod HOLSTENIUS, *Coll. Rom.* I. 236. primus prodidit; ubi legitur. " *Pelagius Viventio* (l. *Vincentio) Neapolitano*, *Gemino Puteolano, et Constantio Misenati episcopis.* Et ideo caritati vestrae praesentium decretorum tenore mandamus, ut exequente Constantino, sedis nostrae defensore, clerum vel cives ecclesiae Parisiensis (l. Patriensis.), et e diverso ecclesiae Vulturninae vel vici Feniculensis ad vestrum faciatis convenire iudicium, et ex scripto sententiam coram partibus deferatis; antedicto sedis nostrae defensore modis omnibus exequente, ut, quae statuta fuerint, effectui mancipentur „. (*Coll. Concil.* ed. MANSI, IX. 734.) Nescio autem cur Di Meo hanc epistolam Pelagio II. PP. tribuat. V. *Annali*, t. I. p. 100,

(2) Haec est ecclesia S. Iohannis Baptistae, quae in posterioribus monumentis *catholicae majoris* titulo insignita habetur, eo quod in ea etiam parochia instituta fuit et nunc vulgo *S. Iohannes maior* dicitur. Ex quibus falsa evincitur nostratium traditio in cod. Ms. eiusdem ecclesiae et apud plures scriptores vulgata, qua affirmatur Constantinum, primum christianum imperatorem, Neapolim marittimo itinere advenisse et applicavisse in regionem *sedilis portus*, ubi dicitur *ad ripam*, ibique ecclesiam magnam sub titulo S. Iohannis fundasse. Haec, ut primordia plurium nostrarum ecclesiarum augustiora facerent, nostrates aevo sequiori, saeculo scil. XIV vel XV, invenerunt.

(3) In capella S. Iohannis *ad fontes*, quae iuxta tribunam ecclesiae S. Restitutae visitur, pluribus vetustissimis ex musivo picturis decorata, hoc baptisterium fontis minoris a Vincentio extructum a nostris scriptoribus agnoscitur. V. MAZZOCCHI, *De cathedr. eccl. neap.* p. 25; PARASCANDOLO *O. c.* t. I, p. 96.

(4) De genuino episcopii significatu apud Chronographum hunc nostrum satis ample disseruit ASSEMANI. *O. c.* t. III. in *Edicti peremptorii repulsa* p. 22 in not.

(5) Hoc est triclinium seu coenaculum, quo ad reficienda cibo corpora interdum episcopus praestantiores e clero invitabat, ac praecipue Sabbato Sancto post solemnis baptismi laborem. *Accubitorum* meminit et Anastasius Bibliothecarius in Leone IV. MUR.

(6) Scil ab. a. 555 ad a. 574, si ad romanorum pontificum epocham spectes; si autem imperatorum annos supputare velis, Vincentii aetas usque ad a. 578, quo Tiberius Constantinus imperium obtinuit protrahenda est.

P.Diac. tes: *Quia expedierat Romanis, Gothis potius servire, quam grecis, ubi Narsis eunuchus imperat, et nos servitio premit, et haec noster piissimus Princeps ignorat? aut libera nos de manu eius, aut certe ei civitatem romanam et nosmetipsos gentibus tradimus.* Cumque hoc Narsis audisset, haec breviter retulit verba: *Si male feci cum Romanis, male inveniam.* Tunc augustus adversus Narsetem commotus est, ut statim in Hitaliam Longinum praefectum mitteret, qui Narsetis locum optineret. Narsis vero, his cognitis, valde pertimuit, et in tantum maxime ab eadem Sophia augusta territus est, ut regredi ultra Constantinopolim non auderet. Cum illa inter cetera, quia eunuchus erat, haec fertur mandasse, ut eum in genecio lanarum faceret pensa dividere. Ad quem verba Narsis dicitur haec responsa dedisse: *Talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa, dum viveret, texere non posset.* Itaque odio metuque exagitatus, Neapolim Campaniae civitatem secedens, legatos mox ad Langobardorum gentem direxit, mandans, ut paupertina Pannoniae rura desererent, et ad Hitaliam cunctis refertam divitiis possidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos possit inlicere. Langobardi laeta nuntia, ut quae ipsi praeoptabant gratanter suscipiunt, deque futuris commodis animos attollunt.

G.pont. Ut cognovit Iohannes papa, festinus venit Neapolim, coepit rogare Narsetem, ut reverteretur Romae. Tunc Narsis dixit: *Dic sanctissime papa, quid malum feci Romanis? vadam ad pedes eius, qui me misit, et cognoscat omnis Italia, quomodo totis viribus lavoravi pro ea.* Respondit Iohannes papa dicens: *Citius ego vadam, quam tu de hac terra egressus fueris.* Reversus est Narsis cum sanctissimo Iohanne papa, et ingressus est Roma. Post multum autem temporis mortuus est, eiusque corpus in lucello positus, reductus est cum omnes divitias ejus Constantinopolim. Ipsoque tempore Iohannes papa et ipse mortuus est, et sepultus in basilica beati Petri apostoli. In cuius loco Benedictus papa adsumitur. Eodem tempore apud Italia noctu
P.Diac. signa visa sunt; hoc est igneas acies in coelo apparuerunt, eum scilicet, qui postea effusus est, san-
G.pont. guinem coruscantes. In sequenti vero gens Langobardorum, totam invasit Italiam simulque et famis nimia, ut etiam multitudo castrorum se tradidissent Langobardis, ut temperarent inopiae
P.Diac. famis: cum essent ab incarnatione Domini quingenti sexaginta et octo anni elapsi.

XXIIII. Redux (1) episcopus sedit annos III. dies XXIV (2).

(1) Huius episcopi memoria extat in quadam subscriptione Petri Subdiaconi, Neapolitanae ecclesiae notarii, ad Augustini *Florilegium Eugipianum* in quibusdam codd. apposita, quae ita sese habet: „ Et orationibus beatae, et gloriosae semper virginis Mariae hunc codicem excerptorum, quae ex opuscolis S. Augustini beatae recordationis Egipius presbyter et Abba fecit, et cum codicem Dei aspiratione pro amore Divinarum Scripturarum adhuc in laica vita constitutus Redux misericordia Dei episcopus conscribi fecit, et privatu (praefatus *corr.* MABILLON; *sed* MAZOCHIO privatus *idem* ac laicus. V. *De Ss. Neap. epp.* p. 267, not. 10) Redux Dei gratia faciente in eadem Neapolitana civitate a viro beatissimo Pelagio sedis Romae Pontifice est episcopus ordinatus, et eo iubente ego Petrus notarius S. ecclesiae catholicae Neapolitanae, ut potui, emendavi sub die Iduum decembrium, imperatore domino nostro Tiberio Constantinopolis Agusti, (*corr.* Tiberio Constantino pp. (i. e. *perpetuo*) augusto), anno septimo post consulatum eiusdem Agusti anno tertio, indictione quintadecima, obsidentibus Langobardis Neapolitanam civitatem. Quem codicem pro memoria recordationis nominis sui praedictus episcopus devote sanctae ecclesiae Neapolitanae, cui praeest, pro aedificatione populi christiani noscitur obtulisse. Et obtestor vos sanctos successores ecclesiae supra scriptae Dei gratia succedentes, in diversis ordinibus constitutos, per Dei nostri omnipotentis adventum, ut hic codex in ecclesia Dei semper valeat permanere, ut quomodo fides aeterna est christiana, sic haec oblatio codicis in ecclesia jure Deo custodienda etc. vobisque servientibus, ibidem semper servetur. Testes sitis etiam vos per confessionem meritaque beati Ianuarii Martyris, ut sub nullo argumento, nulla alienatione, nulla commutatione de archibo ecclesiae vel jure, aliquo modo discedat, ne cum praedicto pontifice Reduce in divino iudicio causas reddere videamini. Finit. Amen (MAZZOCCHI, *In Kalend. Neap.* p. 127-131, et *De Ss. Neap. epp.* p. 264-273).

(2) In *Kalend. Neap.* marmoreo ad diem 29 martii adnotatur: *Depositio Reducis epi.* Cum autem annis 3 et diebus 24 sederit, recte coniicitur eum die quinta m. martii a. 579. in quo dies Dominicus fuit, episcopum a Pelagio consecratum fuisse, quia idibus decembris a. 581, ut ex supra re-

Fuit autem temporibus jam dicti Benedicti papae usque ad exordium Pelagii papae et temporibus Tiberii Constantini (1).

Beatus Gregorius, postquam a monasterio abstractus ecclesiastici ordinis diaconii sublimatus fuisset officio, apocrisiarius Constantinopolim mittitur, eiusdem urbis episcopum in fidem nostrae resurrectionis errasse, Tiberio praesente, convicit. Docebat enim idem Euticius, corpus nostrum, in illa resurrectionis gloria inpalpavile ventis aerique subtilius esse futurum. Quod ille audiens, et ratione veritatis, et exemplo dominicae resurrectionis probavit, hoc dogma orthodoxae fidei omnimodis esse contrarium. Catholica enim fides habet, quod corpus nostrum illa inmortalitatis gloria sublimatum, subtile quidem sit per effectum spiritualis potentiae, sed palpavile per veritatem naturae, iuxta exemplum dominici corporis, de quo a mortuis resuscitato, dicit ipse discipulis: *Palpate me, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.* In cuius assertione fidei venerabilis pater Gregorius in tantum contra nascentem heresem novam laborem contendit, tanta hanc instantia, iuvante etiam piissimo imperatore Tiberio Constantino, comminuit, ut nullus exinde sit inventus, qui eius resuscitator existeret. P.Diac. Beda P.Diac.

XXV. DEMETRIUS (2) episcopus sedit annos III.

latis arguitur, certe in vivis erat. Obiit vero a. 582. Cf. MAZZOCCHI, *De Ss. Neap. epp.* p. 260 et DI MEO ad a. 579 n. 4.

(1) Minus recte, nam ex supra dictis Redux post mortem Benedicti PP. (a. 578) episcopus ordinatus fuit.

(2) Ad hunc episcopum scribit S. Gregorius PP. ind. IX (590-591.) praecipiens, ut Stephanum quemdam et socios suos, qui de quibusdam fidei catholicae capitulis dubitaverant, cum ad fidem reversi essent, in ecclesiae communionem susciperet. Deinceps ind. X (post m. septembrem a. 591) cum idem Demetrius, ob sua facinora poenitentiae reservatus, sacerdotii honore privatus fuerat, idem pontifex *clero, et nobilibus, ordini et plebi consistentibus Neapoli* mandat, ut ad eligendum alium pontificem in locum dicti Demetrii, qui nec ante episcopus dici meruerat, omni mora postposita, procedatur; quia, defuncto vel sublato pastore, diu sacerdotio privari ecclesia non debet. S. GREGORII M. *Epist.* L. I, ep. 14; L. II, ep. 6.

Interea idem PP. Paulum, Nepesinum episcopum, ad ecclesiae Neapolitanae res procurandas visitatorem miserat, et cum eundem paucis post diebus Neapolitani cardinalem habere desiderarent episcopum, ordini et plebi m. decembri a. 591 scribit se velle maturius in hac re procedere, cum summis in rebus citum non oporteat esse consilium, et, ut interim ei obediatur, commendat. (L. II, ep. 9) Postea eidem Paulo scribens eadem ind. X eum hortatur, ut ita se in cunctis studeat exhibere, quatenus Neapolitanae civitatis testimonium bonitatis suae roboretur augumento. Quousque vero de iis, quae a se Neapolitani depostulabant, revelante domino, deliberare posset, clericos ex laicis ordinari, et manumissiones apud eum in ecclesia solemniter celebrari concedit. Consuetudines autem cleri suprascriptae ecclesiae et presbyterorum sine cunctatione persolvere mandat. (L. II, ep. 10) Aliis literis m. febr. eadem indictione datis iterum ei, qui ad suam ecclesiam reverti cupiebat scribit se diuturna necesse habere deliberatione, quatenus Neapolitanam ecclesiam digna posset ordinatione disponere, et commendatum ab eo Petrum diaconum in sua protectione habere pollicetur. (L. II, ep. 15).

Cum autem in castro Lucullano in eundem Paulum scelus commissum fuisset, cui gloriosae Clementiae, nobilis matronae, mancipia interfuisse, et voces, quae seditionem commoverant, jactitasse dicebantur, Gregorius id graviter ferens, Petro subdiacono, qui in Campania b. Petri patrimonium pro Romano pontifice regebat, epistola m. septem. ind. XI. a. 592 data, scribit se Scolastico, viro memorabili, Campaniae iudici, qui Romae praesens inventus fuerat, specialiter iniunxisse, ut tantae perversitatis insaniam districta debuisset emendatione corrigere. Praeterea Epiphanium subdiaconum Neapolim dirigit, qui una cum praefato judice a quibus excitata sit vel commissa seditio investigare ac cognoscere possit et digna ultione vindicare; nec non eidem Petro subdiacono praecipit ut eam iniuriam item vindicandam curaret, atque, si qua mancipia illa in monasterio S. Severini vel in alia ecclesia eiusdem castelli refugerint, nullo modo illic ea immorari permittat, sed intra civitatem, in ecclesiam revocet. (L. III. ep. 1.) Postea aliis literis eundem Paulum de supradictis certiorem faciens PP. eum consolatur et commendat, quod pro aequitatis rectitudine iniuriam pertulerit (L. III, ep. 2).

Denique cum saepius episcopus ipse ad propriam ecclesiam reverti instaret, et Florentius subdiaconus ad hanc dignitatem electus Romam fugiens ipsam ordinationem evasisset, Gregorius PP. memorato Scolastico, judici Campaniae, m. decemb. ind. XI. a. 592 mandat, ut convocans priores vel populum civitatis de electione alterius cogitet, et, si aptam non inveniet, in quam possit consentire, personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligere faciat, quos Romae generalitatis vice mittat, quorum et iudicio plebs tota consentiat. (L. III, ep. 15). Idem m. maio eadem ind. XI. a. 593 Petro sub-

Fuit temporibus Pelagii papae, et Tiberii Constantini usque ad exordium Mauricii Tiberii (1).

P.Diac. Eodem tempore postquam venerandus levita Gregorius Romam regressus est, tante pluviae G.Pont. fuerunt, ut omnes dicerent, quod aquae dilubii superinundaverunt. Tanta inundatio Tiberis fluvius alveum suum egressus est, tantumque excrevit, ut eius unda super muros urbis influeret, P.Diac. atque in ea maximas regiones occuparet, ita ut plurima antiquaque aedium munimenta deiceret. Subsecuta est e vestigio clades quam inguinariam vocant; nam in medio mense undecimo adveniens, primum omnium iuxta illud quod in Ezechielem legitur: *A sanctuario meo incipite*, Pelagium papam perculit, et sine mora extinxit. Quo defuncto tanta strages populi facta est, ut passim subtractis habitatoribus domus in urbe plurimae vacuae remanerent. In hac tanta tribulatione beatissimus Gregorius a cunctis generaliter papa electus est. Qui dum septiformem letaniam fieri ordinasset, intra unum hore spatium, dum hi Deum deprecarentur, octoaginta ex eis subito ad terram corruentes spiritum exhalarunt. Sed non destitit sacerdos dandus populo praedicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione divina pestis ipsa quiesceret. Septiformes autem letania ideo dicta est, quia omnis orbis populis a beato Gregorio in septem partibus, deprecaturus Dominum est divisus. In primo namque choro fuit omnis clerus. In secundo omnes abbates cum monachis suis. In tertio omnes abbatisse cum congregationibus suis. In quarto omnes infantes. In quinto omnes laici. In sexto universae viduae. In septimo omnes mulieres coniugatae.

XXVI. Fortunatus (2) episcopus sedit annos vii, dies xi.

diacono Campaniae scribit praecipiens, ut Paulo centum solidos et unum puerulum orphanum, quem ipse elegerit, pro labore suo de Neapolitana ecclesia faciat dari (L. III, ep. 35).

(1) Heic ratio non constat, nam Demetrius, ut supra vidimus, saltem usque ad a. 591 exeuntem, qui fuit annus decimus Mauricii imp., in Neapolitana cathedra sedit. Aut ergo Chronographus in huius epoca, aut in annis episcopatus Demetrii fallitur.

(2) Fortunatus m. iunio vel iulio ind. XI a. 593 Romae electus episcopus a Neapolitanis bene susceptus fuit, ut ex epistola S. Gregorii L. III ep. 61, qui de hoc eidem gratulatur, discimus. Ad eum multas idem PP. epistolas misit, quas indicare supervacaneum non erit.— 1. Eadem ind. XI. m. aug. Gregorius scribit, ut in monasterio, quod Rustica patricia in Neapolitana civitate in regione Herculensi et in vico Lampadi ex testamento constituerat, dedicaret oratorium in honorem b. Mariae semper virginis, sicut Gratiosa, abbatissa praefati monasterii, una cum congregatione sua petierat (L. III. ep.63)— 2. Ind. XIII m. iunio mandat, ut monasterium in domo q. Martini extructum ab Andrea, olim monasterii S. Martini abbate, ex petitione Theodosii eiusdem successoris in honorem b. Petri apostolorum principis et b. Michaelis Archangeli dedicaret (L. V ep. 37). — 3. Ind XIV m. septembri ei, ut Gratianum, ecclesiae Venafranae diaconum, quia nec episcopum, cui obsecundare, nec propriam habet ecclesiam, hoste scilicet prohibente. Neapolitanae ecclesiae cardinandum constituat, concedit. Eum praeterea admonet, ut monasteria civitatis parochiaeque suae pastorali cura diligenter invigilet, ac ne clericos vel religiosas personas ad iurisdictionem suam pertinentes ab aliis conveniri, vel ad alterius iudicium exhiberi permittat, sed cuiuslibet negotii inter has personas questionem ipse cognoscat. (L. VI ep. 11).— 4. Ind. XIV. m. april. a. 596 scribit ut mancipia iudaica vel pagana, quae ad christianam fidem converti desiderabant, eius defensione in libertatem vindicarentur. Dominis intra tres menses ea vendere licitum, non aliis tamen emptoribus, quam christianis; post tres menses vero minime, quia tunc ea non ad vendendum, sed ad serviendum sibi videbantur comparasse. (L. VI ep. 32). — 5. Ind. XV, m. octobri a. 596 mandat ut clericus uxorem, quam quia servam dimiserat, cum libera reperta fuerit, iterum recipiat. (L. VII ep. 1). — 6. Eadem ind. XV. m. maio a. 597 eidem Fortunato et Anthemio defensori mandat, ut Stephanum compellant ad restituendum Catelli sorori, quae ei fuerat desponsata et postea monacham professa, bona ab eo indebite detenta. (L. VII ep. 23). — 7. Ind. II, m. octobri a. 598 eidem, ut et aliis episcopis, praecipit ut Gregorio ex-praefecto, qui basilicam aedificabat, Martyrum reliquias daret. (L. IX ep. 25).— 8. Ind. II. m. februario a. 599 mandat, ut mancipia christiana, quae Iudaei de Galliarum finibus emebant, aut mandatoribus contraderentur aut certe christianis emptoribus intra diem quadragesimum venumdarentur, et ne Basilius Hebraeus filiis suis christianis quaedam mancipia item christiana, ut in libertatem non vindicentur, donata retineat (L. IX ep. 36)—9. Ind. II, m. iulio a. 599 eidem Misenatis ecclesiae, sacerdotis regimine destitutae, visitationem delegat, et mandat ut clerum plebemque eiusdem ecclesiae ad eligendum episcopum admoneat (L. IX ep. 75).

Hic fuit temporibus praedicti beatissimi domni Gregorii papae, et Mauricii augusti (1). Hic sanctus Gregorius exposuit omelias evangeliorum numero quadraginta, Iob, Ezechihelum, et Pastoralem, et multa alia, quae in eius vita inveniuntur conscripta. Eodem tempore venit Romanus patricius Romae, et dum reverteretur Ravenna, retenuit civitates, quas a Langobardis tenebantur, Sutrum, Polimartium, Hortas, Tuder, Sutrum, Poliria, Perusia, Luceolis, et alia multa. G.Pont.

Praeterea eadem de causa scribit clero ordini et plebi consistenti Miseni, ut visitatori obediant et episcopum eligere non cessent. (L. IX ep. 76) — 10. Ead. ind. II, m. iul. mandat, ut Ianuariae. religiosae feminae, quae in Massa Furiana oratorium fundaverat (L. IX, ep, 84), sanctuaria, i. e. reliquias b. Severini confessoris, et Iuliani martyris ad dictum oratorium consecrandum concedat. (L. IX, ep. 85)—11. Eisd. ind. et mense ipsi Fortunato Barbatianum monachum ad monachorum gubernationem in quodam Neapolis monasterio transmittit in locum cuiusdam servorum Dei patris defuncti, quem antea destinaverat, et mandat, ut, si eum humilem cognoverit, ad abbatis honorem perducat. (L, IX ep. 91)—11. Eisdem indictione, et mense ipsum monet, ne milites in monasterio, cui Agnella abbatissa praeerat, ospitari sineret. (L. IX, ep 103)—12. Ind. III. m. octobri a. 599 mandat, ut ecclesiam ex Romani, clarissimi viri, testamento in domo sua conditam, in honorem Ss, Hermetis, Sebastiani, Cyr'aci et Pancratii solemniter absque missis publicis dedicaret, ita ut in ea baptisterium numquam construatur, aut presbyter cardinalis constituatur (L, X ep. 2). Et sequenti epistola Fantino defensori mandat, ut ipsius Romani mancipia eidem monasterio legata, quae in Sicilia erant, in usum eiusdem monasterii recolligeret. (L. X ep. 3). — 13. Ind, III, m. februario a. 600 eidem Fortunato Fuscum quemdam abbatem monasterii Neapoli positi commendat. (L. X, ep. 12). Epistola sequenti Romano defensori mandat de massa Papyrianensi in Sicilia sita inter monasterium Ss. Erasmi et Maximi et Julianae Neapolitanum, cui Fuscus praeerat, et xenodochium S. Theodori dividenda. (L. X. ep. 13). Item alia epistola, Fantino defensori mandat, ut codices velaque monasterii S. Archangeli a Costantio presbytero quondam in Siciliam deportata Fusco abbati restituenda curet. (L, X ep. 14) — 14. Ind. III. m. aprilis a. 600 eundem Fortunatum reprehendit, quod erga monasteria sibi subiecta minus sollicitus fuisset, et Mauricius, qui nuper in monasterio Barbatiani conversus fuerat, ablatis secum aliis monachis fuga de eodem monasterio discessisset. Praeterea admonet, ut nullo modo monachi, priusquam biennium in conversatione compleant, tonsurentur. et milites sine suo assensu in monasteria ascisci prohibet. (L. X, ep. 24)—15. Eadem ind. m. maio? eidem praecipit, ut una cum Anthemio subdiacono de Petro clerico, a pueris falso accusato, facti veritatem inquirat, et si criminis reum invenerit canonica ultione puniat, si vero innocentem, illum absolvat. (L. X. ep. 40). Quod etiam eidem Anthemio scribit (L. X. ep. 41),—16. Denique Iohanni (Surrentino?) et Fortunato (Neapolitano) episcopis, atque Anthemio subdiacono Gregorii expraefecti homines et possessiones commendat, (L. X. ep. 59).

Fortunatus interfuit et subscripsit in synodo Romae habita die 5 julii ind. XIII. a. 595. ut ex eiusdem pontificis regesto patet. *Coll. Conc*, ed. MANSI, IX, 1226.

Aliae ad rem ecclesiasticam Neapolitanam et ad haec tempora pertinentes Gregorii I. PP. epistolae hae sunt: — 1, Ind. IX. m. febr. a. 591 Gregorius inter alia Anthemio subdiacono mandat, ut duobus monachis in oratorio S. Archangeli servientibus, quod in Lucullano castro iuxta S. Petri basilicam erat, binos solidos persolveret. quia suis rationibus imputarentur. (L. I. ep, 24).— 2. Ind. III. m. febr.? a. 600 Godiscalcum, ducem Campaniae, hortatur, ut S. Archangeli monasterium et eius abbatem, quod ipse diripi fecerat, eo quod monachus ad hostes confugerat, vexare desinat. (L, 10, ep. 11).—3. Eadem ind. m. jul. idem PP. Adeodato abbati Neapolitano scribens monasterium Gratterense, quod situm in Plaia erat monasterio S. Sebastiani; quod Neapoli in domo q. Romani constructum fuerat, quousque Neapoli ordinaretnr antistes, coniungit; quo quidem ordinato utrum in perpetuum an temporalis haec unitio esse debeat, maturius pertractaretur. Et quia monasterium Puteolis constitutum, quod Falcidis dicebatur, iam destitutum a monachis erat, illud etiam in perpetuum monasterio eiusdem Adeodati aggregat, salvis iuribus Puteolani episcopi. (L. 10, ep, 61). Postea ind. VI m. sept. a. 602 eidem Adeodato scribens dictum monasterium, quod Gratteras dicitur Neapolitanae urbi e vicino fundatum, cellae ejusdem Abbatis unit, nulla de Basilii, Capuani episcopi, oppositis allegationibus ratione habita. (L. XVI, ap. 2-4).—Ind. III, m. oct. a. 600, idem PP. Romano defensori mandat ut Teclam, abbatissam monasterii S. Mariae, quod Neapoli in domo q. Felicis scholastici cōstitutum fuerat, cum Alexandro genero reconciliet. (L. XI, ep. 11).

(1) Cum Fortunatus m. julio a. 593 episcopus ordinatus fuerit et sederit annis 7, diebus 11, consequens est eum vel mense iulio vel saltem augusto ineunte mortem obiisse,

Fortunato autem defuncto et clero ac populo Neapolitano pro successore substituendo in duas partes scissis, quarum altera Iohannem diaconum, altera Petrum ad episcopalem dignitatem vocaverat, Gregorius PP. clero et nobilibus civibus Neapolitanis scribens praecipit, ut nulla de electione Iohannis diaconi ratione habita, quia incontinentiae vitio notatum cognoverat, de Petro subtiliter inquireretur, utrum vera sint,

P.Diac. Hoc tempore isdem beatus Gregorius Augustinum, et Mellitum, et Iohannem cum aliis pluribus monachis timentibus Deum, in Brittaniam misit, eorumque praedicatione ad Christum Anglos convertit. Hic sanctus Gregorius augmentavit in praedicationem canonis : *Diesque nostros in tua pace dispone* et cetera.

XXVII. Paschasius (1) episcopus sedit annos XIIII, dies VI (2).

Fuit autem temporibus beatorum Sabiniani, et Bonifatii, seu alii Bonifatii papae, et Focae imperatoris.

P.Diac. Huius secundo anno indictione octava beatus Gregorius papa migravit ad Dominum, cuius in locum ad apostolicatus officium Savinus est ordinatus.

G.pont. Huius temporibus fuit famis in civitate Roma gravis, et iussit aperire horrea Ecclesiae, et venundari frumenta per solidum unum triticum modia treginta. Qui postquam unum annum, et quinque menses cum VIIII dies sedisset, defunctus est, et Bonifatius in eius loco adsumtus.

Hic optinuit apud Focatem principem, ut sedem apostolicam beati Petri apostoli caput esset omnium ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana prima se omnium ecclesiarum scribebat.

P.Diac. Idem, alio Bonifatio petente papa, iussit in veteri fano, quod Pantheum vocabatur, in quo fecit ecclesiam beatae semper virginis Mariae, ablatisque idolorum sordibus nomina ibidem martyrum dedicavit, ut, ubi quondam omnium non deorum, sed daemoniorum cultu agebatur, ibi omnium deinceps fieret memoria sanctorum.

quae de eius simplicitate et de usurae crimine ei obiecto insimulabantur. Praeterea hortatur eos, ut alium etiam, qui aptus esse poterat, providere curent. (L. X, ep. 62).

(1) Quoniam Petrus, quem supra memini, idoneus, ut patet, repertus non fuit, forsitan circa m. octob. vel novemb. a. 600, Paschasius Neapolis episcopus consecratus fuit (Di Meo, *Annali*, I, 232). Certe initio anni 601 iam episcopus habetur. Gregorius enim ind, IV, m. febru. eidem mandat, ut Venantio sanctuaria seu reliquias S. Severini confessoris concedat; quatenus oratorium ab eo constructum in illius sancti nomine posset solemniter consecrari (L. XI, ep. 31).—Postea inter m. febru. et m. iunium eiusdem anni scribit eidem sequenti epistola, quam, utpote ad ecclesiasticas illius temporis consuetudines cognoscendas plurimum aptam, heic juvat repetere „ *Gregorius Paschasio episcopo Neapolis.* " Tempore, quo Fraternitas tua ad episcopatus officium Deo auctore provecta est, constituisse nos recolit, ut ex pecuniis ecclesiae vestrae portio cleri vel pauperum, quam minime decessor vester praebuerat, idest quadrigenti solidi seorsum fieri debuissent, qui eiusdem cleri atque pauperum erogationi proficerent; quod, quia diutius non est differendum, volumus ut secundum distributionem praesentibus scriptis insertam coram Anthemio subdiacono nostro, sine difficultate aliqua, Fraternitas vestra debeat erogare. Praebendi itaque sunt clericis vestris per singulos, sicut prospexeritis, simul omni summa solidi centum; praeiacentibus, quos centum viginti sex esse cognovimus, dandi sunt solidi sexaginta tres, id est medium solidi per singulos : presbyteris ac diaconis et clericis peregrinis solidi quinquaginta: hominibus honestis ac egenis, quos publice petere verecundia non permitit, solidi centum quinquaginta, ita ut quidam eorum ad singulos tremisses, quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit amplius dimittantur, Reliquis vero pauperibus, qui eleemosynam publice petere consueverunt, solidos triginta sex. Ecce nos quantum vel quibus dari debeat, distribuimus. Sed quia, sicut praevidimus, non omnibus aequaliter est praebendum, necesse est, ut una cum praedicto subdiacono, prout praevideritis, dare singulis debeatis, atque id modis omnibus studeatis, quatenus hoc quod alter injuste detinuit, vos devote ac celerius impendendo ad vestram possitis applicare mercedem „ (L. XI, ep. 34).

Eadem ind. m. iunio vel iulio Gregorius Anthemio subdiacono Campaniae praecipit, ut Paschasium admoneat, quatenus Hilarum, Iohannis diaconi criminatorem, prius subdiaconatus privet officio, atque verberibus publice castigatum faciat in exilium deportari, utque vicedominum et majorem domus sibi ordinet, qui possit vel hospitibus supervenientibus vel causis, quae eveniunt, idoneus et paratus existere. (L. XI ep. 71).—Deinceps ind. VI, m. novembri a. 602 idem PP. eidem mandat ne judaeos Neapoli consistentes, et eorum solemnia celebrantes turbari faciat, sicut eis eorumque parentibus a longis temporibus licuerat (L. XIII, ep. 12).—Denique eadem ind. m. martio a. 603 PP. Anthemio subdiacono Campaniae mandat, ut coram aliis sacerdotibus vel quibusdam nobilibus admoneat Paschasium, ne amplius ecclesiae suae administrationem negligeret, et ut vigilans esset in monasteriorum cura ceterisque ad eum spectantibus (L. XII, ep. 26).

(2) Cum Paschasius a. 14 et di. 6, in Neapolitana cathedra sedisset ab ultimis mensibus a. 600, non sine ratione Di Meo, *O. c.* I, p. 289 eum vel m. septemb. vel m. decemb. a. 614 obiisse coniicit.

XXVIII. IOHANNES episcopus sedit annos [XX] (a) menses VII, dies XIIII (1).

Hic fecit consignatorium alvatorum (2) inter fontes maiores a domino Sotero episcopo digestae et ecclesiam Stephaniam, per quorum baptizati ingredientes ianuas a parte leva ibidem in medio residenti offeruntur episcopo, et benedictione accepta per ordinem egrediuntur parti sinistrae (3). Id ipsud et in parietibus super columnas depingere iussit. Fuit autem temporibus Deusdedii, Bonifatio, et Honorii papae, atque Heraclio augusti.

Deusdedi papae temporibus factus est terremotus maior mense augusti indictione VI. Post haec secuta est clades magna in populo percussio scavearum, ut nullus potuisset mortuum suum cognoscere. Quo defuncto, levatur in loco eius Bonifatius papa, ante cuius diem ordinationis Eleutherius patricius et eunuchus factus intarta adsumpsit regnum; veniente eo ad civitatem Romanam in castrum, qui dicitur Luciolis, a militibus Ravennatis interfectus est, cuius caput ductus est Constantinopolim. Qui postquam papa Bonifatius quinque annos sedisset, Honorius cathedram pontificalem suscepit. G.pont.

His temporibus Anastasius Persa monachus nobile pro Cristo martyrium patitur; qui natus in Persida, magicas a patre puer artes discebat. Sed ubi captivis christianis Christi nomen acceperat, in eum mox animo totus conversus, relicta Perside, Calcedoniam, Gerapolim[que], Christum quaerens, ac deinde Hierosolymam petit, ubi accepit baptismatis gratiam. Quarto ab eadem urbe miliario monasterium abbatis Anastasii introivit, ubi septem annis regulariter vivens, dum Caesaream Palestinae orationis gratia venisset, captus a Persis, et multa diu verbera inter carceres et vincula Marzabana iudice perpessus, tandem mittitur Perside ad regem eorum Chosronem, a quo tertio per intervallo temporis verberatus, ad extremum una suspensus manu per tres hore diei, sic decollatus cum aliis LXX martyrium complevit. Mox eius tunica indutus quidam daemoniacus curatus est. Interea superveniens cum exercitu Heraclius princeps, superatis Persis, christianos, qui erant captivati, reduxit gaudentes. Reliquie beati martyris Anastasii primo monasterium suum, deinde Romam advectae, venerantur in monasterio beati Pauli apostoli, quod dicitur ad Aquas Silvias. Beda

XXVIIII. CESARIUS episcopus sedit annos IV. dies IV.

Fuit autem temporibus supradicti Honorii papae, et Heraclii augusti (4).

His temporibus exortum apud Scottos in observatione Paschae errorem, idem Honorius papa per epistulam redarguit, et rectis ordinibus stabilivit. Postquam autem Honorius papa ex hac luce migravit, devastatum est episcopius Lateranensis a Mauricio chartulario, et Hisacio exarcho Italiae, dum adhuc electus esset domnus Severinus. Sed antequam veniret Hisacius patricius, Mauricius dolo ductus adversus ecclesia Dei, consilio inito cum quibusdam perversis hominibus, Beda G.pont.

(a) *Ita e correctione cod.* WAITZ.

(1) Hic forte initio a. 615 consecratus fuit (DI MEO, *l. c.)* et, si numeri annorum, qui supra adnotantur, recte sese habent, circa m. aug. a 635 e vivis excessit. Nomina PP. et impp., infra memorata, apte respondent huic supputationi.

(2) Ita in cod., neque aliter, si facilem mutationem litterarum *b.* et *v.* excipies, in *Catal. Blanchin.* Ita etiam Chioccarellius et Ughellius legerunt; at Muratorius *ablutorum* legendum putat; quod, etsi contra codicis fidem sit, tamen nihil ex mente scriptoris mutat; utrumque enim, *albatorum* scilicet et *ablutorum*, rectissimum esse Mazochius contendit; quandoquidem memoratum *consignatorium* erat aedificium, quo baptizati, qui et albati a vestibus albis et abluti a lustralis aquae lavacro recte dici poterant, sese e sacro fonte recipiebant, ut ab episcopo sedente sacro confirmationis oleo ungerentur. (Cf. MAZZOCCHI, *De cath. eccl. Neap. p. 26).* In *Catal. Blanchin.* pro *consignatorio* legitur *consumatorium*, forte eo quod ibi fideles christiani perfecti fiebant.

(3) Una ex his partibus, quae ambo ex auctoris incogitantia laevae dicuntur, dextra quidem esse debuit.

(4) Hic verisimiliter, ut di Meo arguit, vel die 29 m. septembris vel 9 m. novembris a. 635 Neapolitanorum episcopus consecratus fuit, et post annos 4, et dies 4 obiit. DI MEO, *Ann.* II, p. 30.

G.pont. incitaverunt exercitum Romanum, dicentes: *Quia quid prodeest* (a), *quod tantae pecuniae congregatae sunt in episcopio Lateranense ab Honorio papa, et milites isti nihil exinde subventum habent, dum quando et rogas, quas dominus imperator vobis per vices mandavit, ibi sunt a suprascripto viro reconditas?* His auditis, exarserunt omnes adversus ecclesiam Dei, et venerunt omnes animo concitati et armati, qui inventi sunt in civitate Romana a puero usque ad senem in episcopio suprascripto Lateranense, et non potuerunt manu militare introire, quia restiterunt eis, qui erant cum sanctissimo domno Severino. Tunc videns Mauricius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus, fecit ibi exercitum sedere intra episcopio Lateranensem, et fuerunt ibi dies tres. Post triduo autem introivit Mauricius cum iudices, qui inventi sunt cum ipso in consilio, et sigillaverunt vestiaria ecclesiae, seu cymilia episcopii, quas diversi christianissimi imperatores, seu patricii, et consules pro redemtione animarum suarum beato Petro apostolo derelinquerunt, ut pauperibus singulis temporibus pro alimonia erogarentur, seu propter redemptionem captivorum. Et postmodum misit Mauricius epistulas suas ad Isacium patricium Ravenna de hoc, quod actum fuerat, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium episcopii, et quia sine aliqua lesione omnem substantiam saepe dictam potuisset depraedare. Cumque hoc verius cognovisset Isacius, venit in civitatem Romanam, et misit omnes primatos ecclesiae singulos per singulas civitates in exilio, ut non fuisset, qui resistere debuisset de clero. Et post dies aliquantos ingressus est Isacius patricius in episcopio Lateranense, et fuit per dies octo, usque dum omnem substantiam illam depraedarent. Eodem tempore direxit exinde ex parte de ipsa substantia in civitatem regiam ad Heraclium imperatorem, et postmodum ordinatus est sanctissimus Severinus, et reversus est Isacius Ravenna.

XXX GRATIOSUS episcopus sedit annos VII (1).

Fuit autem temporibus Iohannis, et Theodori papae, et Heraclonis, et Constantii filii Heraclii.

G.pont. Hic Iohannes papa temporibus suis misit per omnem Dalmatiam, seu Histriam multas pecunias per sanctissimum, et fidelissimum Martinum abbatem propter redemptionem captivorum, qui depredati erant a gentibus. Theodori papae temporibus Mauricius chartularius, per quem multa mala operatus est Isacius patricius, cum iam increvisset peccata eius beato Petro apostolo, ut eos hereditaret ignis inextinguibilis, consilio ductus suprascriptus Mauricius cum ipsis, quibus antea devastaverant ecclesiam Dei, revellavit adversus Isacium patricium, et misit per omnia castra, qui erant sub civitate Romana per circuitum, et congregavit eos, et constrinxit se cum ipsis in sacramento, ut deinceps nullis ex ipsis debuisset oboedire Isacio, neque hominibus eius, eo quod adfirmabat eum, quia sibi regnum imponere voluisset. Audiens haec Isacius patricius eo quod Mauricius cum omni exercitu Italiae sibi sacramenta dedisset, misit Donatum, magistrum militum et sacellarium suum, ad civitatem Romanam cum exercitu. Qui veniens, omnes iudices, seu exercitus Romanus, qui prius se cum Mauricio sacramenta constrinxerant, timore ducti, dimittentes Mauricium chartularium, seseque cum Donato fecerunt. Et ingressus Romam fugiit

(a) *Ita in cod.*

(1) Ex p. Alexandri Di Meo supputatione Gratiosus non ante diem 23 septembris a. 640 episcopus consecratus fuit a PP. Severino I., cum a die 22 octobris a. 638 ad diem 28 maii a. 640 sedes pontificia omnino vacasset. Quae si recte se habent, et Gratiosus ex Chronographi testimonio sedit a. 7, eum circa m. septembrem a. 647 obiisse, ut Di Meo etiam (*Ann.* II, p. 57.) asserit, dicendum est. At aut heic, aut postea in eo, qui sequitur, episcopo error aliquis inest. Nam. a. 7, qui Gratioso, et a. 6, qui Eusebio tribuuntur summam annorum 13 faciunt, qui ultra a. 652 nos ducunt. Leontius autem, qui post Eusebium successit, iam m. octobris a. 649 ex certo monumento episcopus habetur; ergo necesse est ut dicatur Eusebium antea e vivis excessisse, et aut ipsius aut eius antecessoris annos episcopatus a Chronographo erratos fuisse. Neque id Mazochius abnuit. Cf. *De Ss. Neap. epp.* p. 178.

Mauricius ad beatam Mariam ad Praesepe; quem tollentes de ecclesia, miserunt boiam in collo eius; similiter et omnibus, qui in consilio fuerant cum ipso inboiati, misit eos Ravenna. Qui ducentes eos pervenerunt in locum qui dicitur Ficuclas, duodecimo miliario a civitate, et ibi decollaverunt Mauricium, quia sic in mandatis acceperant a suprascripto Isacio, ut vivus civitatem Ravennatem non ingrederetur. Posteaquam decollatus est, levantes caput eius duxerunt eum Ravenna. Videns autem Isacius caput Maurici, gavisus est, et fecit eum ad exemplum multorum in circo Ravennate in stipite poni; illos autem, qui cum ipso directi fuerunt, omnes imboiati iussit sub arta custodia in carcere mitti, cogitans quomodo eos puniret. Sed cum haec ageretur, mox nutu Dei iudicio ipsis diebus percussus, divino ictu interiit Isacius, et mortuus est. Hii autem qui reclusi erant eicientes de carcere, reversi sunt singuli per loca sua. Audiens hoc Imperator, quia defunctus est Isacius, misit Theodorum patricium et exarchum, cui cognomento Caliopas, ad regendam omnem Italiam. G.pont.

Ipsis temporibus venit Pyrrus ex Africa, qui fuerat patriarcha Costantinopolitanus, in urbe Roma ad limina apostolorum; qui ingressus, libellum optulit cum sua subscriptione apostolicae sedis, coram cuncto clero et populo, comdemnans in eodem libello omnia, quae a se, vel a decessoribus suis scripta vel acta sunt adversus inmaculatam fidem. His itaque ab eo peractis, fecit eum munera erogare in populo, et cathedra ei iuxta altare poni, honorans eum, ut sacerdotem regiae civitatis. Postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit. Tunc sanctissimus Theodorus papa convocans universos sacerdotes et clerum in ecclesia beati Petri apostolorum principis, condemnavit eum sub vinculo anathematis. Qui praedictus Pyrrus reversus est in partibus horientis. Sanctissimus vero Theodorus papa scripsit Paulo patriarchae regiae civitatis, tam rogans, quamque regulariter increpans, nec non per apocrisarios praesentaliter ammonens, et contestans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem catholicae ecclesiae remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a suo conanime quoquo modo revocare, propter quod iusta ab apostolica sede ipse depositionis ultione perculsus est.

XXXI. Eusebius episcopus sedit annos VI (1).

Fuit autem temporibus Martini beatissimi papae, et Costanti (a) imperatoris.

Hic Constantinus deceptus est a Paulo, sicut Heraclius, avus eius, a Sergio eiusdem regiae civitatis episcopo. Qui Paulus Constantinopolitanae urbis episcopus inflammatus superbie spiritu adversus recta sanctae Dei ecclesiae dogma audacter praesumpsit paternis definitionibus contraire. Quod numquam nec a prioribus haereticis praesumptum est, ipse inlicite presumere studuit; in tantum ut apocrisiarii, qui ex praeceptione apostolicae auctoritatis eum commonuerant, ut de tali heretico intentu recederet, persecutionibus diversis cum aliis orthodoxis viris, et venerabilibus sacerdotibus insecutus est, quosdam eorum custodiae retrudens, alios in exilio deportans, alios autem verberibus summittens. Quibus poene ad apostolicam sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrantur, coniurantes, ut totius mali per apostolicam auctoritatem abscidatur commentum. Tunc beatissimus Martinus misit et congregavit episcopos in urbe Romana numero CV, et fecit synodum secundum instituta patrum orthodoxorum in ecclesia Salvatoris iuxta episcopium Lateranense, residentibus episcopis, presbyteris adstantibus cum diaconibus, et clerum universum et condemnaverunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrum, et Paulum patriarchas Constantinopolitanos, qui novitates contra inmaculatam fidem presumpserunt innectere. Et faciens exemplaria, per manus orthodoxorum fidelium per orientis et occidentis finibus disseminavit. Beda G.pont.

(a) Constantini, *ex correctione.*

(1) Hunc ex antecedentibus circa finem a. 647 episcopum ordinatum fuisse dicendum est, sed sequentia obstant, et vel ordinatio eiusdem antea collocanda, vel aetas ab eo in Neapolitana sede peracta annis 4 plus vel minus minuenda.

Beda Post haec missus ab imperatore Theodorus exarchus tulit Martinum Papam de ecclesia Constantiniana, perduxitque Constantinopolim. Qui post haec directus in exilio in loco, qui dicitur Cersona, ibi, ut Deo placuit, in Christi confessionem vitam finivit, multis in eodem loco virtutum signis usque hodie refulgens. Facta est autem synodus prefata anno nono imperii Constantini, mense octobris, indictione VIII.

XXXII. LEONTIUS (1) episcopus sedit annos III.

Hic fecit crucem auream mediocrem (2) cum lapidibus pretiosis ; in quem medio reclusit ex portione vivifici ligni, in quo Dominus noster pependi pro salute generis humani dignatus est. Pro cuius venerationis gratiam sexta feria ebdomandae maioris, et inventionis, seu exaltationis sanctae crucis, omnes promiscui sexus confluunt, devote flagitantes auxilia. Fuit autem temporibus Eugenii (3) papae, et supra dicti Costantini imperatoris.

G.pont. Huius temporibus Petrus patriarcha Constantinopolitanus direxit synodum ad sedem apostolicam, valde obscurissimum, et ultra regulam, non autem declarans operationes, aut voluntates in domino nostro Iesu Christo. Olympius vero veniens Romam, invenit sanctam Romanam ecclesiam coadunatam cum omnes episcopos Italiae, seu sacerdotes et clerum. Volens tamen adimplere, quae sibi fuerant imperata, secum armans exercitum virtutis, voluit scisma sanctae ecclesiae intromittere, atque per potentiam virtutis episcopos Italiae indirecto typo subscribere faceret. Cumque per plurimum tempus actum fuisset, non permisit omnipotens Deus, quae nitebatur perficere. Videns ergo, se a sancta Dei catholica ecclesia superatum, machinavit se quasi a mala intentione declinare, ut quod non poterat manu armata facere, subrepticio modo per missarum sollemnia in ecclesia Dei genetricis semperque virginis Mariae ad Praesepe, ad communionem dum veniret, Eugenium papam conprehenderet ac teneret. Sed omnipotens Deus, qui solitus est servos suos orthodoxos circumtegere, et ab omni malo eripere, nequaquam fieri permisit. Nam cum porrecturus Olympio exarcho communionem venisset, eius spatharius sanctissimum papam, ut ei iussum fuerat, ferire voluisset, excaecatus, non est permissus videre pontificem, quando exarcho communionem porrexit. Videns ergo Olympius exarchus, quia manus Domini circumtegebat (4) populum vel clerum, eo quod talem synodum direxisset Petrus Constantinopolitanus episcopus, qui non reciperetur; propter quod magno cum strepitu a sancta Dei ecclesia proicitur; et non prius isdem papa a populo et clero in eadem ecclesia Dei genetricis [Mariae] missas celebrari dimissus est, quousque typus ille abiceretur.

XXXIII. ADEODATUS (5) episcopus sedit annos XVIII.

(1) Episcopus hic interfuit synodo Romae habita contra monothelitas a die 5 ad diem 31 octobris a. 649, in quo ipse acta quinti concilii circa patrum auctoritatem relegere poposcit et subscripsit sic : *Leontius episcopus sanctae Neapolitanae ecclesiae.* V. *Coll. Concil.* ed. MANSI, X, 1066. In *Kalend. Neap.* marmoreo ad diem 26 julii adnotatur sic: *Dep. Leontii ep.*

(2) Hanc crucem *mediocrem* i. e. parvam eandem ipsam esse, quae hodie in ecclesia cathedrali eisdem prorsus diebus, ut a Chronographo memoratur, colenda proponitur, et MAZOCHIUS *O. c.* p. 176 suspicatus est, et d. IOACHIM TAGLIALATELA in opusculo, qui inscribitur. *La Stauroteca di S. Leonzio nella cattedrale di Napoli*, Napoli 1877, docte, ac subtilius ostendit.

(3) Imo Martini PP., cuius tempora, etiamsi Leontii annos ab octobri a. 649 numeres, non excessit.

(4) Chronographus large *Gesta pontificum* heic, ut et alibi, compilat; sed res, quae in vita Eugenii, cum rebus, quae in vita Martini leguntur; confundit ac perturbat, fortasse, ut Waitz suspicatur, codicem secutus, in quo foliorum ordo turbatus erat.

(5) Huius episcopi, praeter quod supra legitur, nihil aliud memoratum invenio, nisi festum eiusdem in *Kalend. Neap.* marmoreo sic ad diem 1 octobris adnotatum: *Dep. Adeodati epi.*

Fuit temporibus Vitaliani papae, et jam dicti Constantini augusti (1). G.pont.

Hic Vitalianus papa direxit responsales suos iuxta consuetudinem in regia urbe ipsi imperatori de ordinatione sua. Et dum suscepti essent, renovantes privilegia ecclesiae reversi sunt. Per eosdem vero missos direxit beato Petro apostolo evangelia aurea cum gemmis alvis mirae magnitudinis in circuitu ornatas.

His diebus Constantinus iam dictus augustus, qui et Constans est appellatus, Italiam a Langobardorum manu eruere cupiens, Constantinopolim egressus, per litoraria iter habens, Athenas venit; indeque mare transgressus, Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad solitarium quendam, qui prophetiae spiritum habere dicebatur, adiit, studiose ab eo sciscitans, utrum gentem Langobardorum, quae in Italia habitabant, superare ot optinere possit. A quo cum servus Dei spatium unius noctis expetisset, ut pro hoc ipso Dominum supplicaret, facto mane ita eidem augusto respondit: *Gens Langobardorum superare modo ab aliquo non potest; quia regina quaedam ex alia provincia veniens basilicam beati Iohannis Baptistae in Langobardorum finibus construxit, et propter hoc ipse beatus Iohannes pro Langobardorum gente continue intercedit. Veniet autem tempus, quando ipsud oraculum habebitur despectui, et tunc gens ipsa peribit.* Quod ita factum esse provatum est. Quia ante Langobardorum perditionem, quo trans Padus caperetur, eandem beati Iohannis basilicam, quae utique in loco, qui Modicia dicitur, est constituta, per viles personas hordinari conspecta est, ita ut indignis et adulteris, non pro vitae merito, sed praemiorum datione, isdem locus venerabilis largiretur. Constantinus vero Tarantum egressus, Beneventanorum fines invasit, omnesque poene, per quas venerat, Langobardorum civitates coepit. Luceriam quoque, opulentam Apuliae civitatem, expugnatam fortius invadens diruit, ad solum usque prostravit. Acerentia sane propter munitissimam loci positionem capere minime potuit. Deinde cum omni suo exercitu Beneventum circumdedit, et eam vehementer expugnare coepit, ubi tunc Romoald, Grimoaldi filius adhuc iuvenculus, ducatum tenebat. Qui statim ut imperatoris adventum cognovit, nutricium suum nomine Sesoaldum ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit, obsecrans, ut quantocius veniret, filioque suo, ac Beneventanis, quos ipse nutrierat, potenter succurreret. Quod Grimoald rex audiens, statim cum exercitu filio laturus auxilium Beneventum pergere coepit; eundem nutricium eius ad filium misit, qui ei suum adventum nuntiaret. Qui cum prope Beneventnm venisset, a Graecis captus, imperatori delatus est, qui ab eo unde adveniret requirens, ille se a Grimoaldo rege venire dixit, eundemque regem citius adventare nuntiavit. P.Diac.

Imperator quoque accepta obside Romoaldi sorore, cui nomen Gisa fuit, cum eodem pacem fecit; eiusque nutricium Sesoaldum ad muros duci praecepit, mortem eidem minatus, si aliquid Romoaldo, aut civibus de Grimoaldi adventum nuntiaret, sed potius asseveraret, eundem venire minime posse. Quod ille ita se facturum, ut ei praecipiebatur, promisit. Sed cum prope muros advenisset, velle se Romoaldum videre dixit. Quod cum Romoald citius advenisset, sic ad eum locutus est: *Constans esto, domine Romoald, et habens fiduciam noli turvari, quia tuus genitor citius tibi auxilium praeviturus adherit: nam scias eum hac nocte iuxta Sangrum fluvium cum valido exercitu manere. Tantum obsecro, ut misericordiam exhibeas cum mea uxore, et filiis, quia gens ista perfida me vivere non sinevit.* Cumque hoc dixisset, iussu imperatoris caput eius abscisum, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in urbem proiectum est. Quod caput Romoald sibi deferri iussit, idque lacrimans osculatus est, dignoque in loculo tumulari praecepit.

At vero Constantinus augustus, dimissa Beneventi obsidione, Neapolim venit per indictionem VI., egressusque Neapolim, Romam perrexit. Cui sexto ab Urbe miliario Vitalianus papa cum G.pont. P.Diac.

(1) Ad haec tempora referri debent ea quae de b. Patriciae in urbem Neapolim adventu et obitu narrantur in eius *Vita* ap. Aa. Ss. *Bollandi* die 25 m. aug. t. V. p. 215.

G.pont. sacerdotibus, et Romano populo occurrit, et suscepit eum quinta die mensis iulii, feria quarta, indictione supra scripta. Ipsa die ambulavit imperator ad sanctum Petrum ad orationem, et donum optulit; die sabbato ad sanctam Mariam, itemque donum optulit; dominicorum die processit ad sanctum Petrum cum exercitu suo, (a) omnes cum cereis, et offeruit super altare ipsius palleum auro textilem, et celebratae sunt missae. Sabbato sequenti venit ad Lateranis, lavit, et ibidem pransit in basilica Vigilii. Item dominicorum die fuit statio ad sanctum Petrum, et
P.Diac. post celebratas missas vale fecerunt sibi invicem imperator, et pontifex. Duodecim dies in civitate Roma perseverans, omnia, quae fuerunt antiquitus instituta ex aere in ornamentum civitatis deposuit, in tantum, ut etiam basilicam beatae Mariae, quae aliquando Pantheum vocabatur, et conditum fuerat in honore omnium Deorum discoperiret, tegulasque aereas exinde
G.pont. auferens easque simul cum aliis omnibus ornamentis Constantinopolim transmitteret. Et post-
P.Diac. modum secunda feria egressus de civitate Rom. reversus est Neapolim. Inde itinere terreno perrexit civitatem Regium, ingressusque Siciliam per indictionem septimam habitavit in Syragusa, et tales afflictiones posuit populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Calabriae, Siciliae, Africae atque Sardiniae, quales antea numquam auditae sunt, ita ut etiam uxores a maritis, et filii a parentibus separarentur. Sed et alia multa et inaudita harum regionum populi sunt perpessi, ita ul alicui spes vitae non remaneret. Nam et vasa sacrata, vel cymilia sanctarum Dei ecclesiarum, imperiali iussu et graecorum avaritia, sublata sunt.

G.pont. Mansit autem imperator in Sicilia ab indictione septima usque in quintadecima die mensis iulii
P.Diac. duodecimae indictionis. Sed tandem totarum iniquitatum poenas luit, atque, dum se in valneo lavaret, a suis extinctus est. Et non multo post iam dictus sanctissimus vir vitam finivit.

XXXIIII. (b) Agnellus episcopus (1) sedit annos xxi. dies xv (2).

Hic fecit basilicam intus civitatem Neapolim ad nomen sancti Ianuarii martyris (3), in cuius honorem nominis diaconiam instituit, et fratrum Christi cellulas collocavit, delegans ab episcopio alimonias duocentorum decem tritici modiorum cum duocentas decem vini hornas (4) perennis temporibus per uniuscuiusque successionem annualiter largiri. Sed et pro labandis curis (5) bis in anno, nativitatis, et resurrectionis Domini anni, circulum

(a) *Ante* omnes *tres vel quatuor lineae erasae in cod.* Waitz.

(b) *In cod.* XXXIII.

(1) Hic concilio contra monothelitas iterum habito die 27 martii a. 680 interfuit, ac subscripsit his verbis: *Agnellus humilis episcopus sanctae Neapolitanae ecclesiae provinciae Campaniae.* Cf. *Coll. Concil.* ed. Mansi, XI, p. 185.

(2) In *Kalend. Neap.* marmoreo die 9 m. ianuarii inscriptum est eius festum sic: *Dp. S. Agnelli epi.*

(3) Haec ecclesia adhuc hodie Neapoli extat, et dicitur *S. Gennaro all'olmo.* Olim una ex septem Neapolitanis diaconiis fuit, et in ea sedem aliquando habuit congregatio sacerdotum et clericorum, tum graecorum, tum latinorum. Cf. instrum. a. 1305 ap. Engenio, p. 339, et instrum. an. 1238, et 1292 in *Notam instrum. S. Gregorii* n. 134, et 262. Postea parochia evasit, et talis nunc est.

(4) Antiqua apud nos vini mensura. In instrumentis aa. 971, 973, 997 et 1025 coloni tempore vindemiarum locatori dare tenentur *vinum mustum mundum hornas quinque at hornas ex ipso loco.* R. N. A. M. II. 206. 222. III. 170 Cestari, *O. c.* VII. 314. Praeterea in istrumento Salernitano a. 1207 invenio *laurnas* (*hurnas*) *de musto mundo, quarum quaeque habeat octo languenas* (*lagenas*) *iuste cartatorias* (*carratorias*) *et puteolum* (forte *urceolum*) *unum*, Ughelli, *O. c.* VII. 594.

(5) Quidnam sit *pro labandis* (i. e. *lavandis*) *curis* dubitatum fuit. Ughellius *curae* utensilia ecclesiae et hospitalis interpretatur. Paciaudius pro *curis* legi mavult *suris.* Cf. *De sac. Christianor. balneis* p. 46. Mazochius denique non aliud *curas* intelligit, quam diaconiae illius *curatores* vel etiam ceterarum urbis diaconiarum, quibus eius lotionis facultas deerat, nam cura *palatii* idem erat ac *palatii curator*, et *cura* absolute pro *curione* sive *parocho* usurpabatur (Mazzocchi, *Oo. cc.* p. 8 et 141.) Mihi vero placent ea, quae Muratorius proponit, qui saponem datum ad expurganda linea ornamenta templi interulasque et linteamina hospitum egenorum (*fratrum Christi*) intelligit.

exsequendum saponem dari sancivit. Sic itaque usque hodie, Domino annuente, perficitur. Atque mille (1) siliquas in nativitate Domini, milleque in ipsius resurrectione tribuitur.

Fuit autem temporibus Adeodati beatissimi papae, et successorum eius, Beni, Agatoni, Leoni, Benedicti et Iohannis, usque ad Sergium papam (2), nec non et Constantini, filii Constantii superioris regis et Iustiniani filii Constantini imperatoribus.

Huius Audeodati papae et Constantini imperatoris temporibus gens Sarracenorum, quae iam Alexandriae, et Ægyptum pervaserat, audita morte Constanti imp. subito cum multis navibus venientes Siciliam invadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra (a), et iuga confugerant montium; auferentes quoque praedam nimiam, et omne illud, quod Constans augustus a Roma abstulerat, ornatum in aere et diversis speciebus: sicque Alexandriam reversi sunt. P.Diac.

Hoc tempore tante pluviae, tantaque tonitrua fuerunt, quanta ante nullus meminerat hominum; ita ut innumera hominum et animantium milia fulminibus essent perempta. Eo anno legumina, quae propter pluvias colligi nequiverunt, iterum renata, ad maturitatem usque perducta sunt. Post annos autem quattuor, et menses II. diesque (b) V. Adeodatus papa diem clausit extremum. G.pont. Quem subsequens Donus papa sedit annum unum, menses V. dies X. Hic dum adhuc esset electus, a parte orientis augusto mense stella apparuit a gallocantu usque mane per menses tres. Cuius radia coelos penetrabat. In cuius visione surgentis omnes provinciae, et gentes mirabantur. Qui post semet ipsa reversa disparuit. Ea recedente maxima mors a parte orientis subsecuuta est.

Agatho papa, qui post Donum pontificalem sedem promeruit, ex rogatu Constantini, Heraclii et Tiberii, principum piissimorum, misit in regiam urbem legatos suos Abundantium Paternensem, Iohannem Regitanum, et Iohannem Portuensem episcopos, Theodorum et Gregorium presbyteros, Iohannem, Romanae ecclesiae diaconem, post vero episcopum, Constantium subdiaconum cum alios religiosos servos Dei, pro adunationem faciendam sanctarum Dei ecclesiarum. Quos benignissime suscepti sunt a reverentissimo fidei catholicae defensore Constantino in oraculo beati Petri apostoli intra palatium die X. mensis novembris nonae indictionis. Quas dum suscepisset scripta pontificis, monens eos, ut per philosophicis disputationibus, pacifico conloquio, de fide vera perquirerent, atque per sanctarum scripturarum et patrum, synodicae provatae fidei decreta satisfacerent. Dans indutias ad retractanda scripta, et tribuens eis omnia, quae ad sustentationem sufficerent, in eorum expensas, in domo, qui appellabatur Placidiae, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiqnorum patrum, quos petebant, libellis. Adfuerunt autem episcopi CL. ex diversis Orientalium locis, praesidente Georgio patriarcha regiae urbis, et Antiociae Macario. In basilica intro palatio, quae Trullus appellatur, suscepti sunt missi sedis apostolicae cum centum quinquaginta episcopis, quos imperator residere praecepit. Et facta inquisitione ab eius pietate, cuius partis deberet ostensio adprovari, legati sedis apostolicae dixerunt: *Oportuna veritas, et ratio exigit, ut pars eorum, qui unam voluntatem et operationem in domino Iesu Christo asserunt* (c), *apostolicae sedis exponere.* Qui audientes, laeti effecti, paratos se esse dixerunt; et accepta licentia, ea hora suos intromiserunt li- G.pont. Beda G.pont.

(a) *In cod.* munissima.

(b) *Ex correctione posteriori:* diebusque. WAITZ.

(c) *In cod.* asserunt asserant.

(1) Aurea siliqua erat XXIV pars solidi aurei, quam Gregorius Magnus non uno in loco memorat. Apud Isidorum est tantum vigesima. MUR. — Cf. etiam DE VITA, *Antiquit. Benev.* II p. 291.

(2) Scil. ab a. 672, ad a. 687. Cum autem sedisset annis 21 usque ad annum 693, qui fuit septimus eiusdem Sergii PP. vel ad a. 694 die 9 februarii episcopatus eius protrahendus est (MAZZOCCHI, *In Kalend. Neap.* p. 8.)

P.Diac. bros, quos falsaverant. Nam non per veritatem se superare arbitrati sunt, sed per mendacia, et diversa commenta vincerent, quod in libris ipsi damnaverant unam voluntatem et operationem, dicentes, quod quoram principe claruit. Alia die catholicae fidei defensor pius princeps, secretario residens, inquisitione de ipsos codices facta, repperit, falsa noviter addita fuisse: praecipiens, ut omnes libros, quos missi sedis apostolicae scirent ad causam fidei pertinere, quoram synodo adducerent: Et allata sunt sanctorum patrum dicta Iohannis Constantinopolitani episcopi, Cyrilli, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dionusii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, et Leonis; et dum relegerentur, utrique similes repperti sunt, duas naturas, duasque voluntates, et operationes habentes; et confusus Macarius quoram synodo inventus est mendax. Sequenti die in eodem secretario residente synodo una cum principe, synodica sanctissimi Agathonis papae relecta est, et ad singula probata, patrumque dicta inserta. Deinde adductus est tomus ad relegendum, in quo haeretica dogma Macari erant conscripta, adortatus est, ut profiteretur. Sed ille nec dicendus noluit confiteri. Interrogatus est et Gregorius patriarcha, si ea fide, quam docet sedis apostolica, amplecteret iuxta scripta Agathonis papae, et sanctorum venerabilium patrum. Qui respondens, ut, accepta licentia, in scriptis, que oportuna erant, responderet; Sequenti dominica in ecclesia beati Petri apostoli intro palatium Gregorius patriarcha professus est in scriptis duas naturas, duas voluntates et operationes credere et predicare, sicut sedis apostolica, anathematizans eos, qui unam naturam, unam voluntatem et operationem dicunt. Die XXV. mensis februarii residente synodo una cum pio principe et legatos sedis apostolice, Macarium adesse iusserunt, et, data a principe licentia, ut se partes, quis in qua livet, diverteret, Georgius patriarcha regie civitatis cum suis in partem orthodoxorum, Macarus (a) vero cum suis in parte alia hereticorum. Cumque iterum ammonitus declinare nollet, exiliens Basilius Cretensis episcopus, eius orarium abstulit, et una cum sancta synodo anathematizantes, foras progecerunt. Ea hora tante tele aranearum nigrissimae in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur ac dicerent: *Vere sordes hereticorum expulse sunt.* In ecclesia vero Anthiocena locum Macari ordinatus est Theophanius. Macarus cum suis reclusus Rome in exilio directi sunt: auferentes de dypticos et picturis nomina patriarcharum Cyri, Sergi, Pyrri, Pauli, nec non et Petri, per quos error orthodoxe fidei pullulavit. Tanta gratia legatos catholice pacis subsecuta est, ut ad letitiam populi Iohannes Portuensis episcopus, qui erat unus ex ipsis, dominica octavarum paschae missas publicas in ecclesia sanctae Sophiae coram principe, et patriarcha latine celebraret, et omnes unianimiter in laudes et victoriis imperatorum idem latinis vocibus adclamarent.

Beda Haec est sexta synodus universalis Constantinopoli celebrata, et greco sermone conscripta temporibus papae Agathonis. Prima enim universalis synodus in Nicea congregata est contra Arrium CCCXVIII. patrum, temporibus Silvestri papae sub Constantino principe, filium Helenae. Secunda in Constantinopoli CL. patrum contra Macedonium, et Eudoxium temporibus Damasi papae, et Gratiani principis, quando Nectarius eidem urbi ordinatus est episcopus. Tertia in Epheso CC. patrum contra Nestorium Augustae urbis episcopum sub Theodosio magno principe, et papa Caelestino. Quarta in Calcedona patrum DCXXX. sub Leone papa temporibus Marciani principis contra Euthycen nefandissimum praesulem monachorum. Quinta item Constantinopolim temporibus Vigilii papae sub Iustiniano principe contra Theodorum, et omnes hereticos. Sexta haec, de qua in praesenti diximus.

G.pont. Beatissimus Agatho papa, postquam duos annos, menses VI. et dies IIII. sedisset, ei Leo papa secundus in hordine successit. Hic suscepit sancta sexta synodum, qui per Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est, greco eloquio conscripta. Quam studiosissime in Latino translatavit. Et supra scripti defensores malorum haereseos. Macarus, Stephanus, Poly-

(a) *Ita in cod. heic et paulo post.*

chronius, Anastasius in Romana directi civitate, dum nollent a suo proposito recedere, per diversa monasteria sunt retrusi. Postquam Benedictus papa menses x. et dies xii. sedisset, Iohannis papa thronum eius accepit. Hic missus fuit, diacunus cum esset, a sancte memoriae Agathoni pape in regia urbe cum alios sacerdotes, representans locum sedis apostolicae. Expleta autem sexta sancta synodum, a clementissimo principe relaxatus, magnum gaudium ecclesiae secum detulit. Ipse vero clementissimus princeps decennio terrae marique cum Sarracenis pacem constituit. G.Pont.

XXXV. IULIANUS (1) episcopus sedit annos vii. menses iii.

Fuit autem temporibus Sergii papae, et Leonis augusti usque ad quartum annum Tiberii imperatoris (2).

Sergius papa in sacrario beati Petri apostoli capsam argenteam, que in angulo obscurissimo diutissime iacuerat, et in ea crucem diversos ac pretiosis lapidibus adornatam, Domino revelante, repperit. De qua tractis quattuor petallis, quibus gemmae inclusae erant mirae magnitudinis, portionem ligni salutiferi dominice crucis interius reposita inspexit. Quae ex tempore illo annis omnibus, in basilica Salbatoris, quae appellatur Constantiniana, die exaltationis eius ab omnibus osculatur, adque adoratur. Beda

XXXVI. LAURENTIUS (3) episcopus sedit annos xv. menses viii. dies xxvi (4).

Fuit autem temporibus Iohannis Papae (5), et Tiberii, et Iustiniani secundo cum Tiberio filio augustis, necnon et Philippico, Anastasio et Theodosio (6) imperatoribus.

Horum dierum Gisulphus, dux gentis Langobardorum Benebenti, Campaniam igne, gladio, captibitate vastavit. Cumque non esset, qui eius impetum resisteret, apostolicus papa Iohannes, qui Sergio successerat, missis ad eum sacerdotibus, ac donariis perplurimis, universos redemit captivos, atque ostes domum redire fecit. Cui successit alius Iohannes. Huic Herevertus rex Langubardorum multas patrimonias Alpium Coctiarum, quae quondam ad ius pertinebant apostolicae sedis, sed a Langobardis multo tempore fuerant ablata, restituit iure eiusdem sedis, et hanc donationem aureis scriptam litteris Romam direxit. Post Iustinianum, et Tiberium eius filium regnavit Phylippicus. Hic misit litteras pravi dogmatis a Constantinum papam, quas ille respuit: et huius rei cause fecit picturas in porticum sancti Petri, qui acta sex (a) sanctarum synodorum Beda

(a) *In cod.* res.

(1) Huius episcopi nomen in *Kalend. Neap.* deest; sed olim memoria extabat in maiore ecclesia contra S. Aspreni sacellum, ubi eius imago, ut Chioccarellius testatur, in parastade, etsi temporum iniuria obscurata, conspiciebatur cum hac vetustissima inscriptione: *S. Iulianus episcopus sedit annos VII. mensibus III.* Paulo post Chioccarellii aetatem imago, novo tectorio in parietem inducto, deperiit.

(2) Scil. ab. a. 693, usque ad a. 701 ante m. septemb. ex quo incepit quartus Tiberii imperatoris annus, et verisimiliter circa mensem maium vel iunium.

(3) Male in episcoporum Neapolitanorum *Catalogo* ex editione *Blanchiniana* hic episcopus contra cod. fidem *Faustus* appellatur.

(4) Huius etiam episcopi imago extabat olim in cathedrali iuxta S. Iuliani memoriam cum vetustissima inscriptione huiusmodi; *Sanctus Laurentius episcopus sedit annis XV, mens. VIII.* CHIOCCARELLI p. 60. — Oratorium quoque in eius nomen excitatum, ubi saeculo sequenti S. Athanasius sepultus fuit, a Iohanne Diacono memoratur; quod minus recte, uti videtur, prope atrium cathedralis collocat MAZOCHIUS, *De Ss. Neap. epp.* p. 403, cum prope extramuranam S. Ianuarii basilicam potius extiterit— Festum eius in *Kalend. Neap.* deest.

(5) *Catal. Blanchin.* huic recte adiicit etiam alterum Iohannem PP. scil. VI. et Constantinum item PP. His autem, praeter Sisinium, qui paucis diebus sedit, adiiciendus quoque fuisset Gregorius II. Huius enim secundum annum, scil. ae. v. 717, Laurentius attigit, nam, eo pontifice, (a. 716-717) Cumanum castrum a Neapolitanis reciperatum fuit, quo tempore Laurentius, uti infra patebit, adhuc in vivis erat. Verisimile igitur est Laurentium circa m. iulium vel augustum eiusdem anni obiisse.

(6) Aetates PP. cum impp. aetatibus recte conveniunt, nisi quod Leonis Isaurici etiam mentio facienda fuisset.

Beda universalium continerent; nam et huiusmodi picturas, cum haberentur in urbem regia, Phylippicus iusserat auferri. Statuitque populus Romanus, ne heretici imperatoris nomen, aut carthas, aut figuram solidi susciperent. Unde nec eius effigies in ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum sollemnia prolatum. Phylippicus autem postquam annum unum, et VI. menses regnavit, Anastasius Phylippicum captum oculis privavit, nec occidit. Idem Anastasius postquam sceptri iura suscepit, litteras Constantino papae Romam per Scolasticum patricium, et exarchum Italiae direxit, quibus se fautorem catholicae fidei et sancti sexti concilii predicatorem esse docuit. Liudprandus rex Langubardorum donationem patrimonii Alpium Coctiarum, quam Herevertus rex fecerat, et ille repetierat, ammonitionem venerabilis papae Gregorii, successore Constantini papae, confirmavit. Horum quoque temporibus provincia Campaniae Neapolim

P.Diac. gravi pestilentia exorta est. Subito enim coeperunt nasci vulnera hominum, vel in aliis deligatioribus locis glandulae in modum nucis, seu dactuli, moxque subsequebatur et febris intolerabilis, ita ut in triduo extingueretur; sin vero aliquis triduo transigisset, habebat spem vivendi. Erant autem ubique luctus, ubique lacrimae. Nam, ut a maioribus referta noscuntur, multi per insulas cladem fugientes, relinquebantur domos absque habitatoribus. Fugiebant filii cadavera insepulta parentum, et si quem forte caritatis pietas perstringebat, ut proximum sepelire vellet, remanebat ipse insepultus. Advesperascente die, qui superstites existebant, vicissim sibi pacis oscula tribuebant, invicem se commendantes, suaque scelera mutuo confitentes, perdita spe alterius devenire diebus. Ingravescente siquidem tali pestilentia, ut de die in diem pene consumerentur, metu ac tremore concussi, cum omni instantia qui reliquebantur ex medullis cordis vociferantibus, ieiuniis et orationibus Domino suorum unusquisque oblita plangebat. Talibus igitur insistentes operibus, plaga mortis, Domino annuente, expulsa est.

Beda Imperator Theodosius in regno electus, Anastasium, cum tribus annis regnaret, apud Niceam civitatem gravi praelio vicit: datoque sibi sacramento, clericum fieri, ac presbyterum fecit ordinari. Ipse vero Theodosius ut regnum accepit, cum esset catholicus, mox in regia urbe imaginem illam venerandam, in qua sanctae sex synodos erant depictae, et a Phylippico fuerant deiecta, pristino in loco erexit.

XXXVII. SERGIUS episcopus sedit annos XXVIII. menses IV. dies. IV.

Hic dum sub habitum adhuc presbyteri degeret, Romoalt rex (a) Langubardorum, pacis fraude simulans, misso exercitu Cumanum castrum, quodam tradente, invadit. Ad quem dum Iohannes magister militum cum suos adire festinaret, ad exequendam benedictionem divinitus iste, de quo dictum est, sacerdos inventus est. Data hilico oratione, dux ille praevius votum Deo vovit dicens: *Si Domino annuente prospere recepturus castrum advenero, post decessum pontificis, si advixero, istum episcopum ordinabo.* Quod et factum est. Abierunt, ipsumque castrum intrantes receperunt, atque stabilientes, incolumes sunt omnes reversi. Cumque propria morte beatus Laurentius episcopus de hac luce subtractus fuisset, Sergium elegerunt pontificem, et praedicentis votus completus est. Hic dum a Grecorum pontifice archiepiscopatum nancisceretur, ab antistite Romano correptus, veniam impetravit. Fuit autem temporibus Gregorii, et Zachariae papae, necnon et Leoni, seu alio Leoni, et Constantino eius filio (1).

(a) *Postea in cod. correctum:* dux.

(1) Heic Chronographus nomina PP. et impp. falso miscet ac tempora turbat; nam unum Gregorium PP. cum duo fuerint, adnotat, et vicissim duplicem Leonem imperatorem, cum unus tantum per Sergii tempora fuerit, item adscribit. Ex

Primoque Leoni imperatoris tempore gens Sarracenorum cum immenso exercitu Constantinopolim venientes triennio civitatem obsident, donec, civibus multa instantia ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame, frigore, pestilentia perirent. Visumque est eis, post tres annos ut abscederent, ac si apertae obsidionis circumtegerentur. Qui inde regressi, Vulganorum gentem, quae est super Danuvium, bello adgrediuntur, et ab hac queque victi refugiunt, ac naves repetunt suas. Quibus, cum altum repeterent, ingruente subita tempestate, plurimi etiam, mersis, sive conversi confractis per litora navibus, sunt necati. Liudprandus audiens, quod Sarraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fedarent illa, ubi ossa sancti Augustini episcopi propter vastationem barbarorum olim translata, et honorifice fuerant condita, misit, et dato magno pretio, accepit et transtulit ea in urbem Ticinensem, ibique cum debito tanti patris honore recondidit. Beda

Apud Constantinopolim Leo imperator sanctorum imagines depositas incendit; Romanoque pontifici similia facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandavit. Sed pontifex hoc facere contempsit. Omnis quoque Ravennae exercitus, vel Venetiarum talibus iussis uno animo restiterunt, et nisi eos pontifex prohibuisset, imperatorem super se constituere sunt adgressi. Per idem tempus Leo augustus ad peiora progressus est, ita ut compelleret omnes Constantinopolim habitantes, tam vi, quam blandimentis, ut deponerent, ubicumque haberentur, imagines tam Salvatoris, quamque eius sanctae Dei genetricis, vel omnium sanctorum, easque in medio civitatis incendio concremari fecit; et quia plerique ex populo tale scelus fieri praepedabant, aliquanti ex eis parte corporis multati, alii capite truncati sunt. P.Diac.

XXXVIII. COSMAS (1) episcopus (2) sedit annos duos (3), menses II. dies VI.

Fuit et hic temporibus supra dicti Zachariae papae, Leoni et Constantini, eius filii, augusti.

Ratchis, qui apud Foroiuli dux fuerat effectus, in Carnilam, Sclavorum patriam, cum suis ingresssus, magnam multitudinem Sclavorum interficiens, eorum omnia devastavit. P.Diac.

Circa haec tempora Carolus, princeps Francorum, Pipinum suum filium ad Liudprandum direxit, ut eius iuxta morem capillum susciperet, qui eius caesariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regis muneribus genitori remisit.

Per idem tempus Sarracenorum exercitus in Galliam introiens, multam devastationem fecit. Contra quos Carolus, non longe a Nerbone bellum committens, eos maxima cede prostravit. Iterato Sarraceni Gallorum fines ingressi, usque ad Provinciam venerunt, et capta Arelate omnia circumquaque demoliti sunt. Tunc Carolus nihil moratus cum grandi exercitu properavit. Quo Sarraceni eius adventum cumperti (a), mox ab illis regionibus aufugerunt.

XXXVIIII. CALVUS episcopus sedit annos XII. menses IV. dies III.

Hic inter cetera bonitatis studia sancti Sossi non longe ab urbe oratorium instituit (4),

(a) *In cod.* cumperti — regionibus *in loco raso eadem manu.* WAITZ.

meae vero supputationis ratione Sergius anno 717 exeunte episcopus consecratus fuit, et, cum vixisset annis 28, m. 4, diebus 4, m. aprili vel maio a. 746 mortem obiisse dicendum est.

(1) In *Kalend. Neap.* marmoreo ad d. 16 m. augusti adnotatur: *Depositio Cosmae ep.*

(2) Cum m. aprili vel maio a. 746, uti supra innui, Sergius e vita excesserit, et Cosmas, qui ei successit, in episcopatu sederit a. 2, m. 2, et d. 6, atque obierit die 16 m. aug., ut ex Ioh. Diaconi *Chron.* et *Kalend. Neap.* discimus, verisimile mihi videtur Cosmam ipsum mense iunio et fortasse die 12 eiusdem, quo festum SS. Trinitatis agebatur, in Neapolitanum episcopum consecratum fuisse, et die 16 m. augusti 748 obiisse.

(3) Ex errore editoris in *Catal. Blanchin.* heic in annis una ex notis romanis unitatis excidit. Codex enim cum Ioh. Diacono optime concordat.

(4) Mazochius id oratorium in via, qua adscenditur in clivum dictum *Capodimonte*, ubi villam Iesuitae possidebant et locus *S. Sosio* dictus fuit, extitisse censet. (MAZZOCCHI, *In*

sic in sublime erectum, ut universa, quae in circuitu posita sunt, conspicere possint. Fuit autem temporibus domni Stephani papae, et usque ad annum quadragesimum quartum Constantini imperatoris, et Leoni filio eius anno undecimo (1).

Hunc aiunt Constantinum robustiorem fuisse virum, qui leonem ferocissimam bestiam pugnando occidit, et draconi se opposuit, et ipsum interemit (2). Nam dum quadam aquaeductum sua magnitudine detineret, et multos fetore suo perimeret, nullumque alium consilium repperiret, semet ipsum pro omnibus Constantinus periculo dedit, statuens semet ipsum cum dracone conflicturus. Factaque sibi loricam falcatam, quem novaculis acutissimis ex omni parte munivit, atque ad locum, ubi ille teterrimus draco quiescebat, devenit. Nihil cunctatus, relictos suos, ad eum solus introiit (a) . . . .

. . . .

. . . .

noluerunt eos recipere. Quo audito, universi ex diversis provinciis ad eum collecti sunt, et una cum ipsis civitas obsessa est, et, ne in tam multitudinem famis adgresceret, corii solidos pro aureis nomismatis fecit a negotiatoribus dari, et recipi, promittens eos, dum in palatio introieret, omnes colligere, et aurei solidos ad corii solidos commutare. Constanter autem obsidentibus urbem, hii, qui intra civitatem erant, veniam impetrantes, cum gloria ab omnibus receptus est. Ingresso Constantino palatio, promissum, quod de solidos fecerat, explevit (3).

(a) *Deest folium, ut in praef, iam dixi.*

Kalend. Neap. p. 98). Forte de eo loquitur instrumentum a. 1065, in quo proedium memoratur *positum ad Sanctum Sosium de Area foris muris istius civitatis Neapolis* (MURATORI, *Ant. Ital.* V. 26, V. infra *Regest. Neap.)*

(1) In *Kalend. Neap.* marmoreo episcopus hic bis memoratur, semel die 20 m. martii his verbis: *Depositio S. Calvi epi. nostri;* iterum die 18 m. novembris hoc modo: *Natale S. Calvi epi.* Cur autem id singulare quidem de eo ibi habeatur, non satis constat. Mazochius die 18 m. novembris *Natale*, h. e. sive translationis, sive dedicationis ecclesiae, eidem dicatae, sive aliud anniversarium festum ita a Neapolitanis celebratum fuisse autumat, cum vox *Natalis* prorsus generalis in illo Kalendario sit; at ego Neapolitanos, quamvis, cur id fecerint, rationem aliquam allegare nequeam, ea die festum potius consecrationis eiusdem episcopi designare voluisse suspicor. Nam Calvus, ut Chronographus noster testatur, in episcopatu vixit usque ad annum quadragesimum quartum Constantini imperatoris et Leonis filii eius anno undecimo. Annus vero iste imperii, quod ad Constantinum attinet, a die 25 m. decembris a. 761 vel potius a die 25 m. martii a. 762, et, quod Leonem filium, a die 6 m. iunii a. 761, ut ex his, quae supra innui de eorum epocha loquendo, erui potest, initium habuit. At in *Kalend. Neap.* Calvi episcopi *depositio* ad diem 20 martii adnotatur. Ergo, si stricte Chronici verba accipere volumus, obitus eiusdem in die 20 m. martii a. 762 figi debet; in eo enim haec duo extrema conveniunt, et annus undecimus Leonis currebat, et quadragesimusquartus annus Constantini iam proximus erat. Sed contra hanc supputationem, quam supra (p. 46) tenui, anni et epocha obitus Pauli II, qui post Calvum in episcopatu Neapolitano successit, ut ex dicendis infra patebit, omnino obstant. Aut igitur unus, aut alter ex istis terminus abiiciendus erit. Verum, ut utraque concilientur, ego ita Chronographi verba interpetranda esse puto, ut Calvus anno praecedenti 761 mortuus dicatur, scilicet priusquam initium haberet non modo annus 44 Constantini, sed etiam annus 11 Leonis, qui in termino eius citimo a die 6 m. iunii a. 761, ut supra innui, desumi debet, et ideo die 20 m. martii eiusdem. Hoc modo omnia, nî fallor, in supputatione recte procedunt. Quod si ab ea die, in qua Calvus obiit, per annos 12, menses 4, dies 3, regrederis, adamussim in diem 18 m. novembris a. 748 pervenies, qui, nisi casu id accidisse putetur, quod credere certe aequum non est, consecrationis eiusdem episcopi dies iure haberi poterit.

(2) Neminem Graecorum novi, qui draconis huius ab impio principe debellati meminerit. MUR.

(3) Innuitur Constantinopolis obsidio a Constantino Copronymo peracta a. 743, eiusque victoria Artabasdo ex imperiali solio deiecto. Quae de pecunia ex corio percussa habet scriptor noster, reliqui scriptores omisere, nî fallitor. MUR.

Rex quoque Liudprandus in infirmitate decidens, morti adproximavit. Quem Langobardi vita excedere existimantes, eius nepotem Hilprandum foras muros civitatis ab basilicam sanctae Dei genetricis, quae ad Perticas dicebatur, regem levaverunt. Rex autem cum hoc cognovisset, non aequo animo accepit, tamen de infirmitate convalescens, eum regni sui consortem habuit. P.Diac.

Beatissimus papa Stephanus, Langobardorum infestationes et bella, quos contra Romanos ingerebant, non ferens, per semet ipsum Hilprando regi devenit, supplicans, ut Romanis miserendo parceret. Sed ille audire rennuit, superbiae spiritu inflatus. Cumque ille praesul praecando persisteret, et ipse nollet audire, petiit ab eo, ut ei iter Franciae panderetur. At ille turgide fertur dixisse : *Ubi properare volueris, propera, nihil tibi prospere cedere credas, quia nemo est, qui vos de manibus nostris eruere possit.* Accepta sanctissimus ille hac ratione, confestim iter arripiens Franciae, apud Pippinum regem pergere coepit, eligens expeditos concite, qui una secum possint carpere viam, dicens eis: *Properemus quantocius, quousque Franciae ingrediamur finibus, quoniam post tergum nostrum Langobardorum rex missurus est, qui iter nostrum impediat.* Quo dicto, aliquanti timore ducti, aliquanti longitudinem itineris causantes, reversi sunt. Alii vero, in quorum corda amor dilectionis ferbuerat, eum secuti sunt. Secutique sunt eum viri non pauci a rege missis, ut non eum abire dimitterent; penituerat enim, se pontificem fuisse dimissum. Sed cum iuga Alpium conscendissent, et eum invenire non possent, reversi sunt.

Servus quippe Dei, ut finibus Franciae adtigisset, voluit ea, quae gesta sunt Romae dirigere, ut sustinerent, et ne deficerent, quousque reverteretur, requisivit; quis illud scriberet de suis domesticis, non invenit. Et quia mos est et licet audita proferre, ex auditu cognita referre curabimus. Cumque vir Dei intra se ipsum quid facere deberet exestuans, ad solitum orationis cucurrit auxilium, accensoque lumine, advocari iussit unum ex suis familiaribus, quem ante se statui fecit, eique fertur dixisse : *Aperi os.* Statim ille aperuit. Tunc ille cereum, quem manu tenebat, in os eius intromisit, dicens cum magna fiducia : *Accipe Spiritum sanctum, et sede, scribe.* Tanta denique divinarum scripturarum fluenta adeptus est, ut omnes mirarentur. Statim sedit, et cuncta per ordinem secundum voluntatem suam beatissimus papa conscribere iussit, ac Romae direxit. Ille coepto itinere Franciam pergit. Audiens Pippinus eius adventum laetus effectus est, et in eius occursu suos honoratos direxit. Adproximansque per semet ipsum, in eius occursum processit, gaudio repletus, quod vicarium apostolorum videre meruisset. Quem cum magno gaudio suscipiens, antequam precaret, omnia, pro quo abierat, facturum se esse promisit. Cum ergo ille diceret, contra Langobardos velle auxilia praeviturus (a); quorum oppressiones ferre non poterat, spondit, se in omnibus ei praeviturus auxilium; factis magis, quam verbis ostentans, grandi fecit parari exercitu. Qui exeuntes, antequam Langobardorum ingrederentur finibus, tremore ac terrore Langobardi adepti, missos suos in occursum Pippino miserunt, dicentes: *Quare nostros fines pugnaturus ingrederis? Revertere, quia pro quo benivolus accessisti, qua parte volueris, ad pacis concordia declinamus.* Ille vero respondit: *Non mea modo, sed patris Stephani papae vo-*

(a) *Vox, quae paulo post iterum occurrit, ex errore a librario heic repetitur.*

luntatem exsequendam deveni. Quomodv ille voluerit, sic peragam, Revertentes Missi, haec verba omnibus retulerunt. Sed illi adpropinquantibus iterum miserunt, veniam beatissimo papae petentens atque dicentes: *Ignoscat nobis beatitudo tua! Non tibi expedit malum pro malo reddere. Inter partes pacificus ingredere, et universa mala, quas fecimus, et quae vim abstulimus, emendando reintegramus, et perpetuam pacem tribuimus, tantum ne effusio sanguinis a quibuslibet partibus oriatur.* Ad hoc papa beatissimus, ut erat animo et vultu pacificus, adquievit, atque in conspectu regis se obiciens, pacis concordia flagitabat. Et denuo rex ad eum: *Sicut facere disponis, obtemperamus, nihil adversantes petitioni vestrae.* Et iussit in conspectu suo pacti ordinem sub iusiurando conscribi, ut a tunc, et deinceps nullo tempore finibus Romaniae lederent, aut per aliqua occasione vel in magno, vel in modico aliquid pacis foedere contaminare temptarent. Quem Langobardi stabilien . . . .
. . . .

XL. (a) PAULUS episcopus (1). Sedit annos quattuor, menses duos, dies VI.

Fuit autem temporibus Pauli papae. Hic quoque cum Neapolitanae ecclesiae diaconatus fungeretur officio, Romanam ad urbem frequens legatus abibat. Ubi praedictum papam, adhuc levitali infula decoratum, caelesti amore conglutinavit sibi amicum. Qui cum quodam die vicissim sodalia verterent colloquia, tamquam adulando Neapolitanus ait levita: *Concedat Omnipotens, ut te apostolicum videam.* Cui mox praefatus papa respondit; *Et ego te episcopum.* Quid plura? In brevi spatio defuncto domno Stephano apostolico, Paulus diaconus, ad praenuntiatum sibi honorem eligitur. Itaque non multo post, migrante ad Dominum Calvo venerabili episcopo, et iste Neapolitanam suscepit cathedram. Sed propter detestabilem imaginum altercationem, quae inter apostolici tramitis auctoritatem, et fedissimam Constantini imperatoris Caballini vertebatur amentiam, novem sunt menses elapsi, in quibus non potuit consecrari; quia tunc Parthenopensis populus potestati Graecorum favebat. Attamen hic cum cuperet praedicto papae quasi amicus de talibus aliquo modo suffragari, clanculo Romam perrexit. Qui statim consecratus episcopus, Neapolim est directus, sed propter Graecorum conexionem noluerunt illum recipere sui concives. Inito tamen, consilio eum ad ecclesiam sancti Ianuarii Christi martyris, non longius ab urbe dedicatam, transmiserunt. In qua duos ferme annos degens, plura construxit aedificia. Inter quae fecit triclineum, quod est introeuntibus a parte dextra. Sane clerus omnis et populus cunctus canonice illi ut vero obtemperabant pastori, resque omnes ecclesiae absque ullius detinebat et disponebat obstaculo. Construxit etiam ibidem marmoreum baptismatis fontem; in quo paschalibus, aliisque festis,

(a) *Exhinc incipit pars secunda Codicis, charactere Langobardico scripta. In ea vero episcopi nullam serei numerationem habent.*

(47) Episcopus hic noster ne cum Paulo III., qui proxime successit, confunderetur in monumentis antiquis *maior* vel *senior* et *primus* dictus est. Cf. MAZZOCCHI, *De Ss. Neap. epp.* p. 169 et ss. — In *Kalend Neap.* marmoreo ipse ad diem 3 martii adnotatur sic: *Depositio S. Pauli epi. nostri maioris*

omnes occurrentes suos baptizabant filios. Interea Neapolitanorum primates cernentes tam egregiam urbem languidam esse de tanto pontifice, uno consilio unoque consensu, laetantes et gaudentes, eum in ipsius civitatis episcopatum introduxerunt. Ubi, duobus evolutis annis, tali fine quievit in Domino. Dominica namque die sancti paschae missarum solemniis pene completis, cunctos osculatus est clericos, et omni populo exhortato, spiritu migravit ad caelos (1). Mox eius exequias totus clerus, omnisque sexus et aetas, una cum pueris eadem in nocte baptizatis, usque ad basilicam sancti Ianuarii deduxerunt, et corpus eius in porticu ante ecclesia sancti Stephani sepelierunt; anno scilicet quadragesimo octabo Constantini imperatoris Caballini, et Leonis imperatoris, filii eius, anno quintodecimo (2), currente indictione....(a).

XLI. Stephanus episcopus sedit annos trigintatres, menses v. dies xxvii (3).

In eo siquidem anno, quo Paulus episcopus defunctus est, irato Deo, tanta desaevit clades in Neapoli, quae a medicis inguinaria vocatur, ut patris interitum mors subsequeretur filiorum, et ad sepeliendum rarus superstes inveniretur; unde etiam prope omnes clerici eiusdem episcopii vitam finirent. Ac per hoc omnes Neapolites ad praedictum accedentes praesulem, magnis postularunt precibus, ut ecclesiae sanctae providus pastor accederet. Quorum petitiones non renuens, Romanam sedem laicus, et adhuc consul adiit. Nam Parthenopensem ducatum laudabili quiete duodecim rexit annos. Cum autem domnus Stephanus, summus apostolicus, tantam populi devotionem in eum cerneret, tonsum ibidem atque regulari promotione episcopum consecravit (4). Qui mox ab eo cum benedictione dimissus, suam repedavit ad urbem; in qua honorifice susceptus, sic de divinis coepit studêre rebus, ac si puerulus in eis fuisset educatus. Uxor quoque eius, adhuc illo consule, ex multis obierat annis. Hic etenim Romam direxit tres clericos, qui in

(a) *Vacat in cod. Neque in eo pagina haec absoluta fuit, caret enim linea una.*

(1) Ex antecedentibus et sequentibus recte argui potest Paulum m. decembri a. 761, vel m. ianuario a. 762 forte Neapolitanum episcopum consecratum fuisse. Nam ipse, ut Chronographus noster asserit, ad coelos migravit die paschatis *anno quadragesimo octavo Constantini imp., et Leonis imp, filii eius anno quintodecimo*, qui in Constantino a decembri anni 765, vel a martio a. 766, et in Leone a iunio eiusdem anni 766 incepit, cum in episcopatu vixisset a 4, m. 2, d. 7. Nulla ergo de aliquantulum diversa Leonis epocha, quam Iohannes cum illa Constantini coniungit, ratione habita, Paulus obiit die 6 m. aprilis a. 766; pascha enim hoc anno in diem sextum m. aprilis incidit. Praeterea si ex hoc die et anno 766 annos 4, m. 2, et d. 7 subtraxeris, sequetur eundem Paulum circa finem m. decembris a. 761, vel m. ianuario anni 762 consecratum fuisse. Proinde si menses alios novem ab electione lapsos, in quibus non potuit consecrari, detraxeris, ipsum mense aprili vel maio electum habebis. Cur autem in *Kalend. Neap.* ad diem 3 martii eius depositio vel obitus adnotetur nescio, nec veri quidquam simile, unde difficultas amoveatur, dicere possum.

(2) Haec de obitu et sepultura S. Pauli episcopi narratio quam simillima est Uranianae item de obitu, et sepultura S. Iohannis I. narrationi. Huius vero tantae similitudinis rationem Mazochius suspicatur in vulgi credulitate et ignorantia inesse, cui aliquando familiare est alicuius viri gesta ex falsa traditione in alium transferre.

(3) De eo vide etiam, quae supra in *Excursu historico* p. 61 congessi.

(4) Chronographus noster fallitur in Pontificis nomine. Stephanus enim consul a Paulo I. PP. circa m. septembrem anni 766, non a Stephano III, qui die 7 m. augusti a. 768 ad romanam cathedram ascendit, consecratus fuit. Id aperte eruitur ex Constantini pseudo-papae confessione, qui in synodo Romana mense aprili anno 769 habita interrogatus *cur praesumpsisset apostolicam sedem laicus existens invadere* respondit *nihil novi se fecisse.... quia et Sergius archiepiscopus Ravennatium laicus existens archiepiscopus factus est, et Stephanus Neapolitanae civitatis et ipse laicus repente episcopus consecratus est.* Cum autem Constantinus sedem pontificiam mense junio a. 767 invaserit, necesse est Stephanum ante id tempus episcopali munere, et proinde a Paulo I. decoratum fuisse. Cf. Di Meo, *O. c.* III, 56.

scola cantorum optime edocti, omnique sacro Romanorum ordine imbuti, ad propria redierunt. Ex quibus unum Leonem, cognomento Maurunta, cardinalem (1) ordinavit presbyterum, alios deinde clericos in monasterium sancti Benedicti Paulo levitae destinavit. Unus vero de istis Iohannes nomine, qui post diaconus ordinatus est, apprime eruditus effulsit.

Quid enim? Si cuncta, quae in eodem sacro operatus est episcopio, describere voluero et fastidio sunt legentibus, et nos sicut inertes subcumbimus. Sed pretiosa monilia et magna opera memorantes, vilia dimittamus. Ad sanctae enim ecclesiae ornamentum fecit crucem auream, mirabili fabrefactam opere, quod spanoclastum (2) et antipenton (3) vocitatur (4). Eodemque enim opere fecit et tres calices aureos cum patena aurea, quam in giro et medio gemmis decoravit. Fecit etiam et duo paria mascellarium (5) ex auro mirifice scalpta, in quibus evangelia per festivitates leguntur. Fecit et sancti altaris festiva velamina, quae auro gemmisque studuit decorare, figurato tamen vultu, et praetitulato in omnibus suo nomine. Edificavit igitur intus episcopio absidam non parvi operis, duasque procero cacumine turres, sub quibus ecclesiam sancti Petri miris (6) exornatam construxit operibus. Ante cuius ingressum sex patrum sanctorum depinxit concilia, conectens ex latere non mediocris prolixitatis solarium (7). Ad clericorum itaque victum multas

(1) De ecclesiae Neapolitanae eanonicis cardinalibus fuse disseruit MAZOCHIUS in dissertatione historica *De Cathedralis E. N. semper unicae variis diverso tempore vicibus* p. 243 et ss. quem vide. Cf. etiam ASSEMANI *O. c.* ac eius nepotis librum, cui titulus: *Votum pro rei veritate* etc. p. 36.

(2) Non uno in loco usus etiam est hac voce Anastasius in *Vitis romanorum Pontificum. Regnum spanoclystum* Du-Cangio in *Glos. Lat.* explicatur *corona desuper clausa*, ex graeco ἐπανώκλειςος. Sed quid est, *crux spanoclysta et patena aurea spanoclysta*, memorata Anastasio in Vita Leonis III? Mihi verisimilius videtur vocabulum hoc deducendum esse a σπανὸς quod *rarum* aut *pretiosum* significat, nisi etiam ab Hispanis arcessere velimus, quos *spanos* antiqui etiam Graeci dixere; et ab κλάω, quod significat *flectere, percutere*, ut heic raritas et forma auri indicetur, aut locus, ubi aurea illa opera fabricabantur. Vox autem *Spanoclastos* nunquam adhibetur sine mentione *auri*, et quidem *purissimi*. MUR.

(3) Occurrit eadem vox apud Anastasium, sed ibi est *Antipempton*, pro quo Du-Cangius legendum putat *Antipephton* ex Graeco ἀντιπεφτον, subintelligendo *aurum*, idest *aurum recoctum, obrizum*. Ex Rainerio in libello: *De inventione reliquiarum Ss. Eutychetis et Acutii* apud UGHELLIUM t. VI. idem DU CANGIUS haec verba refert: *crucem Domini ex auro purissimo fecit admirabili artificio compacta, quod spandoclastum et Antipenton vocabatur.* Verum ista neque ex Rainerio mutuatus est Ughellius, neque ante eum Caracciolus, sed ex hac ipsa Stephani vita, cuius auctor Iohannes Diaconus. MUR.

(4) De ambabus his vocibus (*Spanoclastos* et *antipenton*) fusius et clare disserit d. Iohachim Taglialatela in libro: *La stauroteca di S. Leonzio* p. 29 et ss. ubi opus ita conflatum interpretatur *un lavoro di oro pieno* o *massiccio e purissimo*.

(5) Et heic Raineriuni DU CANGIUS in *Gloss. Lat.* memorat, cui numquam usurpata fuit huiusmodi vox. Uni Iohanni Diacono eam debemus. Censet autem claris. vir fortasse heic legendum *manuellarium*, id est pulpitorum; nam manualia pulpita quoque appellata. Coniecturae doctissimi viri nequaquam accedo. Duo paria pulpitorum non bene mihi sonare videntur. Si quid ergo immutandum est, potius heic legerem *duo paria missalarium*. Quod si *mascellaria* retinere placeat ita interpretor, ut a *maxillis*, quas italicae appellamus *mascelle*, ea vox deducta fuerit, quod in morem maxillarum, quae clauduntur et aperiuntur, opera illa confecta fuissent. Hoc autem nomine designari puto aut duas tabellas solidas, plicatiles tamen, ex auro, argento, aut ebore, ad instar operimenti librorum, aut duas tabellas consuetas phrigio opere, et auro gemmisque fulgentes, quibus impositus Evangeliorum liber deferebatur ad ambonem per festivitates, ibique ad populum legebatur. Sed fuisse tabulas solidas ea verba evincunt: *ex auro mirifice sculpta*. MUR.

(6) Huius ecclesiae vestigia MAZOCHIUS in dissertatione: *De Cathedrali Neap. semper unica* p. 31 et in not. ad *Catal. Blanchin.* deprehendi sibi videtur in ea cathedralis capella, quae Ss. Petri et Anastasiae dicitur, et patronatus est nobilissimae Minutulorum familiae.

(7) MAZOCHIUS, *de Cathedr. eccl. Neap.* p. 30 coenaculum intelligit; MURATORIUS in not. cubiculum soli expo-

res cum plurimis acquisivit hominibus. Praeterea intra eandem urbem tria fecit monasteria, quae ad nomen sancti Festi (1), et sancti Pantaleonis (2) martyrum, sanctique Gaudiosi confessoris (3) praetitulavit. In quibus regulares virgines, plurimis rebus oblatis, snb abbatissae disciplinis statuit. Addidit etiam in sancti Gaudiosi monasterio basilicam sanctae Fortunatae, in qua corpus eiusdem martyris allatum a Patriensi ecclesia, ubi ipsa prius voluit sepeliri, magno cum honore condidit (4).

situm et apertum ; clarius vero, et forte etiam rectius FORCELLINIUS locum supra domum soli expositum et ad apricandum idoneum, quo nunc quoque utuntur Neapolitani, italice *terrazzo.* In doc. a. 996 Iohannes Ferrarius commutat cum Leone Ferrario *ex parte de solareum suum, qui erat super inferiora cellarei sui et iuxta solareum eiusdem Leonis*; quam partem solarei, ut ipse dicit, *exfinat una signata, qui est facta in parietem a parte septentrionis: et alia signata in parte meridiana, quae fecimus in abstracum* (lastrico) *ex ipsum solareum cum pacto quod ibidem facere debeant parietem pro clusa in altum usque at pectus omminis* (pettorata). R. N. A. M. III, 152, *Regest. Neap.* n. 304. Ex quibus ego suspicor solareum, ut plurimum, unam contignationem habuisse.

(1) De monasterio Ss. Festi et Desiderii mentio habetur in instrumento 20 februarii a. 916. *Regest. Neap.* n. 3. Cf. CHIOCCARELLI, *O. c.* p. 111. Ipsum saeculo XVI. in monasterio Ss. Marcellini et Petri, cui tunc ab occidente attiguum erat, congregatum fuisse, rerum nostrarum scriptores tradunt. Hoc autem iam ante ea tempora frustra petitum ab alterius monasterii monialibus et tentatum fuisse documentum anni 1465 testatur, quo monasterium Ss. Festi et Desiderii concedit monasterio Ss. Petri et Marcellini petiam unam de horto ipsius monasterii pro aedificando dormitorio pro uncis 8 etc. Contra vero dictum monasterium Ss. Petri et Marcellini renunciat causae unionis et *incorporationis* petitae ipsius monasterii Ss. Festi et Desiderii cum interventu d. Oliverii archiepiscopi Neapolitani *(Instrum.* in *Notam. scriptur. S. Marcellini* p. 93 et 49.) Ex alio instrumento anni 1541 insuper discimus monasterium ipsum sub nobilium sedilis Nidi ditione extitisse, et plateam iuxta positam a duabus partibus vulgariter nuncupatam esse di *S. Festo*, regionis sedilis Nili *(Instrum.* in *Notam. scriptur. S. Marcellini* p. 69, 102 et 108). Ex unione praedicta monasterium ipsum Ss. Marcellini et Festi nomen accepit, et nunc, exactis monialibus, ibi puellis in bonis moribus atque ingenuis artibus instituendis gymnasium patet.

(2) Monasterium hoc S. Pantaleonis a Stefano duce et episcopo fundatum idem est ac illud *S. Gregorii et Sebastiani atque domini Salvatoris nostri Iesu Christi et S. Pantaleonis Christi martyris* titulo postea insignitum, quod Sergius, consul et dux, anno 1024 *in unum aggregavit, constitutum vero intus Neapolim in platea Nostriana.* Nunc vulgo appellatur *S. Liguoro.* Plurima huius temporis ad ipsum spectantia documenta habemus, quae infra in *Regest. Neap.* recensentur. De eo autem, praeter patrios topographos, vide sis ZITO, *Breve compendio della fondazione del monistero di S. Gregorio Armeno. Napoli 1851 in 8.°*

(3) Aliqui nostri scriptores minus recte monasterium hoc, quod item *ancillarum dei* erat, et in montana urbis nostrae regione extabat, cum alio antiquiori S. Gaudiosi caenobio hominibus addicto et extra muros, ut supra innui, posito unum ac idem faciunt. De eo hoc singulare invenio, quod abbatissa eiusdem dicebatur etiam *archidiaconissa* et *archiabbatissa,* ut videre est in instrumentis aevi ducalis, quae infra in *Regest. Neap.* dabo et inaliis etiam recentioribus, ex quibus duo, quae sequuntur, breviata referre lubet.— 1. Regnante d. Rogerio Siciliae, et Ytaliae magnifico rege anno vicesimo et eius ducatus civitatis Neapolis anno XIV. die 12 m. augusti ind. I, Neapoli. Dominicus filius q. Iohannis qui nominatur Custutino, et q. Mariae, quae vocatur Carbone ,iugalium personarum, promittit d. Vreva ? ven. archiabbatisse monasterii beatissimi Gaudiosi, qui appellatur a septimo coelo, filia q. domini Stephani cognominato de Ipatis et ad cunctas congregationes monacharum ipsius sancti monasterii propter integrum fundum, qui modo est arbustatu et integrum campum de terra posita vero in campo istius civitatis, non longe de vinea Gregorii *etc.* et coheret ipsum fundum, qui est arbustatu ab una parte est ante viam, in qua est gripta, que in vestra reservastis potestate, sicut eugripus exfinat, et da supra est reliquo ex ipsum campu quale salit usque cilium montis... que... dedistis ad laborandum mihi et meo filio masculo *etc.* Scripta per manus Gregorii discipulus d. Petri Curialis et absoluta per Petrum Curialem. Testes sunt Cesarius curialis, Cesarius Tabularius, et Sergius filius d. Iohannis.—2. Regnante d. Federico Sicilie et Italie magnifico rege anno XIIII die 23 octobris ind. XIV. Neapoli. Benedictus, qui nominatur de Lauro, filius q. domini Iohannis, qui nominatur de Marino promittunt d. Marocte ven. abbatisse atque archidiaconisse monasterii S. Gaudiosi , qui nominatur ad septimum celum, propter scapulam de terra, que est ipsius monasterii, positam vero in loco, qui nominatur ad illa sorta, que est supra campum de Neapoli *etc.* „ Ex exemplis seculi XV in archivo *regii pauperum Hospitii* adservatis.— Anno 1530 huic monasterio illud S. Mariae Agnonis sive de Anglone aggregatum fuit. Postea ultimo saeculi superioris anno monasterium ipsum direptum ac incensum fuit.

(4) In *Passione S. Fortunatae virg.* ab Autperto presbytero id etiam narratur hoc modo. " Cum autem prae-

His ita peractis ecclesia Salvatoris, quae de nomine sui auctoris Stephania vocitatur, divino (quod flens dico) iudicio, igne cremata est. Moris enim fuit, ut cereus sanctus, inormi mensura porrectus, propter dominicae resurrectionis honorem, a benedictionis exordio usque ad alterius diei missarum expleta sollemnia non extingueretur. Nocte igitur quadam ipsius festivitatis, cum solito dimitteretur accensus, cunctis quiescentibus, ignis per aranearum forte congeriem in laquearia ipsius ecclesiae pervenit; et sic demum aestuavit in omne aedificium. Tunc praedictus pontifex magno merore infectus, consolari nequivat. Sed Omnipotens, qui deducit ad inferos tribulationis et reducit, qui post lacrimationem et fletum exultationem infundit, tamdem sua ineffabili pietate triste cor tanti patris laetificare dignatus est. Ac deinde totius populi forti roboratus adiutorio, eandem renovavit ecclesiam, versibus ad instar Fenicis (1) descriptis. Ad cuius etiam insigne cyburium argento ad instar pavonum vestivit, et ammones ex eodem decoravit metallo. Corpora quoque sanctorum Euticetis et Acutii martyrum ibidem, terris multis et hospitibus donatis, cum summo honore collocavit (2).

Huius denique temporibus Constantinus Caballinus, diabolica instigatus supervia, cum Romam dominaturus venire conaretur vitam cum regno crudeli morte amisit, clamans, et heiulans, se vivum perpeti tartareas poenas.

Per idem vero tempus domnus Stephanus iunior apostolicus, Desiderio Langobardorum rege Romanae sedi infenso, ad Carolum pium Francorum imperatorem properavit, qui cum summa reverentia susceptus, quanta et qualia Romano privilegio non cessaret Desiderius inferre, potestati eius suggessit. De quibus statim Carolus, sua missa legatione, Desiderium ammonuit. Sed ille feroci pectore talia spernens, coepto permanebat in malo, unde postea miser, perdito regno (3), in exilio vitam finivit.

Sub eodem quoque antistite Arichis, Beneventanus princeps, inter multa alia, optulit in ecclesia sancti Ianuarii per praecepti seriem locum, qui Planuria nominatur (4), cum omnibus rebus, et super altare ipsius ecclesiae pretiosissimum cooperuit mantum.

dicta civitas Patriensis penitus depopulata esset, nec debitam reverentiam sanctorum reliquiae habere possent, multis iam evolutis temporibus (i. e. ex quo sacra Martyris lipsana ad locum ipsum Patriae, olim Linternum, recondita fuerunt), regnante scilicet Constantino et Irene matre eius ac praesidente Romanae sedis Hadriano Pontifice, animadvertens Stephanus, parthenopensis episcopus, hoc nimis decoris esse, inito consilio cum sancto clero, simulque magnatibus, quod ad protectionem suae urbis, digne et gloriose haberentur, missis exequiis, sacrae martyris Fortunatae corpusculum exinde educens, monasterio puellarum Dei, quod b. Gaudiosus Africanus episcopus, intus Neapolim olim construxerat fugiendo scilicet Wandalorum saevitiam, qui tunc Africam invaserant, cum magna gloria et honore, cum hymnis et laudibus in ecclesiam scilicet, quae ad honorem nominis eiusdem b. Fortunatae optime refulget, eam collocare curavit. „ Aa. Ss. *Bollandi* 14 oct., VI. p. 453.

(1) Hexametros, ac pentametros arbitror, ex quibus hexametri repetitis tribus postremis pedibus pentametri praecedentis, conflantur; appellati *ad instar Phoenicis*, fabulosae volucris, quia ex se renascuntur. MUR. — Mazochius contra (*De Cath. Neap.* p. 12) versus fuisse putatita in inscriptione disposita, nt phoenicis sive volucris effigiem praeseferrent; ad significandum Stephaniam ex cineribus quasi phoenicem resurrexisse.

(2) Brevem huius translationis historiam infra dabo.

(3) Parum accurate haec Iohannes refert, sed ea heic corrigere, cum a nobis aliena sint, nec lubet nec vacat.

(4) Locum istum ibi fuisse, ubi nunc *Pianura*, villa in territorio Puteolano, extat, haud mihi persuadeo. Puteoli enim ad ducatum Neapolitanum tunc pertinebant, nec ullum inibi Beneventanus princeps imperium habebat. Aut igitur de alio loco Iohannes loquitur, aut, si de isto, verisimiliter privato iure ipse ab Arechi possidebatur.

His igitur diebus Iohannes, cui cognomen Niustetis (1) erat, consecratus patriarcha ab hereticis suis complicibus, caelesti respectu ad sanctam matrem Ecclesiam reversus est. Ibique multis lacrimis et gemitibus se errasse confitens, vitam excessit. Eodemque tempore sub Constantino augusto Leonis filio, et Hereni, matre eius, Adriano scilicet apostolicae sedis praesule, in Nicea multorum episcoporum actum est concilium. In quo praesentibus Romanae sedis apocrisiariis, residentibus etiam praedictis imperatoribus cum Tharasio patriarcha, sinodali traditione sanxerunt, ut sanctae imagines in honore pristino religiosius venerentur, anathematizantes Anastasium, et Constantinum eiusdem impietatis heresiarchas.

Fuit autem temporibus [Stephani] (a), et Adriani apostolicorum. Qui, decurso septuagesimo aetatis suae anno, pacificus migravit e saeculo. Sepultus est autem in monasterio sancti Ianuarii intus absidam ecclesiae sancti Stephani protomartyris, currente indictione octaba (2).

XLII. PAULUS (3) episcopus (4) sedit annos viginti, menses [quattuor] (b), dies [sex] (b).

Scribere igitur incipientes, qualiter iste pontificali culmine sit sublimatus, studiosos precamur lectores, ut non aegre accipiant, et nobis imputent aliquid narrasse ineptum. Quia utilius est veritatem proferre, quam vitantes quicquam, ire per anfractam locutionem. Defuncto igitur domno Stephano episcopo, Theophilactus, gener eius, consulatum regebat Parthenopensem. Qui, obstinatus avaritia, nolebat quempiam ex clericali officio promovere ad sacrum ordinem, dicens: *Nequeo exinde amaricari* (5) *Eupraxiam meam uxorem.* Illa quoque quasi comperta occasione referebat: *Laetati estis de morte genitoris mei? Mihi credite, nullus ex vobis ad episcopatum ascendet.* Diu autem ista vertentes, coeperunt omnes acclamare: *Date nobis, quem vultis, quia sine pastore esse non possumus.* Tum illa femineis flammis accensa, hunc Paulum popularem et laicum, licet orbatum uxore, comprehendens, tradidit illis, sed cum reniti nemo auderet, ilico tonsum electum sibi fecerunt; non post multos autem dies pergens ad sedem Romuleam, a domno Adriano (6) episcopus est effectus. Hic cum reversus esset, ex argento, quod domnus Stephanus, decessor eius, reliquerat, sanctum induit et deauravit altarium ecclesiae Stephaniae. De reliquo

(a) *Forte alia manu, certe alio atramento hic postea in cod. additus fuit.*

(b) *In loco vacuo relicto postea additum in cod.* WAITZ.

(1) Heic Chronographus aperte fallitur; Iohannes enim *Nesteutes* aut *Nisteutis*, h. e. *Ieiunator*, Constantinopolitanus patriarcha, obiit a. 595, neque hoc tempore Iohannes ullus Constantinopolitanam sedem tenuit. Paulum ergo repone, qui tunc revera eidem ecclesiae praefuit.

(2) Haec indictio currere cepit a m. septembri anni 799. Ex meae vero supputationis ratione Stephanus circa m. martium a. 800 mori debuit. Nam anni episcopatus 33, m. 3, d. 27, verisimiliter a die 25 vel 26 m. sept. a. 766 incepti, eo nos ducunt.

(3) In *Kalend. Neap.* marmoreo eius memoria extat ad diem 17 m. februarii sic: *Dp. Pauli epi iunioris.*

(4) Cum Stephanus, uti supra innui, currente ind. VIII (799-800) et verisimiliter m. martio obierit, ac cum per aliquod tempus Theophilactus dux consecrationem successoris distulerit, ego Paulum m. octobri eiusdem anni et forte die 11, qui Dominicus fuit, a Leone III PP. non ab Adriano, ut ex incogitantia vel memoriae lapsu Iohannes inferius asserit, consecratum fuisse arbitror. Sic enim anni 20, m. 4. et d. 6, quibus Paulus in episcopatu vixit, adamussim ad diem 17 m. februarii, quo obiit, nos ducunt.

(5) I. e. dolore afficere, unde italicum *rammaricare.* MUR.

(6) Minime; sed a Leone III PP. Hic enim a. 800 in Romana cathedra sedebat.

vero fecit ceraptatas (1) quinque, ex quibus duas deauravit. Ante ingressum vero ipsius episcopii fabricavit magnum horreum (2), et intrinsecus unum cubiculum. Depinxit quoque et turrem, quae est ante ecclesiam sancti Petri, et reliquias in altare eiusdem ecclesiae posuit, quia praeventus morte domnus Stephanus non illud dedicavit. Quaedam (3) igitur Eupraxia, religiosa femina, fabricavit in regione Albiensi (4) monasterium, quod ecclesiae sanctae Dei genetricis coniunxit (5); in quo a praedicto episcopo abbatissa est ordinata.

In ipsis denique temporibus Hereni imperatrix Constantinum augustum filium suum,

(1) Scil. candelabra, quibus cerei imponuntur.

(2) Huius horrei situm non inepte coniecit SPARANO ex documento anni 1150, quod heic breviatum subiungere praestat. " Regnante d. n. Rocerio Sicilie et Italie magnifico rege a. 20, et eius dominationis istius civitatis Neapolis a. 11 die 20 m. iunii ind. XIII. Neapoli. Iohannes clericus Malafronte S. N. E. filius quidem Iuliani, qui nominatur Inbuctia Carpinu, et queda Sancte Licta memorate S. N. E., iugalium personarum, commutavit et tradidit cuncte Congregationi sacerdotum et clericorum salutiphere Catholice ecclesie S. Restitute de intus episcopio S. N. E. integram petiam de terra que, nominatur Ad sera maiori, que est in loco qui nominatur Lanceasinu iuris S. N. E. una cum arboribus et omnibus *etc.*; cuius fines sunt ab uno latere terra ecclesie Stephanie, ab alio latere terra ecclesie S. Ianuarii ex ipso loco Lanceasinu, ab uno capite terra ecclesie S. Pantaleoni, qui fuit S. N. E. quem modo detinet d. Cesarius Cacapice et ab alio capite iterum terra ecclesie Stephanie, set et terra d. Stephani presbiteri, qui nominatur Tiaraballu ipsius N. E.; pertinente vero sibi per duas firmissimas chartulas, quarum una est comparationis exinde facta a Gregorio, qui nominatur Manconi, et Stephano et Beneruso, uterinis germanis filiis quidem Sergii qui iterum Manconi vocabatur, et queda Letitie cum consensu et voluntate memorate Letitie, et per absolutione d. Marini Domini gratia archiepiscopi sancte Sedis N. E. Versa vice recepit integram domum iuris memorate sancte Congregationis positam vero intus hanc civitatem Neapolis iuxta platea publica, que nominatur Summa platea eadem regione Summe platee, et est ipsa domus nominata per hec membra, due inferiores cellarie modice cum due modice superiores, sicuti inter se una et alia, pariete est finis, ubi sunt regie, per quos ingredit de una in alia, set ipse superiore sunt constituta suptus ex parte superiore orrei ipsius N. E.; et ipsa domum una cum ipsa superiora orrei et cum solareu, et aheru desuper ipsum orreum et cum quanto pertinet de gradis, et vallatoro, que est de regia et antitu commune, et cum introitibus suis ad ipsa modica inferiore, ubi ipsa platea publica; pertinente vero eidem sancte Congregationi per due chartule offersionis, que in ipsa sancta Congregatione fecit quidem Iohannes, qui nominatur Cuctillo memorate S. N. E. filio q. d. Iohannis Clerici, qui iterum Cuctillo vocabatur, set una ex ipse chartule offersionis aput eam remanxit, quod aliut continet, que a sua reservavit potestate, et dederunt una de ipse chartule offersionis cum una chartula venditionis, que ei memorato Iohanne Cuctillo fecit Iohannes clericorum serbiente filio q. Petri qui fuit filio q. Sergii qui nominatur Inbuctia Carpinu, et q. Eufimmia iugalium personarum memorate S. N. E. abitatoribus de memorato loco Lanceasinu, et a parte meridie est pischina........ de ipsius memorate N. E, set et modicu de ipsa domu ipsius memorate N. E. quod de inferius detine ipsu Tiaraballu et de super detine memorati Ursi Sapioba memorate N. E. et a parte septentrionis sunt aheres desuper ipsa platea publica, sicuti pariete est finis, ubi sunt de inferius regie per qua ingredit et de superius sunt fenestrae, qui respiciunt supra ipsa platea, set ipsum orreu est constitutu cum memoratu solareu et aheru et ex parte est coperta ad tectu; item et remiserunt una chartula commutationis exinde continente, que est uterinis germanis S. N. E. esadelfis nepotibus suis filiis q. Urso qui nominatur Sapioba, et q. Drosu Cuctylla que fuit esadelfa germana sua iugalium personarum ipsius N. E.; ipsi autem per absolutionem et submictionem d. Gregorii D. g. archiepiscopi iam dicte sedis N. E. et secum habendo abocatorem Iohannem qui nominatur Ruxo, et insuper cesserunt auri solidos 10. Actum per Iohannem Curialem et testes sunt Iohannes filius d. Gregorii, Gregorius scriptor, et Aligernus filius d. Stephani. „ SPARANO, *Memorie storiche della Chiesa Nap.* I, 145. et ss.

(3) In ed.: *Quae dicta;* unde patrii scriptores Eupraxiam hanc Theophilacti ducis uxorem putant; at ex codicis lectione, si recte vidit WAITZ, et si vox *quaedam* proprie sumpta est, ipsam eiusdem nominis aliam *religiosam feminam* fuisse eruitur.

(4) Rectius dixisset *Albinensi*, ut L. O. in *Chron. Cassin.* III, 17. Inde monasterium dictum fuit *S. Mariae ad Albinu*, ut in *Catal. Blanchin.* et in documentis (V. infra *Regest. Neap.*) ac deinceps *S. Mariae Donnae Albinae*, ut in diplom. anni 1411 ap. SABATINI, *O. c.* VI, p. 33. Monasterium olim ordinis S. Benedicti, nunc ordinis S. Mariae Visitationis, a b. Francisco Salesio instituti, ibi adhuc extat.

(5) Ex his porro vides veram monasterii *Domnae Alvinae* originem...... Nam quas ab his diversas narrationes in Caesare d'Engenio reperies, eae fabulosae habeantur MAZ.

lumine privavit ; et ipsa non multo post a Niceforo capta in monasterio vitam finivit. Hic etenim Niceforius, cum vellet Bulgarorum sibi subiugare provinciam, multos affectos depredationibus, ad postremum in artissimis locis fugatos, possidebat. Sed quia periculosa est desperatio, subito Vulgari irruentes cum multis aliis, ipsum peremerunt. Sub eodem quoque tempore conspirantes viri iniqui contra Leonem tertium Romanae sedis antistitem, comprehenderunt eum. Cuius cum vellent oculos eruere, inter ipsos tumultus, sicut assolet fieri, unus ei oculus paululum est laesus. Hic tamen fugiens ad Carolum regem, spopondit ei, ut, si de suis illum defenderet inimicis, augustali eum diademate coronaret. Carolus autem optatam audiens promissionem, e vestigio cum magno apparatu hostium proficiscens, urbemque capiens, illum in suam revocavit sedem. At ille statim Carolum coronavit, et dignam ultionem in suos exercuit inimicos (1). Eodem quoque tempore Niciforius, vir liberalibus apprime eruditus artibus, patriarcha Constantinopolitanus est sublimatus; nec multo post Leo spatharius yconomichus hereticus, contra Michahelem augustum, qui eum suis praefecerat exercitibus, conspiravit. [Michahel] (a) resistere non valens, timore perterritus, habitum sanctae conversationis (2) quaesivit, quo accepto, in monasterio vitam excessit.

In ipsis igitur diebus Anthimus, Neapolitanorum consul, ad honorem sancti Pauli amplam construxit ecclesiam (3), quam pulcriori decoravit pictura, ubi res multas multosque optulit servos. Et per praeceptum Leonis Romulei papae (cuius tunc iuris erat) monasterio sancti Andreae, quod Cella nova dicitur (4), conectit. Fabricavit et idem consul cum coniuge sua monasterium sancti Cyrici et Iulitae (5), in quo duodecim statuit cellulas, quas hospitibus peregrinisque censuit habitari, qui ex ipsius ecclesiae alerentur rebus. In istis utique duabus basilicis praedictus episcopus sacras collocavit reliquias. Cum autem haec gererentur defunctus est Anthimus consul, et Neapoleos consulatus est orta seditio, cupientibus quidem multis honorem ducatus arripere. Tunc Neapolitani cupientes magis extraneo, quam talibus suis subesse, miserunt Siciliam, et inde advectum quendam Theoctistum sibi magistrum militum statuerunt. Cui, aliquantis decursis temporibus, (ut Graecorum moris est) successit Theodorus prothospatharius. Interea Beneventani antiqui hostis instinctu, Grimohaldum principem suum, pene exanimem in lecto languentem

(a) *In loco abraso id alia manu vel alio atramento scriptum fuit.*

(1) De his videndi sunt alii coaevi scriptores, et cum nostro Chronographo conferendi.

(2) Hoc est: monasticam vestem induit; quae phrasis eorum temporum scriptoribus in usu fuit. MUR.

(3) Verisimiliter ista S. Pauli ecclesia, de qua Iohannes loquitur, illa habenda est, quae usque adhuc Neapoli extat: olim parochiae, postea Clericis regularibus Theatinis addicta. De ea vetus Neapolitanorum traditio habuit in antiquo Dioscurorum templo fundatam fuisse ob urbem ea ipsa die, qua S. Pauli festum colitur, a Saracenorum obsidione servatam. (V. infra narrationem de hac Neapolitanorum victoria ex *Script. Lang. et Ital.* repetitam). Quae traditio, si a fabulis et anachronismis, quibus large inquinatur, expurges, apte Iohannis Diaconi dictis convenire potest; sub Anthimo enim duce non infrequentes Saracenorum in Neapolitanas oras incursus.

(4) Quidam nostri scriptores monasterium hoc in ea S. Andreae ecclesia ac diaconia agnoscunt, quae posterioribus temporibus *ad Nidum* ex regionis, in qua extat, nomine, appellata fuit. Ego autem nihil certi affirmare audeo.

(5) In doc. anni 1000 habentur *Maio humilis subdiaconus et primicerius S. N. E. et Iohannes subdiaconus idem S. N. E., Dispensatores monasterii sanctorum Cyriaci et Iulictae.* SABATINI, *O. c.* t. VII, p. 37. Ubi vero monasterium hoc situm fuerit, et quid deinceps de eo actum, nescio.

peremerunt, et Siconem Foroiuliensem, qui puerulus illic cum sua matre venerat accola (1), ducem fecerant. His ita gestis, praenominatus Paulus episcopus letali occupatus infirmitate, mortis exolvit debitum (2), sepultusque est in ecclesia sancti Ianuarii martyris indictione. . . . (a) anno imperatoris. . . . (a) Fuit autem temporibus Adriani et Paschalis (3) papae.

XLIII. (4) TIBERIUS episcopus (5) sedit annos viginti, [mensem I. (b), dies XI] (c).

Hic quoque, quando a populo est electus, diaconatus gerebat officium. Et licet multi clericorum idonei illo in tempore essent, uno tamen voto placuit omnibus, ut iste eligeretur. Sed quia virtus semper invidiae patet, et quanto ex humili quislibet excelsior fuerit, tanto venenatas susurronum patitur linguas, nonnulli, qui sibi ipsum appetebant honorem, adeo illudendo eum infamarunt, ut etiam apostolicas pervenisset ad aures. Unde factum est, ut missi Romani venientes, suptilique examinatione investigantes, reperirent istiusmodi emulatores totos invidia possideri. Sicque demum a Paschali papa episcopus consecratus, decenter repedavit ad propria. Iste quoque altarium sanctae Stephaniae ex aeneis circumcinxit quintanis (6). Fecit et multas aereas ibidem coronas. In ipsis denique diebus Theodonanda

(a) *Vacuum in codicis utroque loco relictum.*

(b) *In cod.* menses . . . . *postea* mensem I. *ex correctione.* WAITZ.

(c) XI. *post additum in cod.* WAITZ.

(1) In ed. *Avola;* unde vox pro Siconis matris nomine accepta. Sed recte Muratorius locum corruptum suspicatus est. In cod. enim aperte *accola* i. e. *incola* legitur; quod ad Siconem ipsum certe referendum est. Male igitur supra (p. 73) libros editos ac p. Di Meo secutus, ex auctoritate Iohannis Diaconi Abulam, matrem Siconis, protuli.

(2) Verisimile mihi videtur Paulum III. sive *iuniorem*, Neapolis episcopum, die 17 m. februarii, quo *Depositio* eius in *Kalend. Neap.*, ut supra memini, adnotatur, et anno 821, quo tempus ab eo in episcopatu, ab die 11 m. oct. a. 800 supputandum devenit, ad superos migrasse.

(3) Nequaquam, sed Leonis III., Stephani IV. et Paschalis Romanorum pontificum. MUR.

Ita verum recte in *Catal. Blanchin.* ubi adiiciuntur etiam imperatorum aequalium nomina; scil. Hirenes, Nicephori et Stauracii, Michaelis, ac Leonis et Constantini (800-821).

(4) Male heic inter Paulum et Tiberium CHIOCCARELLIUS, *O. c.* p. 79, et MAZOCHIUS in *Comment.* ad *Kalend. Neap.* p. 64 et in not. ad *Catal Blanchin.* Ursum electum, qui ad Beneventanam ecclesiam pertinuit, interiiciunt.

(5) Hunc episcopum ex antecedentibus et sequentibus a. 821 m. aprili et forsitam die 17, quae dominica fuit, consecratum fuisse puto. Neque huic coniecturae difficultatem aliquam facere posse videntur ea quae ipse Ioannes subdit; Tiberium scilicet tredecim annos quiete in episcopatu exegisse, et postea a Bono duce, eo anno, quo consulatum Neapolitanorum regere orsus est, angustiatum fuisse. Nam quamvis Bonus m. maio a. 832 ducatum arripuerit (V. supra p. 78) et m. ianuario a. 834 obierit, et quamvis anni 13 a Tiberio quiete in episcopatu exacti in m. apr. eiusdem anni 834, quando Bonus iam defunctus fuerat, inciderint, tamen Ioannis dicta ita ego accipienda esse censeo, ut anni cavi etiam pro integris supputentur. Hac ratione ea quae de afflictionibus a b. Tiberio perpessis Iohannes tradit, recte circa m. aprilem a. 833 accidisse dici potest; tunc enim adhuc annus primus Boni ducis decurrebat, et annus decimus tertius Tiberii initium habebat.

(6) Annulos interpretatur Caracciolus, laminas Muratorius, circulos aureos? Carolus de Aquino in *Lex. Milit.* quem sequi videtur Ducange, Mazochius denique laminas, quibus latera pervia altaris veteris saepiebantur. Cum enim casa quadrangula, et altare, quod item quadrangulum est, ex quinque planis, veluti septis constet, supremo uno, quatuor vero lateralibus; inde hi *quintae* dicti, et laminis sive tegumentis, quibus ipsi ad ornatum cingebantur, *quintanarum* nomen inditum.

At hae interpretationes omnes partim verae, partim falsae habendae sunt. *Quinta* enim in Neapolitana dialecto non unumquodlibet latus planum, quibus domus cincta est, intelligitur, sed potius angulus sive *cantone* eiusdem. Neque ipsa olim aliter accipiebatur. In *Vita S. Patriciae*, verisimiliter saeculo IX scripta, Leo presbyter de ecclesia Ss. Nicandri et Marciani, Neapoli extante, et de sepulchro eiusdem sacrae virginis loquens inquit: *in ipso templo iuxta altare, ubi* quintanae *factae sunt marmoreae in aedificio, una de prae-*

uxor Anthimi quondam ducis , in suo praetorio fecit monasterium sancti Marcellini (7), in quo abbatissam suam neptem cum ancillis Dei posuit. Eodemque in tempore Neapolitani Theodorum , successorem Theophylacti ducis, propellentes, Stephanum nepotem praescripti Stephani praesulis , consulem levaverunt. Cuius invidia commotus Sico , Beneventanorum princeps , multa mala , nunc obsidendo , nunc de predando , Parthenopensium irrogavit civitati , cupiens eam aliquo modo suo pessimo dominatui subiugare. Sed cum exinde non valeret ad affectum sui venire , impios cives eiusdem urbis , datis multis muneribus , misit in letale consilium ipsius ducis. Quid multa ? Æstivo tempore , quando segetes reponuntur , eidem duci pacem petenti suos transmisit legatos , dans eis in preceptum , ut dolosis loquerentur Neapolitanis. Illi quoque venientes, ut conceptum, irato Deo , perficerent malum , simulaverunt se in ipsius episcopii aedibus applicare. Postera igitur die Stephanus consul cupiens desideratam pacem sancire, iunxit se cum eis ante fores ecclesiae Stephaniae. Tunc fautores Siconis impetum facientes, peremerunt suum consulem coram legatis eius. Sed Dominus , iudex iustus , iustus redditor, qui nil sinit abire inultum, permisit unum ex his interfectoribus, Bonum nomine, ducatum arripere Parthenopensem. Qui mox, ut consul est factus, ex suis complicibus alios lumine privavit, alios perpetuo religavit exilio.

Per idem tempus Leo Constantinopolitanus imperator quendam Michahelium , suae necis consiliatorem, in vigiliis dominicae nativitatis comprehendit. Cuius cum distulisset, propter eandem festivitatem , vindictam , ille suis misit coniuratoribus dicens : *Crastino ante tribunal examinis cunctos vos singillatim nominabo.* Tum illi timore perculsi in sancti Stephani protomartyris vicina sollemnitate eundem Leonem, matutinas referentem laudes, gladio percusserunt. Et statim excussum de carcere Michahelium augustali diademate coronarunt. Adversus hunc Michahelium Syracusani cuiusdam Euthimii factione rebellantes, Grigoram patricium interfecerunt. Idcirco praefatus augustus magnum contra eos vexavit exercitum , cuius pluralitate Syracusani fugere sunt compulsi. Ille quoque Euthimius Africam cum uxore, et filiis petens, Arcarium (2), ducem Saracenorum, cum magno navium apparatu super eosdem Grecos adduxit. Cui Greci resistere non valentes, claustra eiusdem petiverunt civitatis, et coangustati valde, quinquaginta milia solidorum persolverunt ei in tributum. Ex illo iam die impavidi grassantes , totam divastabant

fatis quintanis *posita est in angulo eius marmoris, ubi foramen est.* Quae cum ita sint, *quintanas* angulorum, qui *quinte* apud nostros vocantur, in altaribus ornamenta fuisse dicendum est. Ipsae in altari Ss. Nicandri et Marciani fuere columellae marmoreae , quibus mensa sustinebatur ; in altario Stephaniae laminae aeneae columellas eiusdem circumcingentes. Plana autem latera altaris, quae pervia tunc erant , festis diebus velamine (V. infra) vel pallio tegebantur , unde nunc *paliotto*, quo latus anticum ornatur, nostris hominibus dicitur. Cum autem *quintanae* orbiculares fuerint, annulus in ludum medio aevo adhibitus et ludus ipse *quintanae* appellationem forsitan habuit.

(1) Contra ex doc. anni 763, quod breviatum infra dabo, clare eruitur monasterium hoc S. Marcellini iam plures ante annos fundatum fuisse. Quae duo inter se quodammodo pugnantia , cum nec documentum falsitatis , nec Iohannem Diaconum inscitiae vel mendacii insimulare audeam, ego hac ratione compono, ut Theodonandam, Anthimi ducis uxorem, ex alio loco , ubi olim extabat, monasterium ipsum in *suo praetorio* transtulisse et noviter instaurasse putaverim. Ceterum huius monasterii Ss. Marcellini et Petri, quod aliquando S. Erasmi etiam titulo insignitum invenio, plura infra documenta in *Regest. Neap.* lector habebit. De eius vero vicibus superiori tempore, et de statu in praesenti dixi supra p.201 not. 1 cum de S. Festi monasterio in eum postea congregato egi.

(2) I. e. el. — Khadi. Cf. AMARI, *O. c.* I, p. 240.

Siciliam. Ad postremum vero capientes Panormitanam provinciam, cunctos eius habitatores in captivitatem dederunt. Tantummodo Lucas eiusdem oppidi electus, et Symeon spatharius cum paucis sunt exinde liberati. Denique in ipsis temporibus quidam Thomas simillimus Constantini imperatoris, filii Herini, spe vana illectus, adeo Hismahelitas illusit, se Constantinum asserendo, ut permissu regis eorum coacto magno exercitu Constantinopolitanam obsideret urbem. Sed Dominus, qui delusores deludit, reddidit illi secundum adinventionem suam. In ipso enim procinctu ancipiti victores reddidit Grecos, atque in manus eorum eundem dolosum tradidit. Quo capto, ilico inclinatis duarum arbuscularum cacuminibus, eum crurum tenus ligaverunt, eisque dimissis et in partes suas revertentibus, divisus est per medium, et pro regno consecutus est perpetuum incendium.

Interea praedictus Tiberius episcopus tredecim annos in pontificali throno innocuus exegit; ceteros vero qualiter consumpserit, horresco referens. Sed quia scriptum novimus, quod iustus Dominus, in cuius manu sunt omnium corda viventium, flagellat omnem filium quem recipit, illud retexere non omittimus. Praefatus igitur Bonus, Stephani ducis necator, in eo anno, quo consulatum Neapolitanorum regere orsus est, contra sanctam Ecclesiam ad cumulum suae perditionis multa coepit mala peragere. Cui cum hic idem antistes, in quantum virium erat, obsistere non dubitaret, eligens terreni, quam caelestis iram incurrere iudicis, ei iugiter examen cominabatur divinum. Sed ille antiquae aspidis cauda aurem cordis optusus, adhuc quia spernebant monita salutis, insuper ut funes peccatorum ad suum prolongaret interitum, lictorum verbositates magis attendebat. Quid multis moror? Ad ultimum iniecit in eum manus, et comprehendit eum, atque carceralibus tenebris religatum arto in pane et aqua macerabat. Reliqua vero istius, qualiter fuerit, qualiterque obierit, quia aptius in subsequentibus pertinere dinoscuntur, illic ea congruum annectere duximus. Fuit autem temporibus Paschalis, et Eugenii, Valentinique, et pervenit usque ad Gregorium Papam.

XLIV. Iohannes (1) episcopus (2) sedit annos septem, menses [ix] (a), dies [xii] (3).

Si enim huius vitam, vel mores, qualiter a iuventute iuste et pie vixerit, scribere temptavero, non dico meae adolescentiae, cuius sensus propter aetatem adhuc intercluditur, verum etiam sagacioribus oneri fuerat. Tamen in quantum vires suppetunt, ob laudem eius posteris propagandam, de vite illius actibus aliquantulum enarrare curamus: obsecrantes prius, ut nullatenus irrideatur, quod non secundum saeculum ex nobili prosapia oriundus de-

(a) *Menses et dies postea in cod. additi.* Waitz.

(1) Sancti huius viri vitam habes in *Actis sanctorum* ad diem 1 aprilis, illustratam ab Henschenio, qui protulit etiam hanc Iohannis Diaconi narrationem, atque alteram vitam a Iohanne Ecclesiae Neapolitanae cimeliarcha. Sed in postrema hac, si excipias quae Iohanni nostro is surripuit, inepta deprehendes, quale potissimum est quod de S. Paulino Nolano refertur. Mur.

De eodem episcopo, praeter Neapolitanae Ecclesiae historicos, et nostrorum sanctorum biographos, nuper egerunt d. Ianuarius Asprenas Galante (*Breve cenno sulla vita di S. Giovanni IV, e sulle antiche translazioni ed invenzione del suo corpo.* Nap. in 8°), et d. Ianuarius Rocco (*S. Giovanni IIII detto lo Scriba, e suo amore pei sacri monumenti* Nap. 1876, Estr. dalla Rivista *La Scienza e la Fede).*

(2) Hic, si ratio mea recto talo stat, circa finem anni 841, vel potius circa principium anni sequentis 842, Tiberio mortuo, episcopus consecrari debuit.

(3) In *Catal. Blanchin.* dies 22 numerantur.

scendit, quia, qui rectae nobilitatis est, quae viget in Christo, novit Dominum ab initio pauperum egenorumque consortio usum. Igitur ex infimis parentibus procreatus, pauperem cucurrit pueritiam. Cum autem adolevit, non, sicut illa aetas assolet, mundi secutus est illecebras, sed magis se praeceptorum elegit subdere manibus, quatenus litteris imbutus, soli Domino sciret vacare. Non enim magnopere liberalium artium, sed divinae doctrinae potissimum quaesivit magistros, utpote totum se Deo offerre cupiebat. Cuius desiderium Dominus misericorditer adimplere dignatus est. Nam divinae doctrinae eruditor praeclarus effulsit. Praesertim sic scribere novit, ut ex officio cognomen acciperet, et ab omnibus *Iohannes Scribo* vocaretur (1). Pedes quoque eius raro platea tetigit. Simplicitatem columbae cum serpentis prudentia semper in corde retinuit. Pro conviciis non malum, sed oboedientiam exhibebat. Ac per hoc omnibus dulcis, omnibus carus, nutu caelesti ad diaconatus promotus est honorem. In corde vero illius eadem patientia, eadem perseverabat simplicitas, dolens magis aliorum, quam sua convicia. Maxime ex captione praedicti Tiberii episcopi, ita ut aegrotaret, afflictus est. Sed sicut supra retulimus, cum praedictus Bonus Tiberium tenebroso carcere et execrabili fame affligeret, iussit cunctos terque quaterque aggregari clericos, ut illis electum praeberet. Hic autem solus, nonnullis conantibus assumere, immo invadere eandem sedem, absens et contrarius ibat. Ad ultimum vero multis affectus conviciis, adductus est ante Bonum consulem; Cui feroci pectore, ore garrulo, comminari coepit. Post paululum, furiis actus, iuravit non alium, nisi ipsum facere electum. At ille clamabat: *Praesule meo vivo, non ero sedis invasor.* Unde dux, valde iratus, dixit eundem iugulare Tiberium et totius episcopii servos possessionesque infiscari. Tum ille undique angustatus, mentem per varia ducebat, hinc formidans de praesulis nece pontificatusque clade caeleste éxamen, illinc apostolicam sententiam et populi infamationem. Sed ubi respectu misericordiae maluit humanum, quam divinum subire detrimentum, ait ad consulem: *Si iureiurando sancire volueris, ut licentiam habeam ingrediendi ad Tiberium episcopum, et nullatenus eum produces ex ipso episcopio, nec quamlibet maculam facies in corpore eius, licet ad periculum capitis mei praebebo consensum.* Hac ilico promissione percepta, electus est sublimatus. Tiberio denique episcopo quantum quietis quantumque exhibebat humanitatis, non est nostrae facultatis evolvere.

Bonus interea consul, expleto unius anni, et sex mensium circulo, defunctus est, cui successit Leo, filius eius. Hunc autem Leonem post sex mensium dies socer eius Andreas pepulit (a), et factus est ipse consul. Iste vero Andreas per rogum huius electi, levavit Tiberium episcopum de lacu miseriae et tenebrarum, et sub custodia posuit eum in cubiculo ante ecclesiam sancti Ianuarii martyris (2). Contra hunc etenim Andream Si-

(a) *In cod.* eum *post add.* WAITZ.

(1) Postea saec. XIII. idem *ad acquarolam*, vel potius *ad acquarulam*, ut in cod. Neap. legitur, teste Ioanne Cimeliarcha, vulgariter nuncupabatur, forte ab *aquula*, uti Mazochius suspicatur in dissertat. *De cathed. Neap.* p. 354, quae prope tum saliebat, vel olim saltem prosilierat ad usum fontis baptismalis, in proxima S. Iohannis *ad fontes* ecclesia positi.

(2) MAZOCHIUS in libro: *De Ss. Neap. epp.* p. 150 *cubiculum* hoc non aliud, nisi illam ecclesiam S. Ianuarii *in ipso cubiculo* positam, de qua inferius, putat, ac proinde unum et alteram in ecclesia Stephania collocat. Locum hunc

chardus Beneventanorum princeps, filius Siconis, innumerabiles molitus est irruptiones. Pro quibus commotus Andreas dux, directo apocrisario, validissimam Saracenorum hostem ascivit. Quorum pavore Sichardus perterritus, infido cum illo, quasi ad tempus, inito foedere, omnes ei captivos reddidit. Nec multo post repedantibus ipsis Saracenis, dirrupit pacem, et ampliavit adversus Neapolim inimicitias. Mox autem Andreas consul Franciam direxit, deprecans domnum Lhotharium, ut saltem eius preceptione a tantis malis sopiretur Sichardus. Quapropter misit ille Contardum fidelem suum, ut, si nollet cessare persequi Parthenopensem populum, vesanum eius furorem ipse medicaretur. Hic autem Contardus cum Neapolim pervenisset, audiens Sichardum peremptum a suis concivibus, ad suum seniorem reverti voluit. Quem Andreas magister militum propter ingruentem Langobardorum inimicitiam tenere curavit, promittens ei Eupraxiam, filiam suam, dare in matrimonium, quae uxor fuerat praedicti Leonis, filii Boni ducis. Qua sponsione accepta, consistens, repedare contempsit. Sed ubi cognovit idem Contardus, huiusmodi copulam illudendo protelari, coniuravit cum inimicis Andreae consulis, et eum in loco basilicae sancti Laurentii, qui ad Fontes dicitur (1), gladio percussit, et consulatu suscepto, eandem duxit Eupraxiam. Neapolitani siquidem commoti de morte turpissima sui ducis, post tres dies unanimes irruunt episcopium, quo ipse manebat, et confecto feroci bello, Contardum suamque coniugem, et homines eius trucidarunt. Ac deinde, inito consilio, Sergium, filium Marini et Eupraxiae, libenti animo ducem statuentes, beredarios Cumas praemiserunt, qui eum festinarent consulem fieri proficuum. Nam diluculo ipsius diei, quo peremptus est Andreas dux, direxerat eum legatum ad Sichenolfum Salernitanum principem, obsidentem tunc Beneventum. Enimvero in ipsis diebus divisus est principatus Langobardorum. Qui cum reverteretur, in Suessulano territorio audivit occisum Contardum. Ut autem exinde veritatem resciret, perrexit ad Cumanum castellum. Hinc ergo vocato illo, magistrum militum praefecerunt.

His ita peractis, Tiberio episcopo in praedicta custodia posito, appropinquavit ultima dies. Qui pridie quam moreretur, residens in pontificali cathedra, de domno Iohanne electo talem sermonem fecit ad populum: *Scitis, fratres karissimi, quia peccatorum mole depressus, iusto iudicio hominibus absque misericordia traditus sum. Sed Dominus, qui deducit ad inferos tribulationis, et reducit, quique cum temptatione proventum faciet ad sustinendum, permisit presentem filium meum domnum Iohannem nostram ingredere sedem, quatenus haberem maximae tribulationis solacium. Ideoque nolumus*

enim ita interpretatur ac si Iohannes dixisset: *in cubiculo (ante ecclesiam) S. Ianuarii*, i. e. *antequam illud ex cubiculo ecclesia fieret*, vel *in ecclesiam S. Ianuarii verteretur*. At doctus vir mentem Chronographi in alium, quam ipse revera habuit, sensum detorquere videtur. Nam, ut ex utroque loco ad invicem collato satis liquet, Iohannes heic cubiculum ab ecclesia distinguit, unum ante alteram collocans; inferius vero ecclesiam *in ipso cubiculo* positam dicit. Quam ob rem, etsi cubiculum, cum de antiquis basilicis loquitur, idem ac oratorium significet, tamen heic vox non translate, sed proprio sensu accipienda, et de quodam cubiculo domus, quod ante basilicam extramuranam S. Ianuarii positum erat, intelligenda est. Ibi Tiberius aptius in custodia degere, et, quando mortem obiit, in proxima b. martyris sacra aede sepeliri potuit.

(1) Ubi fuerit haec basilica S. Laurentii *ad fontes*, et an eadem ac illa, de qua supra p. 177, not. (2) innui, haberi debeat, incertum est. Verum ex appellatione qua denotatur, ego alteram ab altera diversam, et hanc iuxta alterutrum ex baptisteriis, ab episcopo Sotere vel Vincentio extructis, positam esse putaverim.

vestram latere caritatem, quia de tanta, quam erga me impendit, humanitate, etiamsi omnibus membris loquerer, nullatenus illi gratias referre valueram. Tamen quia magis misericordia meae consolationis, quam presumptione motus, vivo me, episcopatum assumpsit, nulla immineat illi nec a Romana sede nec ab aliis hominibus condemnatio. Huius etenim professionis, quam sponte pro illo feci, coram Deo et omnibus potestatibus, veritatis testes vos habere decrevimus. Hoc autem dicto, surrexit de solio, praecipiens se ad lectulum portari, ubi per duos dies Dominum laudans, veniamque piaculorum implorans, migravit e seculo (1). Cuius corpus cum veneratione domnus Iohannes in ecclesia sancti Ianuarii sepelivit indictione . . . . (a) anno impe. . . . (a).

Sergius item consul, animatus ex professione, quam Tiberius episcopus fecit, apocrisarios suos Romam destinans, obnixius Iohannem electum inthronizari postulavit. Sed domnus Gregorius papa Romuleus, tam diu huiusmodi petitionem distulit, quoadusque missa legatione canonice investigaret, ne pontificalem subriperet sedem. At ubi clericorum et laicorum, simulque ipsius ducis iurisiurandi satisfactionem accepit, quod nec sedem voluntarie invasisset, nec aliquid contra Tiberium, sed pro Tiberio egisset, et, ut ipse confessus est coram omnibus, multa ei bona periclitanti impendere studuisset, ilico accersitum pontificali infula decoravit. Proh! factus episcopus quantum et qualem se exhibebat, nulla carnis lingua poterit enarrare. Nam omnia fiebat omnibus, ut omnes lucrifaceret. Senes reverebatur ut patres, iuvenes diligebat ut fratres; nulli umquam malum pro malo reddebat; neminem nisi pro suis criminibus increpabat. Quem merentem non consolatus est? Cum quo infirmante non infirmatus est? Sic praeerat cunctis, ut ipse magis videretur subiectus. Hic, hic fuit secundum apostolum pontifex, ut etiam testimonium foris (b) haberet: non enim nisi pius, nisi iustus, nisi sanctus per omnia videbatur. Quorsum ista? Num quidnam tanti sumus ingenii, ut laudes eius exprimere valeamus? Exciditne, nos professos esse, parumper posse de eo effari? Quid ergo? Accingamur ad alia: haec, quia sunt eminentissima, relinquamus. Ad sanctum igitur chrisma conficiendum fecit unam deauratam ampullam, in cuius labiis nomen suum descripsit. Acquisivit autem et duo thimiamateria ex auro fabrefacti operis, similique labore auream operatus est crucem. Codices vero manu propria utiles et plures descripsit. Corpora quoque suorum predecessorum de sepulcris, in quibus iacuerunt, levavit, et in ecclesia Stephania singillatim collocans, aptavit unicuique arcuatum tumulum, ac desuper eorum effigies depinxit (2).

In eodem denique tempore Theophilo mortuo filioque eius Michahelio imperante, multorum naves Saracenorum latrocinari per Italiam cupientium Pontias devenerunt. Tunc Ser-

(a) *Utrobique in cod. vacuum relictum fuit, atque deinceps pagina, uno versu carens, desinit.*
(b) *In cod.* a *ante* foris *recentiori manu add.* WAITZ.

(1) Cum verisimiliter Tiberius, uti antea conieci, die 17 m. aprilis inthronizatus fuerit, et certe a. 20, m. 4, d. 11. vixerit, non inepte argui potest eum circa finem m. augusti a. 841 mortem obiisse. — De eo penes nostros homines medio aevo fama fuit legendam S. Ianuarii quandam scripsisse; in doc. enim a. 1085 memoratur *legenda beatae recordationis Tiberii sanctissimi nostri episcopi*, ubi Sergium I. Neapolis ducem ex eadem familia, qua b. martyr, fuisse affirmatur.

(2) MAZOCHIUS in diatriba ad *Kalend. Neap.* praefixa p. 230 et alibi hunc locum ample illustrat.

gius consularis una cum Amalphitanis, Caietanisque, ac Surrentinis, non in multitudine populorum, sed in misericordia Domini, et huius episcopi precibus confisus, bellum cum eis est aggressus. Quibus devictis, Domino protegente, celeriter triumphavit. Perinde vero illorum Hismahelitum victoriam adeptus est, qui Licosae latitabant. Propterea magnus exercitus Panormitanorum adveniens, castellum Misenatium comprehendit. Ac deinde Africani in forti brachio omnem hanc regionem divastare cupientes, Romam supervenerunt, atque iaculato de caelo iudicio, ecclesias apostolorum, et cuncta, quae extrinsecus repererunt, lugenda pernicie et horribili captivitate diripuerunt. Idcirco motus Lhotharius, rex Francorum, ferocem contra eos populum misit, qui celeriter properantes, eos usque Caietam sunt persecuti. Hic autem Saraceni solitam molientes stropham, in locis angustis et arduo calle nonnullos audaciores absconderunt. Franci vero ignorantes calliditatem eorum, conabantur viriliter super eos descendere. At illi de latibulo exilientes, irato Deo, primum ipsorum percutierunt signiferum; quo perempto, cunctis terga vertentibus, validissime occidebantur. Et nisi Cèsarius, filius Sergii ducis, qui cum navigiis Neapolitanorum, et Amalphitanorum venerat, litoreum conflictum cum eis coepisset, nullatenus a persequendo recedebant. Laetantes igitur, utpote paganissimi (1), de tanto triumpho, Caietanam urbem capere minabantur. Sed Cesarius, praedicti Sergii filius, hoc animadverso, cum ratibus suis et Amalphitanorum in portum eiusdem civitatis magis custos, quam propugnator, devertens, Domini protectione, illis obsistebat. Interea Salvatoris omnipotentia, quae humiliat seipsos exaltantes suisque in viribus gloriantes, tempestivam excitavit procellam in puppes tantae superviae naufragium comminantem. Unde perterriti, a Cesario sibi dari pactionem petierunt, quatenus naves ad terram subducerent, acceptaque serenitate ad sua repedarent. Hoc e vestigio nuntiato Sergio duci, iussit illud sub iureiurando fieri, pavens, ne navibus allisis terram caperent. Quo peracto, et serenitate reddita, ire coeperunt; sed pelagi vastitatem sulcantibus excitavit Dominus austrum, quo dispersi atque demersi, paucissimi ex eis ad sedes remearunt suas.

Eodem quoque anno, supplicatione huius Sergii principumque Langobardorum, direxit Lhotharius imperator filium suum Lhodoguicum, bonae adolescentiae iuvenem, propter catervas Saracenorum Apuliae sub rege commanentes, et omnes fines depopulantes. Qui adveniens caelesti comitatus auxilio, ex illis Hismahelitis triumphavit. Et sagaciter ordinans divisionem Beneventani et Salernitani principum, victor reversus est.

Decurrentibus istis, ut praelibavimus, domnus Iohannes episcopus, vir totius sanctitatis, sensit sibi diem adesse solutionis, quo sui nominis gratiam susciperet. Gaudebat enim, quod brevi temporis spatio dissolutus finem daret suo certamini, et multo melius esset cum Christo imperpetuum. Septem quoque dierum vi infirmitatis detentus, sedulus in oratione excubans, gratias referebat Domino. Quibus transactis, requievit in pace. Luxit plane populus cunctus tanto orbatus Pastore, sed exultavit chorus angelorum, quod municipem suum in caelis suscepit. Insignes eius exequias uterque sexus et aetas usque ad basilicam (2) sancti

(1) Haec phrasis in aliis Iohannis Diaconi opusculis occurrens, unum ac eumdem scriptorem nobis prodere posse videtur. MUR.

(2) Postea, quonam tempore ignoratur, sed certe ante saec. XIII. huius episcopi corpus intra urbem translatum fuit. Tunc Ioannes Cimeliarcha, qui eius Vitam *ad honorem*

Ianuarii deducentes, officialiter (1) collocarunt, indictione decima (2), anno Imperatorum (a)...

XLV. ATHANASIUS (3) episcopus sedit annos viginti II. menses VI. dies vigintiquattuor.

Hic (*) autem ab ipso pueritiae suae tempore usque ad diaconatus honorem, patre suo Sergio duce, sub tutoribus et auctoribus mansit, quatenus, negotii secularis ignarus, omni institutione catholica imbueretur. Qualis enim quantusque effulserit, si homines silent,

(a) *In cod. vacat dimidia linea.* WAITZ.

(*) VITA S. ATHANASII *n. 2 et 3 habet:* Hunc etenim priusquam in alvo suo gestaret genitrix, viro non reluctante, immo id magnopere flagitante, Anne sancte imitata oraculo vovit Deo, ut de uteri sui fructu, si inesset proles, equo assensu, Christo traderent ad famulandum, Athanasiumque vocitarent, idest immortalem; ob amorem et honorem doctissimi sancti Athanasii Alexandrie presulis: non ignari huius mysterium nominis, quod immortale sonat; quoniam Dominus ait: *qui in me credit non morietur in eternum.*

Hoc itaque orto, decima indictione, regnante Michahele et Theophilo, Romanae ecclesie presidente Gregorio votum suum facto firmarunt, prout decreverant, clericum eum facientes in ecclesia beate dei genitricis semperque virginis Marie, ad informandum ecclesiastice regule documenta, indiderunt. Sed non multo post Iohanne reverendo viro Neapolis ordinato presule, genitore vero fati viri ducatus regimine iam suscepto, confestim igitur supradicto pontifici iam fatus traditus est puer, non ut filius, sed ut famulus infimus. Quem vir Dei libenti suscepit animo, et videns eum elegantem (a) gratiamque in eo adesse caelestem et proficientem cotidie in Dei timore et literarum eruditione, affectu materno eum amplexans, quasi pius pater pium diligebat liberum: eumque videns in ecclesiasticis instrumentis, officiisque divinis pollentem, subdiaconi ministerio vincxit; quod ille ne sprevisse, ut minimum, videretur, superno illectus amore suscipere non rennuit. Future namque humilitatis specimen, quod in pontificatus dein culmine exhibuit, in adolescentia senili iam mente ostentabat; ministrabatque fidissime pastori suo, prout Samuhel innocuus Heli sacerdoti sub reverentia divinae maiestatis; et non solum illi, sed et omnibus clericis, etiam infimis (b), corpore et corde se exhibebat inferiorem.

(a) *In edit. ex cod. Casin. legitur heic:* in Dei timore atque servitio ex toto esse ferventem et donum. (b) *Male in cod. Neap.* infirmis.

Neap. ecclesiae et Capituli post mortem Bernardi archiepiscopi, scil. post a. 1262 descripsit, illud in ipsa ecclesia et proprie in praesenti S. Restituta extare testatur. Verba Cimeliarchae in re haec sunt: *quod corpus sanctum (sanctissimum* cod. Neap.) *collocatum fuisse dicitur ab antiquo in sepulcro, quod est ante parvum ostium ipsius ecclesie. In quo ymago sua depicta videtur. Nunc vero in altari, quod est iuxta portam, qua itur ad ecclesiam S. Iohannis ad fontes quod altare Trinitatis vocatur, firmiter est collocatum. Vita* legitur in cod. Neap. (VIII, B, 1) f. 54. — Nunc vero sub ara maxima ecclesiae S. Restitutae, ubi denuo a. 1862 recognita fuere, sacra lipsana quiescunt.

(1) Novum adverbium, quo significatur funeris pompam fuisse liturgicam: h. e. ad ritus ab Ecclesia praescriptos, non ad saeculi fastum conformatam. MAZ.

(2) In cod. Vaticano indictio *decima* non numericis notis, sed litteris rotundis scripta est. Ipsa in anno 846-847 cursum habuit. At S. Athanasius, ut ex eius *Vita*, et ex annorum, quos in episcopatu vixit, supputatione eruitur, procul dubio idibus Mart. a. 850 Iohanni successit, et nihil in causa tunc fuit cur sedes Neapolitana fere tribus annis vacare debuisset. Sive igitur ex librarii allucinatione vox *tertia* post *decimam* praetermissa fuerit, sive, ut ego potius autumo, Chronographus ipse indictionem et imperatores, postea secundis curis rectificandam, ut alibi, vel supplendos adnotaverit, error certe in cod. inest, et S. Iohannem mense ianuario vel februario anni 850, qua ind. XIII decurrebat, ex antecedentibus et subsequentibus obiisse dicendum est. — Cur autem festum eiusdem ad d. 22 m. iunii, quo nunc ipse colitur, amandatum fuerit, nescio.

(3) De huius sancti viri *Vita* ab coaevo quodam anonymo auctore descripta iam supra p. 84 quodammodo egi. Nunc heic aliqua etiam ipsius operis loca, quae auctoris aetatem satis aperte demonstrant, addere lubet. In proaemio enim de *nunc novissimis temporibus* S. Athanasium is laudans innuit, atque *caelibem et Deo dignum virum* (Athanasium) *nunc* (suis scil. temporibus) *repperiri* laetatur. In. n. 6 *nostris nuper temporibus,* inquit ille, *sanctissimus Athanasius eiusdem urbis praesul in cunctis piis operibus . . . carus extitit Deo.* In c. ultimo denique sancti viri corpus etiam tunc *(usque in praesentem diem)* in monasterio Casinensi sepultum extitisse affirmat; quod temporis intervallum ab a. 872, in quo

ipsi etiam lapides clamabunt. Infra (*) vicesimum aetatis suae annum levitali honore suffultus, quasi iam episcopus venerabatur. Dominus enim, qui praevidebat ecclesiae suae tantum pastorem, quodammodo de illo suae clementiae signum praecordiis humanis indiderat, antistitem eis designans futurum. Ille, inquam, ille tanto mellifluus nectare, sic omnes dulcabat, ut domnus Iohannes episcopus paterno affectu in tantum eum diligeret, quod de eo sine filii vocabulo nunquam os aperiret, populus cunctus sine domini assertione. Mirum in modum certatim a singulis laudabatur, et quod ante secula Omnipotens predestinarat, celebs iam et sanctus auspiciebatur. Profecto igitur domno Iohanne ad caelestem patriam (**), huius electionem e vestigio cunctus acclamavit populus. Qui mox sublimatus, in paucis diebus Romam properavit, ubi honorifice susceptus, honorificentiusque consecratus, cum magna gloria Neapolim repedavit. Inthronizatus ergo (***), uber-

(*) VITA S. ATHANASII *n. 3 sequitur:* Peractis itaque huiusmodi religionis obtentu septem continuis annis, cum cerneret memoratus presul animam eius fervescere in amore creatoris sui, et in humilitatis proposito immobiliter perdurare, Christi septimum in eadem ecclesia levitam sublimavit; illustrius tum (a) videlicet septiformi Spiritus sancti gratia. Is autem diaconatus gradum (b) excipiens, non in vanae gloriae lapsus est iactantiam, sed pietatem in se perspiciens coelitus collatam, potiorem humilitatem ostendebat in moribus, abituque priori, sententiae profecto Salomonis non immemor dicentis: *quanto magnus es humilia te in omnibus.* Noverat et vocem intonantem herilem: *Qui se exaltat,* inquid, *humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.* Sectabatur etiam humillimam magistri gratiam, qui eum sumpserat ad imbuendum. His ergo aliisque quamplurimis charismatum ditatus muneribus, crescebat cotidie velud rudis athleta in templo Domini, praeliaturus nihilominus adversus omnia figmenta diabolica.

(**) VITA S. ATHANASII *in n. 5 sequitur:* Expleto igitur in leviticali officio anno uno, duobusque mensibus predictus vir Iohannes beatae memoriae, honestissimae vite praesul, et Deo satis carus, diem clausit extremum. Moxque ab universo clero, omnique plebe, simulque a ducibus, genitore scilicet et germano, communi voto et consilio electus est ad pontificale decus. Et proficiscens Romam, consecratus est a venerabili papa Leone idibus martii in altari sancti Gregorii: reversusque, a cunctis civibus magno cum gaudio exceptus est; eo quod talem meruerunt suscipere pastorem et patrem, qui nutritorem suum imitaretur moribus et operibus.

(***) VITA S. ATHANASII *item n. 5, 6 et 7 habet:* Athanasius vero supradictus presul accepto tanti mynisterii apice, qualem se quantumque prestiterit in omni regimine ecclesiastico, quamque perfectus in timore Domini et facilis in literarum studiis extiterit, esset si nobis ferrea vox aut omnes artus nostri verterentur in linguas, non valueramus (sic), cotidianam conversationem illiusque spem semper fixam in Domino saltem de plurimis pauca retexere. Quippe qui opere perfecit ea, quae Apostolus monitis instruxit inquiens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse,* et paulo post: *Et testimonium etiam habere ab his qui foris sunt.*

Grammaticam prius in pueritia, et post in pontificatus honore perfectissime didicit: divini vero dogmatis peritia ita instructus est, ut in Lacio (c) nulli foret secundus. Ecclesiam namque, quam

(a) *Sic in cod. Neap.; in cod. Corsin.* illustratum. (b) *In cod. Corsin. deest:* gradum. (c) *In edit. ex cod. Casin.:* latino; *in cod. Corsin.* palatio, *quod* palatino *scil.* iure *corrigere vult Mazochius. At haec codicis Neap. lectio:* Lacio *scil. omnium melior, et clara videtur.*

Athanasius obiit, ad a. 877, quo corpus eius Neapolim translatum fuit, designat. Praeterea ad Mazochii contrariam opinionem (V. *De Cath. Neap.* p. 36 not. 29, et *De Ss. Neap. epp.* p. 359) firmiter impugnandam hoc unum satis mihi videtur; *caelibis* scil. appellationem in Athanasio laudi datam, ex qua ipse *Vitam* saeculo XI. et XII. convenientiorem quam saeculo IX. et X. putavit, minime huius sequioris aevi notam esse. Nam Iohannes Diaconus ipse, quem saeculo nono ex. et decimo in. vixisse ita certum est quam quod certissimum, non aliter Athanasium appellat, et ideo eum laudibus extollit, quia *caelebs iam et sanctus*, cum diaconus esset, *auspiciebatur.*

Ceterum ex hac S. Athanasii *Vita* quaedam ad historiam civilem Ducatus pertinentia superius rettuli, reliqua, quae ad rem ecclesiasticam faciunt, heic ex codd. Neapp. supra memoratis cum Iohannis Diaconi dictis conferam.

tatem doctrinae, quam in pueritia suxerat, coepit affluenter impertiri. Ordinavit autem lectorum, et cantorum scolas; nonnullos instituit gramatica imbuendos; alios colligavit ad scribendi officium, ut sic pastor providus caulas sui gregis muniret, quatenus nullius indigens, Domino suam praesentaret speculationem, atque verissime audiret: *Floret sancta Ecclesia in diebus tuis redemta sanguine Christi.* Praeterea ecclesiam sancti Ianuarii in ipso cubiculo (1) positam renovavit, nobiliumque doctorum effigies in ea depinxit, faciens

tuendam suscepit omnimodo interius exterius vel (a) inopem repperit ob infestationem bardicae (b) gentis, que peccatis exigentibus propriis, Neapolitibus vicinitate cohaesit. Quo viriliter agonizante (2) tam in clericis officialibus (3), ac divinorum libris dogmatum, quam et in cunctis extimis (c) opibus adeo aucta est, ut nulli ecclesiae in Campania infima in aliquo cerneretur. In Dei autem timore et oratione tam intentus et pervigil extitit, ut anachoritarum, nostris certe diebus, omnibus sit proponendus. Ciborum quoque abstinentia tam arctissima usus est, ut ab omnibus miraretur. Nam et carnem ab ore suo abstulit funditus; et tantum praecipuis festis aliquod parvum benedictionis de volatilibus accipiebat. De vini autem potatione primo quidem abstinere se voluit: sed propter aegritudinem carnis non potuit; tantum Apostoli sententiam secutus est, qua Thimotheum instruit dicens: *Vino modico utere, propter stomachum et frequentes tuas infirmitates.* In pauperum quoque indigentiis dapsilis, in lectione assiduus, in oratione continuus, in officiis ecclesiasticis promptus, in risu difficilis, in suspiriis et singultu cotidiano deditus, multiloquium vitans, et taciturnitatem amplectens, in eruditione disertus, in fraterna collectione profluus, animam suam odio habens in hoc mundo, ut in vitam eternam custodiret eam. Quippe inter ipsa cotidiana detrimenta corporis sui, que ipse sibi sponte subministrabat, plumbum etiam non parvi ponderis diutina subiectione collo proprio suspensum gestit: subtus ad carnem absconse grossiori vestimento induebatur non ex lino, sed ex lana. Lecti quoque sternia pretio tecto stramine (d) linquens in vilissimo cilicio et psiathο (4) terra prostratus, Iacob ad instar, lapide supposito capiti, cum in oratione crebra lassesceret, membra quieti dabat. Frequentius tamen per semet artus proprios tam graviter caedebat, ac si a severo judice juberetur affligi: ut stimolato corpore, saltem nulla temptatio spiritualis nequitie subreperetur: quatenus a mundi illecebris omni modo immunis effectus, posset acceptissime immaculatum Deo, cotidianumque libare sacrificium; quod omni die minime destitit, nisi forte membratenus adesset aegritudo, et iuxta Apostolum prius semper propriis expiationibus sacrificium illibatum in arbitris (sic) Dei conspectum offerebat, deinde in publico pro sibi credito grege. Quotienscumque enim per se hostias non inmolabat divinas litanti? ipse minister efficiebatur (e). Ideoque et multis sacerdo-

(a) *Sic in cod. pro:* exteriusve, *ut in cod. Corsin.* (b) *Al.* Longobardicae. c) *In cod. Corsin:* ex intimis, *quod corruptum puto — In ed. ex cod Casin.* tam in divinis, quam in mundanis. (d) *In cod. Corsin.* pretioso facta stamine. (e) *Periodus haec in cod. Corsin. et in edit. deest.*

(1) Ecclesiam hanc S. Ianuarii, quam Chronographus noster *in ipso cubiculo positam* dicit, cam *Catal. Blanchin.* aperte *intus episcopium* collocat; ex quo aliam ac extramuranam esse habendam, quàm Iohannes ipse paulo post *foris sitam* expresse designare voluit, eruitur. At cur *in ipso cubiculo posita* dicitur? Cuperus ita appellatam putat eo quod in cubiculo quodam domus episcopalis erecta fuerit. Mazochius contra (*De Ss. Neap. epp.* p. 130) cubicularem in Stephania ecclesiam sive cubiculum in ecclesiam consecratum intelligit. Et quoad hoc quidem rectius. Nam compertum est, ut idem Mazochius observat, *cubicula* in antiquis basilicis loca esse hinc atque inde disposita, et ad seorsum orandum accomodata, quae quodammodo nostris capellis similia erant, nisi quod altari carebant, et ostio claudebantur. Aliter *oratoria* dicta etiam fuerunt. In Stephania vero inter alia, quae verisimiliter ibi fuisse credendum est, unum praecipue cubiculum sive oratorium ex ipsius Chronographi testimonio *sursum in capite catacumbae* extabat. De eo igitur heic, utpote principali, Iohannem Diaconum verbis *in ipso cubiculo* locutum esse censeo; vel potius de ipsa *catacumba*, quae recte *cubiculum* etiam dici poterat. Ibi, quonam tempore non satis constat, sed facile Iohanne I. episcopo, capitis et cruoris S. Ianuarii pretiosa pignora recondita fuerunt, unde oratorium aliquando sancti martyris nomine insignitum fuit, et postea, altari ibidem extructo, ecclesia etiam nuncupata. Ita ego post ASSEMANIUM (V. *O. c.* t. II p. 337, et *Edicti per. rep.* c. 25) locum Iohannis Diaconi explico, feliciter nec ne doctiores in sacra archaeologia iudicent.

(2) H. e. dantc operam: in his enim scriptoribus *agonizare* est *niti, laborare.* MAZ.

(3) H. e. qui officia divina persolverent. MAZ.

(4) Idem est quod teges seu storea, ut Cuperus adnotat.

ibi marmoreum altare cum regiolis argenteis (1). Supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium sancti Ianuarii eiusque sociorum acu pictili (2) opere digessit. Eodem enim opere in ecclesia Stephania tredecim pannos fecit, evangelicam in eis depingens historiam; quos iussit de columnarum capitibus ad ornamentum pendere (3). Et in altare eiusdem ecclesiae huius operis quattuor velamina optulit, multo auro multisque gemmis decorata. Plurimos enim pannos facere studuit, quos in ecclesiarum ornamentis maluit offerre. Ex argento igitur non pauca vasa in ipsa fecit ecclesia. Nam ad magnas brevesque fabricandas coronas et alia sacra vascula quadraginta octo libras argenti appendit. Ex eodem itaque metallo fecit magnam patenam, scalpens in ea vultum Salvatoris et angelorum, quam intrinsecus ex auro perfudit. Item paravit duas conchas argenteas, appendentes libras viginti, ex quibus una nomen Sergii exaratum habebat. Fecit et Comiticlos (a), quibus cantores per festivitates uterentur (4). In ipso vero episcopio ad cotidiana ministeria in cochleariis catinisque fere centum libras contulit argenti.

Ordinavit (*) etiam, ut in ecclesia Salvatoris omni die missa puplica cum dipticis cele-

(a) *Ita in cod. — Muratorius et post eum alii legerunt:* Comitidos; *et fortasse melius. Vocabulum enim* Comiticlos *nusquam alibi auditum.*

tibus, plerisque Abbatibus Monasteriorum subsidia alimentorum, et nonnulla ministrabat necessaria, ut pro se Deo sedula supplicatione intervenirent (a); ut si in cogitatione actuque delinqueret cotidiano, sine qua sorde, ut Iohannes dicit, nemo natus de muliere alienus est, eorum precibus ablueretur.

(*) VITA S. ATHANASII *in n. 8 et 9. pergit sic:* Hic itaque zelo fretus divino, constituit sacerdotes epdomadarios in ecclesia domini Salvatoris, que Stephania vocatur, qui in ea continuis diebus puplicam missam celebrarent, sicut mos est ecclesiae Romanae; in qua etiam ad eorum sumptus necessarias rerum distribuit opes. In ecclesiis quoque beati Andreae apostoli (5) et protomartiris Stephani (6) custodem deligavit, ubi et res optulit ad luminariorum concinnationes, et sumptus ipsius custodis. Ecclesie vero sanctae Restitutae, que a Constantino, primo augustorum christianissimo, ut fertur, condita est, conectit utrosque Iohannem Baptistam et precursorem Domini, atque evangelistam, et custodem cum officialibus clericis ordinavit (6), resque illic ad presidium eorum largitus est. Fecit etiam xenodochium ad peregrinorum susceptionem super

(a) *In cod. Corsin.* sedula supplicarent interventione.

(1) Ex sensu limbos argenteos significari suspicatur Cuperus; sed male. *Regiola* diminutivum est a *regia*, quae vox medio aevo ianua significavit. *Regiolae* igitur, *quae erant ante altare*, ut in lectionibus S. Rufini a Mazochio laudatis dicitur, anticam altaris partem claudebant, sub quo reliquiae S. Ianuarii, i. e. caput et cruor, summa veneratione servabantur.

(2) Mazochius *acupictili* iunctim, sicut in Anastasio legitur, scribendum esse censet.

(3) Vide quam antiquus sit, qui adhuc in usu est, templorum ornatus columnis ac etiam parietibus aulaeorum venustate contectis. Meminit et eorum Anastasius Bibliothecarius. MUR.

(1) Indicari heic arbitror *Librum Comitis*, quem edidit BALUZIUS t. II *Capitularium* p. 1309 et veteres non pauci commendarunt ecclesiasticis viris, tamquam comitem in via de recte peragenda divina officia. Illud obstat quod *Liber Comitis* nihil aliud erat quam *Lectionarius* liber, lectiones nempe totius anni in liturgia indicans. Heic autem dicuntur *cantores* usi iis *comitidis*, qui propterea fuisse videntur libri ad musicam spectantes. Sed cum lectiones etiam canerentur in ecclesia, ideo opinari non desino agi heic de *Comitis Libro*, donec alii meliora me doceant. MUR.

In ecclesia Neapolitana iste liber *Comitus* vulgo dicebatur. De eo autem, quoad recentiora tempora spectat, expresse egit MAZZOCCHI, *De Cath. Neap.* p. 260.

(4) De hac S. Andreae ecclesia, quae aliquando monasterium dicitur, verisimiliter agit doc. a. 933, ubi habetur *monasterium S. Andreae qui appellatur . . . . . episcopio.* R. N. A. M. t. I, p. 68. A. 1440 ecclesia adhuc extabat prope turrim campanariam cathedralis, sed postea saec. XVI., ut infra dicam, cum attiguo hospitali S. Athanasii fuit eversa.

(5) Haec S. Stephani ecclesia forte fuit illa, quae in angulo viae, vulgo *dei Mannesi* dictae, olim extabat, et superioribus annis destructa fuit.

(6) Scil. ecclesias S. Iohannis Baptistae *ad fontes*, quae adhuc extat, et S. Iohannis evangelistae, cuius ne memoria quidem ulla nobis nunc superest.

bretur, offerens ibidem terras, ex quibus eiusmodi aleretur collegium (1). Deinde ordinavit xenodochium (2) in atrio praedictae ecclesiae multis terris oblatis, quatenus egenorum et advenarum esset repausatio. In ecclesia denique sancti Ianuarii, foris sita, monachorum collegium sub abbatis regimine ordinavit (3), offerens eis unum hortum in campo Neapolitano positum. Multas igitur ecclesias, quarum sacerdotes paupertate laborabant, oblatis suae largitionis muneribus suaeque preparationis rebus sublevare curabat. Que si cuncta recensere volumus, et nobis est longum ire per singula, et lectoribus ingerimus non parvum fastidinm. Eodem quoque tempore Misenatis ecclesia, peccatis exigentibus, a paganis devastata est. Cuius omnes pene immobiles res, hoc praesule supplicante, genitor eius Sergius dux Neapolitano concessit episcopio. Et in altare ecclesiae Stephaniae cooperuit velamen cum auro et gemmis atque listis ornatum, quod ipsius et uxoris

gradus atrii ecclesiastici', ubi et nonnulla contulit praedia; illoque exhortante plures fidelium simili contulere devotione. In insula Salvatoris vocabulo cognominata, que a Neapolim vix duodecim abest stadiis, quamquam multis retro annis a monachis in cellis consistentibus, in propria singuli voluntate incolerentur, illuc frequenter properans, crebra exhortatione illos ammonens, unum super illis vice pastoris in coenobio degentibus Abbatem constituid, qui eos regulari sub districtione foveret: ad quorum cotidianos sumptus beate ecclesiam Lucie martyris (4) in perpetuum cessit habendam cum omnibus rebus suis.

In ecclesia namque sanctissimi ac beatissimi martyris Ianuarii, que juxta memorate urbis moenia condita, que magna a civibus nuncupatur, ubi antea unus tantum modo sacerdos excubabat obsequio, ipse monasterium instituit sub abbatis dumtaxat tuicione illicque religiose vite virum singularem patrem ordinavit; qui cum collato sibi grege incunctanter Deo juge laudis officium persolverent. Istius etenim sollicitudo circa ecclesias et monasteria, erga pupillorum viduarumque miserationes, quamque circa redimendos captivos, quos tunc innumerabiles Syrigenorum exulabat efferitas insaciabilis, quam frequens seu sollicita clemensque extiterit, ita multis est cognita, ut si lingua fandi torpeat in eloquendo, tamen (b) procul dubio tonabit et aether. Et quoniam beatitudinis fama nullo valet circumdari antro, neque, ut evangelii tuba resonat, lucerna sub modio occulatur, sed candelabro supereminens constituitur, ut intrantibus in templo Domini jubar exhibeat inoffensum.

Cuius opinionem comperiens reverentissimus vir Nicolaus universalis Ecclesiae pater, apostolicis exhortationibus hunc ad synodum, quam contra Iohannem Ravennatis urbis episcopum congregaverat, singulariter evocavit tertiumque in apostolica conventione consedere fecit, eique ad legendum tradidit cautiones, quas predictus archiepiscopus intexuerat, eo quod ceteris illo convenientibus in gratie divine collatione omnibus prestantior apparebat.

(b) *In cod. Corsin.* ter, *forte pro* terra.

(1) Hunc Chronographi locum alii ad illos Neapolitanae cathedralis ecclesiae beneficiatos minores, qui nunc *hebdomadarii* vocantur, alii ad canonicos cardinales eiusdem maioris ecclesiae, ut quisque sua pro causa agit, referunt. At si Iohannis Diaconi verba cum illis, quae ad rem in *Vita S. Athanasii* dicuntur, conferre volumus, et nominis praesentis, quod ab olim invectum fuit, rationem habere, priorum sententiam magis rectam esse confiteri debemus. Auctor enim *Vitae* sacerdotes, quibus officium missae quotidianae ab S. Athanasio demandatum fuit, *hebdomadarios* vocat, et ab saeculo XI. hebdomadariorum in ecclesia Stephania memoria invenitur. Ceterum de hac re, quoad huius temporis historiam attinet, alibi pauca dicam.

(2) Xenodochium hoc in atrio ecclesiae Salvatoris sive Stephaniae, ut Chronographus asserit, seu super gradus atrii ecclesiastici, ut in *Vita S. Athanasii* legitur, positum, a. 1440 ab Eugenio IV. PP. diplomate, quod MAZOCHIUS *O. c.* p. 283 edidit, hospitali S. Mariae Adnuntiatae cum omnibus iuribus adnexum fuit. Mazochius idem vetustum de eiusdem bonis, iuribus, ac oneribus inventarium ex antiquiori a. 1336 exscriptum, et in archivo ipsius aedis adservatum, ea, qua onera adnotantur, parte ibidem vulgavit. Saeculo XVI. ipsum Athanasianum xenodochium civitati Neapolitanae cum attigua S. Andreae ecclesia in emphyteusim concessum fuit, ut, utroque aedificio diruto, nobilissimum illud hodierni Thesauri sacrarium extrueretur.

(3) De hoc monasterio supra dixi.

(4) Scil. eccl. S. Luciae, postea ex situ *ad mare* dicta.

eius Drusu continet nomen. Dedit etiam in eiusdem episcopii bibliothecam tres Flavii Iosepi codices.

Praeterea (1), mortuo Sergio consule et Gregorio filio eius ducatum regente, Saracenorum ferocitas ita in his praevaluit regionibus, ut multarum urbium atque castrorum cotidianum fieret excidium. Idcirco Lhodogvicus imperator supplicatione commotus Langobardorum, ad eorum liberationem validum movit exercitum, asserens se rationem redditurum, si, pro quibus Christus descendit de sinu Patris subiens corpoream mortem, non eos a paganissimo iugo liberaret oppressos. Huius autem adventui omnium circumquaque urbium patuit introitus. Solummodo Neapolitanam non est ingressus civitatem, quia tantam iste domnus Athanasius familiaritatem apud eum optinuit, ut saltem in modico non amaricaretur ab eius potestate. Beneventi itaque commorans, magnam de caelo accepit victoriam, ita enim ut Agarenis fame et gladio interemptis, et rege eorum Seudan capto, civitates, quas coeperant, auferret, et in pristinum revocaret dominium.

Interea Gregorius dux, habito cum suis germanis consilio, praesertim cum domno Athanasio episcopo, statuit consulem Sergium, filium suum: nec multo post diuturnitate aegritudinis spiritum exhalavit. Quo mortuo, Sergius (a) consul, instinctu malorum hominum coepit omnes germanos patris sui, etiam eundem praesulem. Quibus segregatim custodia mancipatis, infra septimi diei spatium collecti omnes monachi, servi Dei, sacerdotes et clerus clamabant lacrimis profusis: *Sergi consul, redde nobis pontificem; dimitte sanctum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, totius regionis lumen, consolatorem tristium; solve hominem, per quem omnis patria pacificata manebat: alioquin gratam suscipiemus peregrinationem, quatenus, nobis absentibus, tanti sceleris ira in te deseviat.* Quid ageret, quo se verteret, non habebat. Coangustatus itaque, tandem aliquando memoratum antistitem illis dimisit, tali sacramento constrictum, ut nusquam sine consensu eius abiret, nisi tantum ad ecclesiasticam explendam consuetudinem.

Diebus igitur decem expletis, commeatum petivit, quasi convivium monachis insulae Salvatoris exhibiturus. Quo accepto, nichil moratus cum omnibus clericis in eandem ascendit insulam; desiderabat enim quodammodo suos germanos ex ergastulo, quo detinebantur, producere. Sed Sergius nolens a tanta mentis obstinatione recedere, agebat: *Non solum autem istos patiar esse solutos, insuper eundem episcopum ex ipsa insula trahere conabor.* Propterea domnus Athanasius episcopus suum apocrisarium domno Lhodogvico imperatori destinans, insinuavit ei, quae et quanta a suo pateretur nepote. Tunc ille ex urbe Beneventana Marino, seniori Amalphitanorum, praecepit, ut illum ex praedicta insula cum omnibus eius hominibus incolumem, quo vellet, perduceret. Marinus autem imperata complere festinans, Surrentum illum cum omnibus salvum per-

(a) *In loco raso eadem, ut videtur, manu, sed alio atramento.* WAITZ.

(1) Quae heic et deinceps de factis Gregorii et Sergii eius filii, ducum, in *Vita S. Athanasii* habentur, iam supra p. 93 col. 2, et p. 95 usque ad p. 97 retuli, et ibi cum his conferri possunt.

duxit. Hic (*) itaque eo degente, Beneventani et Salernitani, aemulatores tantae honitatis praedicti imperatoris, insurrexerunt cum consilio Sergii ducis contra eum. Quo capto unaque cum coniuge sua recluso, plurimi Franci, amisso pastore, luctifero ululatu reversi sunt in regionem suam.

Postmodum vero Beneventani, Salerno iam a superventu Saracenorum obsessa, dimiserunt ipsum imperatorem, sub sacramento destrictum, quod nullatenus pro tanta inhumanitate, quam ei ingesserant, redderet eis meritum. Cui Athanasius episcopus obviam ire satagens, ilico Surrento egressus, Romam properavit, ibique detentus est paulisper ab Atriano papa. Ac deinde egressus Rabennam occurrit praedicto imperatori, sicque cum eo revertens in eandem urbem, multis precibus ab eo extorsit, ut suae immemor iniuriae suffragaret Salernitanis, Hismahelitum obsidione ballatis, predicans illi iudicium Domini, in quo unusquisque secundum adinventionem manuum suarum sit recepturus. Unde pius commotus augustus armatam direxit multitudinem, ut, Domino protectore, bellum inirent adversus illos. Qui celeriter venientes, atque plurima cede Saracenos prostrantes,

(*) VITA S. ATHANASII *a n. 18 usque ad finem:* Videns vir Dei comprensionem augusti, ivit Sirrentum, et degebat cum germano suo. Quadam die cum sederet homo Dei, et sermocinaret cum germano suo Stephano episcopo, subito cepit flere amarissime. Cumque diu subsisteret eiusque lacrimas non videret finiri germanus eius, quenam causa insisteret tanti luctus inquisivit. Cui ilico respondit vir Dei: *Ecce misera Neapolis sub anathematis vinculo iacet obligata ab universali et summo Pontifice et mea parvitate. Si utrisque nobis quod humanum est, finis mortis evenerit, quid erit de ea?* quod et factum est sicud predixit: nam eodem anno ambo obierunt. *Vadam,* inquid, *Romam et rogabo summum Pontificem, et solvet eam ab excommunicatione: forsitan cessabunt qui me persequuntur: de me autem sicut voluerit, Deus providebit.* Et ascendens navem, Domino educante, perrexit Cagetam, deinde equitando Romam, et susceptus est ab Adriano summo pontifice, et universo clero et optimatibus eius cum gaudio. Statim, sicud dixit, rogavit papam, et misit Dominicum episcopum, et solvit Neapolim a vinculo excommunicationis. Ille vero degebat Romae per aliquot dies.

Post hec ivit ad imperatorem Sabinis, ut periclitantibus et afflictis in partibus Benebentane provincie et Neapoleos subveniret. Cui iunctus est Landulfus episcopus Capuanus, legatus Salerni, et apocrisarii apostolice sedis. Ubi auditum est a Cesare de eo, misit obviam ei optimates suos et libentissime eum suscepit, osculans eum. Cui ille una cum Landulfo episcopo dixit: *Afflictionem populi, et devastationem terrae, quam tu liberasti per Deum innotescimus vestre potestati. Veni domine et liberator patrie nostre; ignosce peccantibus in te, sicud Dominus pro persecutoribus suis, nam divino adiutorio fretus fortissimo, victor eris et gloriosus in universo mundo.* Inclinatus est rex verbis et precibus eius, et una cum eo venit Romam, et ingressus basilicas Apostolorum, obtulit dona Deo et Apostolis eius. Susceptus ab Adriano summo Pontifice, et confirmatus est ab eo in hoc opus agendum: cui et Athanasium sanctum dedit, ut secum duceret et quocumque modo sue sedi restitueret. Et arripuerunt iter, Domino comitante, et venientes in loco, qui dicitur Verulas, detinuit se cesar fatigatus ex itinere. Famulus Domini Athanasius, cum esset in comitatu augustali, tertio Kal. Iulias celebravit diem Apostolorum: peracta missa, cepit febribus anhelare et pertractus in eadem infirmitate, Deo dignus et carus Athanasius ab hac carnea subtractus est fece, et suo creatori novissimum reddidit spiritum in oratorio sancti Quirici, quod bis senis milibus a monasterio sancti Benedicti distat, idus Iulii, indictione quinta, regnante Basilio imperatore. Qui vero prefatus venerabilis vir ante episcopatum vixit annos decem et octo: et in episcopatu sedit annos viginti duo, et in angustia huius seculi fuit menses viginti unum. Inde portatus est usque ad montem Casinum, flentibus hominibus, sed exultantibus angelis, quod (*sic*) suscipiens omnis sancta congregatio illius monasterii, digne ac decentissime sanctissimum corpus condiderunt in ecclesia beati principis Apostolorum, que a Rachiso rege constructa est, et iungitur basilice sancti Benedicti; ubi multa exuberant mirabilia per eum ad laudem Domini nostri Iesu Christi usque in praesentem diem.

triumpho de caelo donato, victoriosissimi repedarunt [Cesarius (a) vero, germanus ipsius predicti presulis (1) in ipsa custodia vitam finivit] Athanasius autem iterans cum eis, vi febrium laborare coepit. Quintodecimo die expleto, omnibus flentibus, migravit ad Dominum. Cuius corpusculum ad monasterium sancti Benedicti, situm in monte Casino deportantes, in ecclesia sancti Petri, ibidem constituta, sepelierunt, indictione [quinta (b)] anno imperatorum . . . . . Fuit autem temporibus Leonis, et Benedicti, et Nicolai, et Adriani apostolicorum.

Huc (c) usque Iohannes Diaconus. Quae sequuntur Petrus edidit Neapolitanae sedis subdiaconus.

XLVI. Athenasius (3) iunior episcopus, nepos videlicet praefati Athanasii praesulis, filius Gregorii consulis ac ducis, sedit annos XXII. menses [v. dies II (d)].

(a) *Haec alia manu, sed coaeva. ut Waitz adnotat, vel alio atramento, ut Stornaiuolo putat, in margine inferiori cod., parva cruce indice in textu post v.* corpusculum *apposita, addita fuerunt.* (b) *Alia coaeva manu addita.* WAITZ.
(c) *Hinc alia manus, sed etiam coaeva, reliquum prosequitur.* (d) *Post additum in cod.* WAITZ.

Unum namque de multis miraculis, quod per eum Dominus ibidem operatus est, huic sermoni coniungam ad edificationem legentium et audientium. In eodem namque monasterio homo quidam erat lumine privatus a preteritis annis, qui assidue in ecclesia, ubi viri Dei corpus iacebat, orare consueverat, qui offendens, sicut mos est talibus, super sepulcrum eius advenit. Cuius labente pede cecidit, statim tenebras oculorum repulit, et lumen recepit. Qui mox salutis gaudia suscipiens, luminis decorem omnibus ostendebat, glorificans Deum, qui talia per servum suum Athanasium operatus est. Tunc omnes gaudio repleti, qui ibidem erant videntes hoc miraculum exultantes dicebant. *Benedictus es Christe redemptor*, *qui tale lumen nostris regionibus*, *novissimis diebus, hoc est sancti Athenasi pignus nobis donasti.* Et hoc dicebant admirantes. *Si non postulatus talia donat*, *quam largus erit his*, *qui Dei beneficia devotissime per eum postulant?* Huius sanctissimi viri facta ego tantillus minutatim explicare si voluero, facilius, ut reor, tempus absumitur, quam fandi sermo terminetur. Tamen si quis medullitus nosse desiderat qualiter sanctissimum eius corpus a iam dicto monasterio beatissimi Benedicti Neapolim transvectum est post quinquennium, sanum et integrum una cum linteaminibus odorifero flagrans odore suavitatis, et per successorem atque nepotem homonimum et synonimum eius collocatum est in porticu ecclesie sancti Ianuarii Christi martyris (2), iuxta decessorem et nutritorem eius, occurrente sanctis eius obsequiis cuncto populo Neapolitano, et miracula, quae tunc facta sunt, et fiunt usque hactenus, apud eius ecclesiam scriptum inveniet: glorificans Deum qui glorificat Sanctos suos et per eos ipse glorificatur, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat in eterna saecula saeculorum Amen.

(1) IGN. CASIN. sive *Chron. Casin. S. Bened.* de huius tantum captivitate verba facit. ERCHEMPERTUS c. 27 contra eum *cum universis libertati* a Landone Capuae comite restitutum fuisse asserit. Cf. supra p. 90, not. (3). At huic nostro, qui domestica facta melius nosse poterat, magis fides habenda. Quae vero causa fuerit, cur Chronici sive auctor sive librarius adnotationem hanc, ubi minime locus opportunum se praebebat, heic apposuerit, ignotum sane est. Fortasse Caesarii ipsius mors, tunc temporis, cum codex noster recensebatur, Neapoli vulgata, eidem adnotationi occasionem dedit; sed nihil certi affirmari potest.

(2) V. infra *Acta Translationis.* Dein intra urbem transvectum fuit et in maiori ecclesia in sacello sancti Salvatoris, ubi adhuc quiescit, repositum. V. CHIOCCARELLI, *O. c.* p. 90.

(3) Defuncto Athanasio I. die 15 m. iulii a. 872 Neapolitana ecclesia aliquando praesule caruit. Tandem Athanasius II. a. 875 m. septembri, si recte ex annis, quos ipse in episcopatu et in ducatu transegit, rationem ineo, a duce, optimatibus et populo, uti mos erat, electus, a Iohanne VIII. PP. episcopus, prout supra dicitur, consecratus fuit. Scio equidem Di Meo ad m. febr. sequentis anni id amandasse, et ea praecipue de causa, quod Erchempertus c. 39 (nam Pseudo-Ubaldum non moror) Iohannem VIII. PP. post Natale anni 875, in quo Carolus Calvus Romae imperii coronam susceperat, Capuam advenisse testatur. At aliunde

Hic utique vir altioris ingenii hac mirabilis prudentiae fuit. Consecratus est autem in ecclesia beati Nazarii martyris, sita in loco, qui dicitur Çanzia, territorio Capuano (1), a Iohanne octabo papa, qui eo tempore illuc advenerat, ut Sergius consul et dux, germanus praedicti praesulis, foedus dirrumperet cum Agarenis, qui tunc Neapoli habitabant, et Romanam provinciam penitus dissipabant. Huius namque temporibus tanta locustarum densitas in Campaniae partibus, et maxime in hoc Parthenopensi territorio, exorta est, ut non solum segetes, sed etiam arborum folia, et hortorum holera viderentur esse consumpta. Qua peste omnes accolae, nimio terrore perculsi, utpote famis penuria se interire credentes, praedictum praesulem Athenasium adierunt, ut spirituale consilium eis praeberet, et Dominum exinde supplicaret. Quorum precibus ocius et humiliter parens, consilium salutiferum cum eis init, ut ieiuniis atque elemosinis Dominum exorantes, in honorem beati Iuliani martyris uno die basilicam construerent, et missarum sollemnia pro tali peste illic communiter celebrarent, sicut de tali clade audierat in . . . .

mihi compertum quoque est scriptorem illum res gestas, ut plurimum, absque ullo chronologicae rationis, strictim acceptae, ordine narrare solitum esse. Contra, etsi Erchemperti in hoc tempore praefiniendo testimonium admittendum erit, tamen nil vetat credere etiam alia vice pontificem superiori anno Capuam venire potuisse. Qua propter ego a sententia, quam supra proposui, non discedo, et initium episcopatus Athanasii II, in m. septembri vel octobri a. 875 colloco. Duobus inde post annis idem Athanasius ducatum etiam Neapolitanorum arripuit, et summum ibi in omnibus imperium diu habuit. Cum autem supra de his, quae ipse in rebus ad civilem potestatem pertinentibus gessit, egerim, nunc opus est, ut ea, quae ad ecclesiasticam historiam spectant, heic perstringam.

Et primum recordanda mihi obvenit translatio corporis S. Athanasii I. e monasterio Casinensi Neapolim, quam ipse a. 877 sollemniter exsequendam curavit. *Acta* eiusdem, quae adhuc extant, lector infra habebit. Item ex *Libello miraculorum S. Agnelli Abbatis*, de quibus supra innui, elicio Athanasium hunc gravi lateris dolore, quo afficiebatur, eiusdem b. Agnelli intercessione liberatum in beneficii memoriam sancti Confessoris altare oloserico aureo pallio ornavisse. — Insuper quaedam *Acta* sanctorum e graeco in latinum sermonem vertere a Iohanne Diacono fecit, scil. *Acta S. Eustratii et sociorum mart.* atque *Acta S. Febroniae virg. et mart. ac S. Petri Alexandrini ep.* — Idem ipse, qui optime graecas latinasque litteras callebat, *Historiam passionis Ss. martyrum Aretae et soc. ab Eolicis*, ut verbis eius utar, *exemplaribus* transtulit in latinum. Denique monasterio Casinensi, ut LEO OST. I, 45 testatur, abbate Angelario, declaravit nullam potestatem habere in Casa Gentiana, quae in agro Neapolitano posita erat, et eidem coenobio subiecta.

Athanasius obiit m. martio vel aprili a. 898. Eo autem mortuo, ut ex Auxilio (*Libel. in defens. Stephani* c. 3) discimus *pene tota Neapolis tamquam leo rugiens familias et colonos episcopii sui diripere* volebat, sed Stephani III, qui ei successit, suasione id facere destitit. Harum irarum causam Auxilius, utpote omnibus notam, dicere noluit.

(1) De terra Canciae et de ecclesia S. Nazarii ibi posita, quae memorantur etiam a LEONE OST. *Chron. Casin.* I 33, et a *Chron. Vulturn.* ap. R. I. S. t. I, 2, 459, videndi sunt MONACO, *Sanct. Cap.* p. 608, PELLEGRINO, in *Mon. de praec. Pandulphi princ.* ap. PRATILLI, III, 235, et GIUSTINIANI, *Diz. geogr. del r. di Nap.* in v. ARNONE.

APPENDICULA

CATALOGUS EPISCOPORUM NEAPOLITANORUM BLANCHINIANUS

Franciscus BLANCHINIUS *anno 1723 ex Florentino bibliothecae S. Marci cod.* (nunc Laurentiano), *sign. n. 604, et scriptura Beneventana saeculo X, ut videtur, exarato, in quo* Liber Pontificalis *continetur, Catalogum hunc eruit, et primus in* Prolegomenis *t. II. Anastasii Bibliothecarii seu eiusdem* Lib. Pontif. *p. LXI in lucem edidit. Post Blanchinium* MAZOCHIUS *eundem denuo vulgavit, et commentario instruxit in libro:* De Ss. Neap. epp. p. 19. *Ex ipso* PELLICCIA, O. c. *III. p. 95, et deinceps absque commentario* MIGNE, Patrol. Lat. *CXXVII. p. 131, et* D'ALOE, O. c. *I, 2 p. 73.*
Iam ZACHARIA *in* Histor. Litter. Ital. *t. VII, p. 530 errores in textu eiusdem a Blanchinio invectos animadvertit, et adnotavit. Nuper vero* WAITZ *inter* Script. Long. et Ital. *p. 436 illum ad fidem codicis a Guill. Meyero Monacensi accurate collati typis iterum protulit et mendis purgavit. Hanc editionem igitur ego heic repeto.*

Catalogi aetas, praeter codicis scripturam, quam ad saeculum X. pertinere forma litterarum admonet, ex eo potissimum evincitur, quod Stephani III, in quo ipse desinit, episcopatus annos et menses adnotet, dies vero vacuos relinquat. Proinde iure coniici potest illum vel eo mense, quo Stephanus obiit, scriptum fuisse, vel saltem (si dierum certa notitia scriptori obvia forsitan non fuit) paulo post Stephani obitum, et priusquam Athanasius III. in sede Neapolitana succederet; quod, ut infra videbitur, in anno 906 accidisse compertum est. De eius vero praestantia et auctoritate varie a doctissimis viris Holstenio et Mazochio iudicatum est. Alter enim eum Chronici epp. Neapp. epitomen esse putavit; alter ex quibusdam discrepantiis, quas inter utrumque monumentum deprehendere sibi visus est, in hanc opinionem venit, ut crederet tam Iohanni Diacono, quam auctori Blanchiniani laterculi alium antiquiorem Pontificalem Librum fuisse ad manus, ex quo quisque, et quidem non raro eisdem verbis, quod e re sua esset, hauserit. At cum discrepantiae ipsae ex falsa textus Blanchiniani lectione fere omnes processerint, et contra utrorumque monumentorum convenientia satis pateat, rectius Catalogum ex ipso Chronico fluxisse dicendum est. Catalogi enim auctor, uti accurate Waitz observat, ita Gesta sequitur, ut etiam posterioris manus lectionem reddat; plerumque illorum verba in brevius contrahit, pauca tantum mutat; eos praesertim locos, qui indicant quorum quisque episcopus sederit pontificum Romanorum et imperatorum tempore, horum, ut videtur, Catalogo adiutus. Praeterea priorum 11 episcoporum annos et aetatem refert, sive in Gestorum codice quaedam nunc erasa legit, sive haec aliunde, fortasse ex ipsius ingenio, hauserit. Uno saltem loco codicis lacunam explet.

Ceterum unum aut alterum locum, in quo Catalogus a Chronico aliquando diversum abit, in notis adnoto. Variantes alias lectiones, quas Mazochius animadvertit, utpote ex falsa textus transcriptione derivatas, omnino praetereo.

Hec sunt nomina antistitum Neapolim et quorum tempora fuerunt.

I. Aspren episcopus sedit ann. 23. Fuit temporibus Clementi, Anecliti, Euachristi, Alexandri pape, et Traiani et Adriani imperatoribus.

II. Epithimitus episcopus sedit ann. 17. Fuit temporibus Xisti, Telesphori pape et Adriani imperatori.

III. Maron episcopus sedit ann. 28. Fuit temporibus Igini et Pii pape, et Antonini Pii imp. et filiorum eius.

IIII. Probus episcopus sedit ann. 24. Fuit temporibus Anecyti, Soteri, Euletherii pap. et Antonini Veri, et Lucii Commodi et Helii Pertinax seu Severi imp.

V. Paulus episcopus sedit 35. Fuit temporibus Victori, Zepherini, Calisti pape et Antonini Caracalla et Macrini inp.

VI. Agrippinus episcopus sedit ann. 12. Fuit temporibus Urbani, Pontiani pap. et Aurelii et Alexandri imp.

VII. Eustathius episcopus sedit ann. 17. Fuit temporibus Antheri, Fabiani pap. et Maximini et Gordiani et Philippi imp.

VIII. Ephebus episcopus sedit ann. 8. Fuit tempore (a) Cornelii, Lucii, Stephani pape, et Decii et Galli et Volusiani et Emiliani et Valeriani et Galieni imp.

VIIII. Fortunatus episcopus sedit ann. 21. Fuit tempore Xisti, Dionisii, Felix, Euthicii pap. et Claudii et Aureliani et Taciti et Probi imp.

X. Maximus episcopus sed. ann. 22. Fuit tempore Gagi, Marcellini, Marcelli pap. et Cari, et Carini et Numeriani et Dioclitiani et Maximiani imp.

XI. Zosimus episcopus sed. ann. 14. Sub quo sancta Restituta a Constantino imp. facta X^{a} (b). Fuit tempore Eusebii, Miltiadis, Silvestri pap. et Constantino imp.

XII. Severus episcopus sedit (c) ann. 47. mens. 2. d. 11. Hic fecit basilicas 4, una foris urbe iuxta Sanctum Fortunatum nomini sui, alia intus civitate, quem alii Severiana, alii sanctum Georgium vocant, et fecit Sancti Martini, et sancti Potiti monasteria, tempore Silvestri, Marci, Iulii, Liberii, Felici pap. et Constantini et Constanti et Constantini et Constantii, filii eius, et Iuliani et Iobiniani seu Balentiniani imp.

XIII. Ursus episcopus sedit ann. 4. Fuit tempore Damasi pap. et Valenti, et Gratiani imp.

XIIII. Iohannes episcopus sedit ann. 27. Fuit tempore Damasii, Siricii, Anastasii pap. et Theodosii, et Arcadio et Honorii imp., eius filii.

XV. Nostrianus episcopus sedit ann. 17. Hic fecit balneum Nostriani. Fuit tempore Innocentii, Zosimi, Boniphatii pap. et Theodosii imp.

XVI. Timasius episcopus sedit ann. 31. Fuit temporibus Celestini, Xisti, Leoni pap. et Theodosii imp.

XVII. Felix episcopus sedit ann. 9, mens. 3, d. 6. Fuit tempore Leoni pap. Marciani et Balentiniani imp.

XVIII. Soter episcopus sedit ann. 21. Hic ecclesia beatorum Apostolorum construxit. Fecit et baptisterium fontis maioris intus episcopio. Fuit tempore Hylarii, Simplicii, Felici pap. et Leoni imp.

XVIIII. Victor episcopus sedit ann. 11, mens. 10. Hic fecit basilicas duas foris civitatem, unam ante ecclesia sancti Ianuarii martiris et sancti Agrippini confessoris ad nomen sancti Stephani, alia ad nomen sancte Eufimie martiris. Fuit tempore Gelasii pap. et Zenoni imp.

XX. Stephanus episcopus sedit ann. 15, mens. 2. Hic fecit basilica ad nomen Salvatoris copulata cum episcopio, quae usitata nominis Stephania vocatur. Fuit tempore Anastasii, Simmachi pap. et Anastasii imp.

XXI. Pomponius episcopus sed. annos 28, d. 10. Hic fecit basilica ad nomen sancte Dei geni-

(a) *In cod.* temp. *deinde plerumque, quod etiam temporibus legi potest.* WAITZ. (b) *Ita in cod.* WAITZ.

(c) *Eadem manu super lineam scriptum.* WAITZ.

tricis semper virginis Marie, que dicitur maioris. Fuit tempore Ormisde, Iohanni, Felici, Bonifatii pap. et Anastasii et Iustini imp.

XXII. Iohannes episcopus Mediocris sedit ann. 20, d. 11. Hic absida aecclesia Stephaniae lapsa ex incendio reformavit. Fecit basilica sancti Laurentii martiris. Fuit tempore Iohanni, Agapiti, Silverii, Vigilii pap. et Iustini imp.

XXIII. Vincentius episcopus sedit. ann. 23. Hic fecit prefulgida ecclesia ad nomen beatissimi precursoris Iohannis baptiste. Fecit et baptisterium fontis minoris intus episcopio. Fuit tempore Pelagii, Iohanni pap. et Iustiniani et Iustini imp.

XXIIII. Redux episcopus sedit. ann. 3, d. 24. Fuit tempore Benedicti pap. et Tiberii Constantini imp.

XXV. Demetrius episcopus sedit ann. 4 (1). Fuit tempore Pelagii pap, et Mauricii imp.

XXVI. Fortunatus episcopus sedit ann. 7. d. 11. Fuit tempore Gregorii pap. et Mauricii imp.

XXVII. Paschasius episcopus sedit ann. 14, d. 6. Fuit tempore Sabini, Bonifacii, alius Bonifacii pape et Foce imp.

XXVIII. Iohannes episcopus sedit ann. 20, mens. 6 (2), d. 14. Hic fecit consumatorium albatorum inter fontes maiore et ecclesiae Stephaniae. Fuit tempore Deusdit, Bonifati, Honorii pap. et Eraclii imp.

XXVIIII. Cesarius episcopus sedit ann. 4, d. 4. Fuit tempore Honorii, Seberini pap., et Eraclii imp.

XXX. Gratiosus episcopus sedit ann. 7. Fuit tempore Iohanni, Theodori pap., et Eraclii et filii eius imp.

XXXI. Eusebius episcopus sedit ann. 6. Fuit tempore Martini pap., et Constantini imp.

XXXII. Leontius episcopus sedit ann. 4. Fuit tempore Eugenii pap., et Constantini imp.

XXXIII. Adeodatus episcopus sedit. ann. 18. Fuit tempore Vitaliani pap., Constanti imp.

XXXIIII. Agnellus episcopus sedit ann. 21, d. 15. Hic fecit basilica ad nomen sancti Ianuari martiris, que dicitur diaconia. Fuit tempore Adeodati, Domni, Agathoni, Leoni, Benedicti, Iohanni Cononi, Sergii pap., et Constantini, Iustiniani imp.

XXXV. Iulianus episcopus sed. ann. 7, mens. 3. Fuit tempore Sergii pap., et Leontii et Tiberii imp.

XXXVI. Laurentius episcopus sedit ann. 15, mens. 8, d. 26. Fuit tempore (a) Iohanni, alii Iohanni, Constantini pap., et Iustiniani et Philippici et Anastasii et Theodosii imp.

XXXVII. Sergius episcopus sedit ann. 28, mens. 4, d. 4. Fuit tempore Gregorii, alii Gregorii, Zacharie pap., et Leoni et Constantini imp.

XXXVIII. Cosmas episcopus sedit ann. 2, mens. 2, d. 6. Fuit tempore Zacharie pap., et Constantini imp.

XXXVIIII. Calbus episcopus sedit ann. 12, mens. 4, d. 3. Hic fecit ecclesia sancti Sossi non procul ab urbe. Fuit tempore Stephani pap., et Constantini imp.

XL. Paulus episcopus sedit ann. 4, mens. 2, d. 6. Hic construxit marmoreum baptisterium in monasterio sancti Ianuarii foris urbe. Fuit tempore Pauli pap., et Constantini imp.

XLI. Stephanus episcopus sedit ann. 33, mens. 5, d. 27. Hic fecit aecclesia sancti Petri intus episcopio. Fecit et tria monasteria ad (b) nomen sancti Festi et sancti Pantaleoni mart. et sancti Gaudiosi confessoris. Addidit etiam in sancti Gaudiosi monasterio basilica sanctae Fortunatae, in qua corpus eiusdem martiris ibi ipse recondidit. Renovavit aecclesia Stephaniae igne cremata et

(a) *Ita his locis.* WAITZ. (b) Ad *corr. manu prima,* ex ? *cod.* WAITZ.

(1) In Chronico *annos III.* sedisse scribitur. (2) Ibidem *menses VII.* legitur.

ibi corpora sancti Euticeti, et Acutii martirum collocavit. Fuit tempore Stephani, Adriani pap. et Constantini et Leoni et Constantini imp.

XLII. Paulus episcopus sedit ann. 20, mens. 4, d. 6. Sub hoc fecit quedam Eupraxia monasterium sancte Marie, que dicitur Ad Albini, et Anthimus consul fecit basilica sancti Pauli apostoli et monasterium sancti Cyrici et Iulitte mart. Fuit tempore Leoni, Stephani, Paschali pap., et Ereni et Nicifori et Stauraci et Micheli et Leoni et Constantini imp.

XLIII. Tiberius episcopus sedit ann. 20, mens. 4, d. 11. In is diebus Theodenanda relicta predicti Anthimi duci, in pretorium (a) fecit monasterium ad nomen sancti Marcellini et Petri martirum. Fuit tempore Eugenii, Balentini, Gregorii pap., et Michaheli, et Theofili imp., filio eiusi

XLIIII. Iohannes episcopus sedit ann. 7, mens. 9, d. 22. Fuit tempore Sergi pap. et Michaheli imp.

XLV. Atthanasius episcopus sedit ann. 22, mens. 6, d. 24. (b) Hic ecclesia sancti Ianuarii martiris intus episcopio renovavit. Fuit tempore Leoni et Benedicti, Nycolai, Adriani pap. et Michaheli et Basilii imp.

XLVI. Athanasius episcopus sedit ann. 22, mens. 6, d. 2. Hic fecit basilica sancti Iuliani foris urbe sita. Fuit tempore Iohanni, Marini, Adriani, Stephani, Formosi pap., et Basilii et Leon et Alexandri, eius filiis imp.

XLVII. Stephanus episcopus sedit ann. 8, mens. 10, d...

(a) *Corr. ex* praetorio. WAITZ.

(b) *Fortasse XXVIII legendum est.* WAITZ.

ADDITAMENTUM AD CHRONICON

SIVE

SERIES CONTINUATA EPISCOPORUM ET ARCHIEPISCOPORUM NEAPOLITANORUM

AB A. 898 AD A. 1139.

XLVII. STEPHANUS (III) episcopus.

Fuit temporibus Iohannis IX, PP. (898-900), Benedicti IV (900-903), et Sergii III (903-911) atque Leonis et Alexandri impp.

CHIOCCARELLIUS, *O. c.* p. 106, episcopum hunc Gregorii Neapolitanorum ducis filium, et Athanasii II, sive iunioris, episcopi et ducis, germanum fratrem putavit. At ex *Actis translationis S. Sosii* (1), iam olim editis, et ex opusculis *Auxilii, et. Vulgarii* a clarissimo viro Duemmler nuper vulgatis (2), ubi plura de ipso Stephano usque adhuc incognita nunc habentur, certe discimus eum Sergii I. Neapolitanorum ducis filium, et proinde senioris Athanasii fratrem fuisse (3). Stephanus, ut pater et fratres, graecas latinasque litteras optime callebat. A. 871 iam ecclesiae Surrentinae gubernationem, pridem susceptam, gerebat, cum Athanasium extorrem ibi excepit (V. supra p. 219). Postea circa a. 876 *ab impiis concivibus* (Surrentinis), ut Auxilius inquit, Petro praefecto Surrenti (4) et eius fratre Paschale, facti ducibus, *apprehensus est et flagellatus ac Salernum in exilium asportatus.* Eo autem illuc degente Iohannes VIII. PP., qui id forte tunc cognoverat, Guaiferio, principi Salernitano, die 18 m. decembris a. 876 mandat sic: *episcopum Surrentinum sive per terram sive per mare profectum, quia iam minus recepimus, haud moleste tulimus; et nisi ocius mittatur molestias non immerito substinebimus, at vero si ad nos indifferenter fuerit destinatus, tunc magna et solita devotionis tuae recognoscemus indicia, et purae profecto circa Pontificium nostrum dilectionis tuae sole clarius patebunt insignia* (5).

Ex his litteris nihil pontifex profecit; Stephanus enim ibi adhuc *per aliquot annorum spatia*

(1) V. infra in *Actis Translat.* ubi n. 25 Stephanus ipse *Athanasium episcopum sanctae memoriae*, quem deinceps n. 29 *maiorem* appellat, *germanum* suum aperte asserit.

(2) AUXILIUS und VULGARIUS — *Quellen und Forschungen zur Geschichte des Papstthums im anfange des zehnten Iahrhunderts von* ERNST DUEMMLER. Lipsiæ 1866 in 8.° — Anecdota, quae doctus vir e cod. Bambergensi edidit, ad Formosianam illam *calamitatem*, ut ipsius Auxilii vocabulo utar, respiciunt, quae saeculo IX. exeunte ac X. ineunte totam pene Ecclesiam perturbavit et afflixit. Alia etiam de eodem argumento opuscula, prius typis vulgata, recensentur ab eodem Duemmler, quem vide sis p. 28 et ss. Cum autem Formoso PP. id praecipue a factionis adversae sequacibus obiiciebatur, quod scil, contra Canonum scita ex una i. e. Portuensi in aliam sedem i. e. Romanam transmigrare ausus fuerit, et idem de Stephano III. qui a Surrentina ad Neapolitanam cathedram transierat, dici posset, Auxilius, qui Formosianus, et Stephani amicus erat, defensionem eiusdem suscepit, et eius inculpabilem vitam, quae aliunde nesciebatur, narrat.

(3) Ita recte PARASCANDOLO, *O. c.* t. II, p. 163. Ego ab P. di Meo deceptus, qui verba Athanasiani biographi (*eodem anno ambo obierunt*) ad Athanasium et Stephanum rettulit, cum rectius Hadriano IV. summo pontifici et Athanasio, qui Neapolim anathemizaverant, referenda forent, in alio meo opere *Mem. stor. della Chiesa Sorrentina* p. 52 olim aliter sensi, et Chioccarellio adaesi. Quod ex supra dictis falsum omnino esse facile patet.

(4) De *praefectis* sive *praefecturiis* Surrenti, quos noveram, olim in cit. *Mem. stor. della Chiesa Sorr.* p. 41, et in alio opere cui titulus: *Il Tasso e la sua famiglia a Sorrento* p. 211 in notis egi. Ex his vero, quae Auxilius heic primus nobis tradit, facile argui potest tunc temporis, et fortasse etiam deinceps, adusque initium saec. XI., quando *praefecti* hi titulum *ipati* vel *ducis* assumpserunt, Surrentinam regionem Neapolitano ducatui quadammodo subiectam fuisse.

(5) *Coll. Concil.* ed. MANSI, t. XVII. col. 247.

in custodia retentus est, quousque Landolphus, Suessulanus gastaldeus, qui eiusdem sororius erat, a Waiferio vix obtinere potuit, ut eum alendi gratia Suessulam deferret. Ibi etiam *non paucis temporibus peregrinatus est.* Cum vero Saraceni a. 880-881 castrum illud coepissent ac depopulatione et ignibus vastassent (ERCHEMP. n. 48), Stephanus Neapolim fugit, sed hoc audientes inimici eius ita apud Athanasium episcopum et ducem egerunt, ut is patruum suum ex urbe natali expelleret, et ad Capuanam urbem in exsilium destinaret.

Eodem tempore Iohannes VIII. PP., ut Saracenorum incursionibus obviam iret, Capuam veniens (1), Pandenolpho comiti imposuit, ut Stephanum ad se mitteret, et Stephano persuasit, ut Romam secum proficisceretur. At eiusdem Petri praefecti et magnatum Surrenti opera, ipso Athanasio interveniente, pontificis consilium in cassum cecidit, et contra fuit decretum, quod Stephanus in urbe Neapolitana residere deberet et *formatam* (2) episcopio suo dirigeret, ut ex ipso vitae necessaria sibi darentur. Stephanus ita Neapolim revocatus nedum ea, quae *Apostolicus pontifex misericorditer praeceperat, adipisci potuit, sed etiam episcopatum, de quo expulsus fuerat, se nunquam quaesiturum et in eum numquam reversurum per apices propria manu firmatos et sacramento roboratos spondere coactus est.*

Interea ex ipsius Athanasii praesulis invitatione pontificale officium, prout opus erat, Neapolitanis ministrabat; donec, eodem praesule circa m. aprilis a. 898 mortuo, suasione cleri et magnatum ad tuitionem rerum et hominum Neapolitanae ecclesiae se in episcopum eligere acquievit. Id vero ex epocha, in qua Athanasius, ut supra dixi, obiit, et ex annis, quos ipse Stephanus in episcopatu Neapolitano peregit, mense aprili vel maio anni 898 accidisse dicendum est. Quamquam enim huic meae opinioni Auxilii testimonium obstare videatur, ex quo ipsum Stephanum *auctoritate Benedicti IV. PP. et S. R. E. consensu per duos episcopos Romanum scilicet atque Cosmatem* (3) *parthenopensi cathedrae inthronizatum* fuisse affirmari possit (idest duos ferme post annos, nam Benedictus m. maio anni 900 pontifex renuntiatus fuit); tamen ab ea, quam statui opinione recedendum non esse arbitror; quoniam si initium pontificatus Stephani a mense maii vel iunii a. 900 supputari voluerimus, illum, qui ex auctoritate *Catal. Blanchin.* a. 8 et m. 10 ad minus sedit, ultra mensem decembrem a. 707, quo iam successor Athanasius III. ex certo documento pontifex erat, producere debebimus, quod certe absurdum est. Ut utrasque igitur inter se repugnantes sententias conciliem ego nullam aliam rationem invenio, nisi quod cogitem auctorem *Catal. Blanchin.* episcopatum ipsius Stephani, quippe qui episcopus iam erat, ab electione, non ab inthronizatione, quae auctoritate pontificia legitime initio anni 900 confirmari potuit, supputationem suam confecisse.

Utcumque sit, de Stephani episcopatu Neapolitano haec tantum scimus. Ipse a. 902 corpus S. Severini conf. ex castro Lucullano, quod ob Saracenorum incursiones evertendum fore, eius incolis alio transmigratis, Gregorius dux et populus Neapolitanus decreverant, in urbem transtulit, et in ecclesia eidem divo Severino dicata collocavit. Idem postea ex oppido Miseni, iam a Saracenis diruto, corpus etiam S. Sosii diaconi, qui b. Ianuarii in passione socius fuit, inter Misenatis ecclesiae cathedralis rudera inventum et Neapolim translatum in eadem ecclesia condidit. Acta utrarumque translationum, quae plura de horum temporum historia continent, infra iterum dabo (4).

(1) PP. Iohannes tunc, ut Erchempertus n. 47 asserit, bis Capuam venit, unde semel etiam Neapolim; quod ante m. aprilis a. 881 accidere debuit.

(2) Ita medio aevo appellatae fuerunt epistolae, quae a praesulibus quibuscumque clero et populo suae vel alienae dioecesis mittebantur, Cf. DU CANGE, *Lex.* in v.

(3) Isti episcopi memorantur etiam in doc. a. 901 ap. FIORENTINI, *Mem. della contessa Matilde* doc. 26; sed. incertum est cui ecclesiae tunc praeessent. Fortasse Romanus ille est, quem in *Faventinis* adnotat UGHELLI. *O. c.*II, 492 ad a, 898, et *Coleti* ex quadam inscriptione a. 901 obiisse putat. At de Cosmate nihil omnino invenio.

(4) A. 1807 utrorumque Sanctorum lipsana, prius a domino Michaele Archangelo Lupoli, Pelusianae ecclesiae episcopo (Cf. *Acta Inventionis Ss. Sosii mart. et Severini presbiteri.* Neap 1807, 4°) recognita ex hac ecclesia, ab iis,

Stephanus sedit a. 8, m. 10 et dies aliquot, ita ut ex mea supputatione usque ad m. aprilis vel maii a. 907 eum vixisse putaverim.

XLVIII. ATHANASIUS (III) episcopus.

Fuit temporibus iam dicti Sergii III (955-963), ac Leonis, Alexandri, Romani et Constantini et aliorum, qui eidem Constantino conlegae fuerunt, impp.

Primam huius episcopi memoriam invenimus in doc. die 17 m. decemb. a. 907 dato, quo ipse, et Gregorius dux Iohanni abbati monasterii Ss. Severini, et Sosii praeceptum, quod Athanasius II. olim domno Acculsario eiusdem monasterii abbati emiserat, confirmant. Diploma infra videre est. Ex eo et ex annis Stephani satis accurate epocham, qua ad Neapolitanam cathedram Athanasius electus fuit, eruitur, quod scil. in autumno iam dictì anni 907 recte collocari potest.

Huius episcopi etiam memoriam habemus in summariis duorum diplomatum nunc deperditorum, in quibus ipse subscripsit. Alterum die... octobris ind. IV. a. 915 celebratum, quo Barbaria abbatissa monasterii sanctorum Festi et Desiderii terras aliquot, assentiente, ut ibi dicitur, *domino Athanasio III. Dei gratia sanctae Neapolitanae ecclesiae episcopo*, quibusdam fratribus concessit, olim servabatur in archivo coenobii Ss. Marcellini et Festi; alterum die a. 921 datum, quo item Maria abbatissa monasterii S. Gregorii maioris promittit dare duas terras in Gualdo cuidam *Pulcharo vice domino sanctae Neapolitanae ecclesiae*, olim etiam servabatur in archivo ipsius monasterii S. Gregorii. Summaria infra in *Regest. Neap.* dabo.

Athanasius diu in episcopali cathedra sedit, nam, eo adhuc praesule, a. 960 Saracenorum illa in urbem Neapolim incursio fuit, de qua agit *Libellus mirac. S. Agrippini*, et cuius ego etiam supra memini. Quando proprie obierit incertum est: at ex sequentibus haud multo post dictam incursionem id accidisse videtur.

XLIX. NICETAS episcopus?

In doc. Neapoli die XV. m. novemb. a. 962 celebrato (1), cuius snmmarium (archetypum enim periit) inter scripturas monasterii S. Sebastiani adnotatum extat, mentio habetur huius Nicetae' qui Neapolitanus archiepiscopus dicitur. Ex his CHIOCCARELLIUS *O. c.* p, 115 Neapolim procul dubio nedum Campaniae, verum etiam aliarum omnium, quae in nostris regionibus continentur, civitatum primam fuisse metropolitica dignitate illustratam putat. At, cum usque ad a. 966 quidam Gregorius in Neapolitana sede episcopus, ut infra dicam, habeatur, verisimilius est scriptorem summarii, qui saeculo XV. exeunte vel XVI. ineunte floruit, ad sua tempora respexisse, et Nicetam κατὰ πρόληψιν archiepiscopum, cum revera episcopus fuerit, nuncupavisse.

L. GREGORIUS episcopus.

Fuit temporibus Iohannis VIII. PP. (965-972) ac Basilio, Niceforo, et Constantino impp.

Hic Neapolitanam ecclesiam gubernabat a. 966 die 11 m. martii, ut ex doc. a MURATORIO, *Antiq. Ital.* t. V p. 456 primum typis vulgato, et postea in R. N. A. M. t. I. p. 147 correctius iterum edito, eruitur. Ibi *sanctae sedis Neapolitanae episcopus* clare appellatur. Ceterum praeter hoc nihil aliud de eo scimus.

quorum id tunc intererat, venia impetrata, ad florentissimum Fractae maioris municipium translata fuerunt, et sollemni pompa in parochiali aede recondita. V. GIORDANO, *Mem. stor. di Frattamaggiore* p. 174 et 177.

(1) De huius documenti sinceritate dubitavit UGHELLIUS in *Neap.* et post eum MAZOCHIUS, *De cath. eccl. Neap.* p. XXVIII, et 115 in not. ac KALEFATI ap. SPARANO. *Mem. della Chiesa Nap.* I, p. 121, qui falsis rationibus nisi illud etiam suspectum habuerunt. At p. DI MEO, *Ann.* VI, 8, emunctae quidem naris vir, nihil in eo vel erroris, vel a recta chronologia absoni vidit, et archiepiscopi titulum ibi Nicetae datum (quod solum difficultatem movet) sive a Cpolitano patriarcha profectum, sive a graeco homine (nomen enim graecum hominem denotare videtur) ex grecae nationis iactantia usurpatum suspicatur. Mihi vero explicatio, quam supra attuli, magis arridet.

ARCHIEPISCOPI

I. SERGIUS archiepiscopus.

Hic est primus Neapolitanorum praesul, quem archiepiscopali dignitate in certo doc. a. 990 decoratum invenimus. An vero ipse, vel Gregorius idem supra memoratus, aut alius quisquam, cuius nomen ignoratur, antea talem honorem a summo pontifice meruerit, et quonam proprie tempore id acciderit, incertum est. Monumenta enim, ex quibus verum erui posset, desunt, et scriptores nostri in diversum abeunt (1). Sed melior, ac probabilior illorum sententia videtur, qua Neapolitanam ecclesiam metropolitico honore anno 967, vel 969 decoratam fuisse affirmatur. Haud verisimile enim est Neapolim urbem, non minus quam Capua et Beneventum celebrem, multo serius istis huiusmodi dignitatem obtinuisse. Neque praeterea clari viri Parascandolo coniectura improbanda mihi videtur, qui *Chronici Vulturn.* (2) verba, ubi Iohannem IX. PP. *Neapolis et Beneventi archiepiscopos* fecisse dicitur, ita intelligit, ut non ad Iohannem IX, qui a. 900-905 vixit (quod credere omnino absurdum foret), sed ad Iohannem XIII, qui sedit a. 965-971, ea, et quidem melius, referri debere putet.

Fortasse ad hunc Sergium I. pertinent ea, quae Marinus Freccia ex quodam *Chron.* Ms. eruisse se asserit. Ille enim tradit *Neapolitanos alias etiam proprium episcopum a sede expulerunt, et Sergium Surrentinum episcopum ibi constituerunt pontificem, ut legitur in Chronicis episcoporum Neapolitanorum tempore* . . . . (3). In serie episcoporum Surrentinorum duo hac aetate Sergii inveniuntur, unus scilicet in a. 918; alter vero in a. 980. At de primo cogitari omnino non potest, cum eo tempore Athanasius III. certe quidem in cathedra Neapolitana sederit. Neque rectius Sergius iste ad anteriora tempora, ut Chioccarellius autumat, qui eum inter Athanasium II. et Stephanum III. collocat, referri potest. Surrentina enim civitas per 30 amplius annos, postquam iam dictum Stephanum eiecit, praesule caruit (4). Sergios alios denique ad Neapolitanam sedem etiam pertinentes, non moror; quippe qui circa a. 1069, et 1177 vixerunt; cum longo iam antea tempore Neapolitana ecclesia archiepiscopali dignitate fungebatur, et de episcopo non de archiepiscopo *Chronicon* a Freccia memoratum loquatur. De altero igitur Sergio, scilicet de illo, quem diptyci Surrentini ad a. 980 signant, iam dicti *Chronici* notitia, si recte Freccia vidit, accipienda est. Cetera omnia, quoad nostram per haec tempora historiam tum civilem tum ecclesiasticam pertinent, maxima obscuritate et perpetua dubitatione sunt involuta.

Praeterea an ad hunc Sergium vel ad alium, qui ei successerit, praesulem verba concilii Romani in anno 998 habiti referenda sint, incertum quoque est. Verba autem canonis in eo exscripti, haec sunt: *Cum his et sancta synodus sancivit, ut Neapolitanus invasor, qui illius loci archiepiscopum apprehendi fecit, et se in eumdem locum per simoniacam heresim constitui fecit, nisi satisfaciat, anathematizetur.* Quis autem invasor fuerit, et quomodo haec Neapoli mutatio acciderit in tanta rerum caligine divinari non licet. At cum eodem proprie tempore dux Neapolis Ottonis III. imp. ope a Capuano principe captus et in exsilium ductus fuerit, verisimiliter eisdem motibus hanc, quae etiam in ecclesia Neapolitana tunc evenit, invasionem tribuere debemus.

Ceterum de Sergio archiepiscopo, praeter doc. a. 990 supra memoratum, mentionem etiam habemus in alio doc. a 991. Cf. *Regest. Neap.* Insuper ex doc. anni 1065, quo Iohannes archie-

(1) Cf., praeter CARACCIOLUM, CHIOCCARELLIUM et PARASCANDOLO, etiam ASSEMANI, *O c. t.* I, p. 647 et ss., FIMIANI, *De ortu et prog. metropoleon* ac DI MEO, *Annali*, t. XI, p. 290.

(2) In R. I. S. t. I, 2, p. 337, col 1.

(3) FRECCIA, *De subfeudis* p, 73 ed. 1579. Locus itidem, ut supra, abruptus desinit, an incuria auctoris vel librarii oscitantia nescio.

(4) AUXILIUS c 2. Cum ipse scripsit a. 908 — 909 adhuc sedes Surrentina praesule carebat.

piscopus annos septuaginta et unum decurrisse dicit, ex quo *bonae memoriae dominus Sergius archiepiscopus sanctae sedis N. E* quaedam in emphytheusim concesserat, eruimus illum a 994 certe in vivis fuisse. Quando vero obierit ignoramus.

II. Iohannes archiepiscopus:

De eo memoriam habemus in quibusdam doc. aa. 1007, 1009, et 1016; quorum primo ipsius subscriptio extabat; altero monasteria sancti Gregorii, et Sebastiani, atque Salvatoris domini Iesu Christi et S. Pantaleonis cum Iohannis consilio a Sergio duce in unum congregata Mariae abbatissae concessa fuerunt; et tertio ipse archiepiscopus quaestionem definivit inter Neapolitanam ecclesiam et monasterium Ss. Sergii, et Bacchi, sive Theodori, et Sebastianl de quibusdam terris positis in monte Vesuvio. Documenta ipsa sive integra, sive summata lector infra habebit. Iohannes memoratur etiam in doc. a. 1033, quo Sergius, et Iohannes duces dictum monasterium sancti Gregorii cum aliis congregatum consilio eiusdem domini Iohannis archiepiscopi Annae abbatissae confirmant. V. infra. An autem tunc in vivis fuerit incertum est; verba enim diplomatis ambigua sunt, et tempori iam praeterito etiam referri possunt (1).

III. Sergius (II) archiepiscopus.

Hic in synodo apud Beneventum infra ecclesiam b. Petri m. aug. a. 1059 Nicolao II. PP. habita, in qua cella S. Mariae *in Castanieto* Iohanni abbati monasterii S. Vincentii ad Vulturnum adiudicatur, cum aliis praesulibus interfuit, et subscripsit. Neque aliud de eo scimus. (2)

IV. Iohannes (II) archiepiscopus.

A. 1066 mense iulio is iam Neapolitanus archiepiscopus erat, ut ex diplomate, quod infra habebitur, constat. Ipse postea fuit unus ex praelatis et magnatibus Campaniae, Principatus, Apuliae et Calabriae, qui kal. octobris a. 1071, interfuerunt sollemni consecrationi Casinensis ecclesiae ab Alexandro II. PP. celebratae. Subscripsit quoque bullae, quam idem pontifex eidem monasterio indulsit. (3).

A. 1076 Iohannes adhuc in vivis erat, ut ex doc. eruitur, quo *distributor animae* a quadam testatrice eligitur (4). Neque adhuc mortalitatem exuerat a. 1081, vel 1082 cum Gregorius VII. PP. eidem mandavit, ut magistrum militum et maiores atque minores Neapolitanae urbis admoneret ne Iordano Capuano principi, qui anathematis nodis ligatus erat, auxilium prestarent (5). Epistolam. PP. infra dabo.

(1) Ex *Decretalium* L. III, tit. XXXV, C. 1, *De religiosis domibus*, ubi epistolae cuiusdam a Gregorio PP. *Victori archiepiscopo Neapolitano* missae fragmentum quoddam adnotatur, is in Neapolitanorum praesulum serie adscribitur. *Decretalium* compilator epistolam illam S. Gregorio Magno tribuit. At tunc temporis nullus Victor in Neapolitana cathedra sedit, nec Neapolis archiepiscopali dignitate adhuc decorata fuerat, et idcirco Chioccarellius Gregorio VII. (1071, 1085) seu aptius Gregorio VI. (1045, 1046) illam adscribendam esse putavit. Cum autem de ipsius collectoris *decretalium*, quoad criticam historicam attinet, doctrina dubitari liceat, nec in *Regestis* Gregorii VII. huius epistolae exemplar, vel notitia habeatur, ego eam vel falso in *Decretalibus* inscriptam, vel siglum G. in epistola forte appositum et male a collectore pro *Gregorio* intellectum, *Gelasium*, ut Parascandolo apte coniecit, interpretandum esse censeo; nam huius pontificis tempore revera Victor episcopus, male in archiepiscopum mutatus, Neapolitanam cathedram regebat.

(2) *Chron. Vulturn.* in R. I. S. t. I, 2. p. 515.

(3) Leo. Ostiensis, *Chron. monast. Casin.* L. III, c. 30 et ss. et *Narratio consecrationis et dedicationis* ex cod. Casin. 47 a p.d. Antonio Caracciolo in calce *Anonymi* item *Casin* edita. Cf. etiam bullam Alexandri II. PP. ap. Baronium, *Ann. Eccl.* ad an.

(4) R. N. A. M. t. V. p. 78 Cf. *Regest. Neap.*

(5) Chioccarellius, *O. c.* p. 122 et Parascandolo t. III, p. 27 ex titulo huius epistolae, in Gregoriani *Regesti* exemplo, olim vel male exscripto vel male intellecto, heic inter Iohannem et Petrum ad an. 1080 quemdam L..., (sive Leonem aut Leontium, sive Landulphum vel Landonem) in archiepiscoporum Neapolitanorum serie ponunt. At minus quidem recte; antiquissimus enim Vatic. cod. sub finem saec. XII. exaratus, in quo illa extat, a Iaffè secutus initialem litteram I. sive Iohannis nomen praesefert. Cf. *Regest. Pontif.* p. 440.

Praeterea Ughellius in *Neap.* post supradictum Iohannem collocat Gentilem illum, cuius memoriam faciunt *Necrologia* quaedam monasterii Casinensis, ubi *Gentilis Neap. archiepisco-*

V. PETRUS archiepiscopus.

De eo mentio habetur in doc. a. 1094, et 1100. V. infra. Ipse de sacris in Neapolitana ecclesia studiis optime meritus haberi debet. Sub eius enim praesulatu plura sanctorum acta e veteribus monumentis, sive graecis, sive latinis deprompta, et, ut temporis illius mos requirebat, renovata fuerunt. Ex his iam supra memoravi *S. Aspreni vitam* ab Alberico scriptam, quae male a Mazochio, ac aliquibus nostris scriptoribus ad saeculum XIII. pertinere putatur. Nunc vero heic mihi adnotanda occurrunt alia cuiusdam Petri opera, qui iussu sive hortationibus ipsius archiepiscopi plures sanctorum, praecipue Neapoli cultorum, vitas et passiones descripsit et eidem pastori suo dicavit. Ea sigillatim annumerare operae pretium est.—1. *Passio sanctae Iulianae virginis et martyris,* quae *cum propter incompositas dictiones in coetu fidelium legi minime poterat* Petrus iste *suo eam elogio clarificare* studuit et *egregio patri domno Petro sanctae Parthenopensis ecclesiae optimo pastori* nuncupavit (1) — 2. *Passio sancti Christophori martyris.* De ea meminit Chioccarellius, qui etiam versus aliquot in eiusdem fine appositos et huic archiepiscopo directos protulit. Ipsos in nota repeto (2). — 3. *Passio sancti Georgii martyris.* Eam Chioccarellius quoque memoravit et item aliquot ex multis versibus, quibus ipsa concludebatur, attulit. (3) Extant hi in cod· Neap. (*Bibl. Nazionale VIII., B, 8, f. 40*) olim ipsius Chioccarellii; sed *legenda* deest. — 4. *Passio sanctorum martyrum Quirici et Julictae.* Chioccarellius idem verba quaedam ex praefatione, et exordium carminis, quod illam sequebatur, in suo opere vulgavit. Illa sic se habent: *horum itaque sanctorum patrum studio motus ego Petrus vestro animatus nectare Parthenopensis ecclesiae levita Petro inquisivimus? diligenter* etc. Carmen vero sic inquit: *Suscipe Petre libens levites celsa trophea Sanctorum supplex Petrus, quae praebet amore* etc. (4) Acta in cod. Neap. desunt; carmen vero f. 40 extat, sed de eo alibi.—5. *Passio sanctorum Quatuor Coronatorum,* cuius prologum iam olim Bandinius et nostris temporibus doctissimus cardinalis Mai prodiderunt. (5) Ut aliae, haec *legenda* simillibus verbis eidem archiepiscopo inscribitur.—6. *Passio sanctae Catharinae virginis et martyris* e graeco Anastasii in latinum versa, cuius etiam prologum ex codd. vaticc. idem eminentissimus Mai edidit (6). *Hanc,* ibi dicitur, *passionem graeco famine scriptam ab praefato Anastasio a variis translatoribus postmodum constat esse vitiatam adeo, ut legi in coetu fidelium minime possit. Quam passionem ego Petrus*

pus et monachus ad d. 29 m. iunii adnotatur. Eum sequitur Parascandolo p. 38; sed mihi magis recta CHIOCCARELLII (p. 164) sententia videtur, a GATTOLA., *Hist, Casin.* II, p. 488 adprobata, quae ipsum Gentilem ad saec XIII. et etiam ulterius amandat. Cod. enim Casin. n. 47 quamvis ex maiori parte saec. XI. compositus sit, tamen posterioribus temporibus alia manu interpolatus fuit, sive aliis nominibus auctus.

(1) Aa. Ss. *Bollandi* ad diem 16 febr. II p. 878-882. Cf· MAI, *Spicil Vatic.* t. IV p. 281.

(2) Versus sic se habent.

Parthenopensis apex Praesul per cuncta beate,
Nectare salvifico redimitus munere divo
Petre Petri merttis, qui te sacravit in urbe,
Sume tui Petri famulatum, mente benigna,
Quod patravit ovans ad vestri nominis odas,
De Christophori laude magnisque triumphis,
Martyris eximii pro Christi lege patratis, etc.

Hanc Petri scripturam Bollandistae non habuerunt, sed versus ipsos ex Chioccarellio, cui minime de auctoris ætate conveniunt, iterum ediderunt. Cf. Aa. Ss *Bollandi* ad d. 25 Iulii, VI. p. 145.

(3) Carmen sic desinit; posteriores versus Chioccar. omisit.

Sume pater patriae praesul, per {*cuncta benigne*
Petre, tui Petri famulatum, queso, libenter
Quod tua sancta mihi precepit iussio fari.
Scilicet ut tenebras Georgii martyris almi
Famine pellendo luculentum dogma ministrem.
Ecce fabente Deo rutilat devotio vestra,
Passio sancta nitet monstrando martyris acta,
Illius et letam reddit per cuncta catervam.
Plaudite christicole cantando cantica Christi,
Qui bona cuncta facit per Deitatis opem.

(4) Petrus, cui *Passio* nuncupatur, locis supra relatis, *levita* seu *levites* dicitur. Ex hoc Chioccarellius coniicit opus Petro archiepiscopo inscriptum fuisse, cum is adhuc ecclesiae diaconus erat. At vox *supplex,* quam auctor de se, ad Petrum, cui librum offert, loquens adhibet, minime huic coniecturae convenire mihi videtur. Forte heic levites appellatio vel scriptori tribuenda, vel alio sensu accipienda est.

(5) BANDINI, *Catal. cod. bibl. Leopold. Laurent.* t. I, p. 575 — MAI, *Spic. Vatic.* t. IV, p. 282.

(6) MAI, *Spicil. Vatic.* t. IX.

fideliūm fratrum devotione compulsus atque amore ipsiuz sanctissimae virginis et martyris de incpto famine elevans, magis sensum quam verba sequens, incomposita resecans et necessaria addens plenissime latinis auribus addere curavi ad laudem etc.

Quis iste Petrus auctor et an idem ac Petrus subdiaconus, de quo supra egi, fuerit inter scriptores ambigitur. At, tum ratione aetatis, tum ratione muneris, quibus unusquisque floruit, alter ab altero diversus haberi debet (1). Nam Petrus, qui ypodiaconus vel subdiaconus semper dicitur, et Iohannis Diaconi *Chronicon* continuavit iam, Stephano praesule (898-907), in vivis agebat, et usque ad annum 960, vel circiter vixisse ex *Libellis S. Agnelli*, *et S. Agrippini* argui potest; Petrus vero, de quo hic agimus, et multo recentior habendus est, cum saeculi XII. initium attigerit, et numquam subdiaconi titulo vel alio quocumque simili decoratur. Illum ego potius diaconum crediderim, nam in quodam cod. Casin. ubi de iis, qui sanctorum vitas sive collegerunt sive renovarunt agitur, laudantur *Parthenopenses duoviri docti et eruditi Iohannes videlicet et Petrus, quos, ut fertur, tempore uno ecclesiae Dei fulgere dedit leviticus ordo* (2). Ceterum quoadusque ipse archiepiscopus vixerit incertum est.

VI. Gregorius archiepiscopus.

De eo mentionem facit Paschalis II. PP. in privilegio, quo monasterium S. Archangeli ad *Morfisam* Neapoli positum sub tutela apostolicae sedis excipit, et eidem monasterio omnia, quae legitime possidebat, et quaecumque in futurum adipisci poterat, apostolica auctoritate confirmat. Diploma datum III. idus aprilis ind. IX. a. 1116 Chioccarellius refert.

VII. Marinus archiepiscopus.

Is a. 1118 cum aliis archiepiscopis, et episcopis ac pluribus aliis de Apulia, et Calabria interfuit consecrationi Gelasii II. in Romanum pontificem, quae Caietae celebrata fuit ob metum Cenei Frangipanis Romani, qui Henrici IV. imperatoris sehismatici partes in urbe fovebat, ut Pandulphus Pisanus in vita, quam eiusdem pontificis scripsit, testatur.

Quae vero ipse deinde in bello inter Neapolitanos et Rogerium Siciliae regem gesto egit iam supra memoravi. Heic tantum adnotare sufficiat eum a. 1144 Curiae generali tunc temporis Capuae habitae interfuisse, ac praecepto in quaestione inter Aversanum episcopum et abbatem S. Laurentii de Aversa composita, nec non privilegio ab eodem rege Rogerio ven. Petro abbati S. Mariae ad *Cappellam* de Neapoli eodem anno Salerni dato subscripsisse. Diplomata Chioccarellius affert vel innuit. Denique ex diplomate a Mazochio in dissertat. *De cath. eccl. Neap* p. XXIX vulgato erui potest ipsum m. octobri a. 1151 adhuc in vivis fuisse, et ab eodem rege Rogerio donationem ecclesiae *sancti Sagbini extra muros* civitatis (Neapolis) *prope Curtem Briani de Lamberto cum omnibus suis pertinentiis* habuisse; sed ecclesiae, de qua nusquam alibi mentio et Briani de Lamberto nomen, quod Longobardicam indolem sapit et nobis omnino insolitum fuit, praeter alia quae omitto, praeceptum illud valde suspectum mihi reddunt. Ceterum utcumque sit Marinum circa ea tempora obiisse non inverisimile est.

Et haec de Neapolitanis episcopis atque archiepiscopis in *Chronici* supra repetiti additamentum dixisse sufficiat.

(1) Minus recte de ambobus eminentissimus Mai *O. c.* p. 267 unum Petrum facit, cui et *Passionem Ss. Cyri et Iohannis*, quam Gregorio archiepiscopo (a. 1116) nuncupatam putat, et *Passiones S. Iulianes et Ss. Quatuor Coronatorum* tribuit. Neque rectius Gallonius in cod. Vallicelliano H, 13. f. 81, ut ab viro clarissimo Iohanne Baptista de Rossi (*I Ss. quattro Coronati* p. 25 in not.) disco, huic Petro cognomen *Celestis* indidit; nusquam enim aliunde id, quantum scio, colligi potest, nisi vox *celestis* post Petri nomen in prologo *Passionis S. Iulianae* apposita, quae *patriae* mox secuturae refertur, forte Gallonium transversum egit.

(2) *Biblioth. Casin.* t. III *Florilegium* p. 101, ex cod. 123 f. 236. Locum mihi indicavit clarissimus vir de christiana archeologia optime meritus, Ioh. Baptista de Rossi in cit dissert. *I Ss. quattro Coronati* p. 24. Ipse, ut videtur, sententiae inclinat, qua Petrum seniorem a iuniore distinguitur.

III.

APPENDIX MONUMENTORUM

AD

CHRONICA DUCUM ET EPISCOPORUM NEAPOLITANORUM

PRAEFATIO

Plura in hac Appendice *monumenta congero, quae ad chronica tum ducum, tum episcoporum Neapolitanorum illustranda haud parum faciunt. Ea vero monumenta sic in quatuor partes distribuo, vid:*

I. Epistolae pontificum Romanorum.

II. Documenta quaedam ab a. 763 ad a. 874.

III. Acta Sanctorum, *quibus accedit* Kalendarium Neapolitanum marmoreum.

IV. Varia.

I. Et primae initium facio a quatuor Hadriani I. litteris ad Carolum magnum imp. missis, quas ex cod. Carolino excerptas iuxta textum a cl. v. Jaffè accurate editum heic iterum prodo. Codex iste celeberrimus ex archetypo, in quo Karolus ipse a. 790-791, universas epistolas . . . de summa sede apostolica . . . seu etiam de imperio sibi nec non avo et genitori suo directas . . . memorabilibus membranis . . . renovare ac rescribere decrevit, *forte saeculo nono exeunte transcriptus fuit, et nunc in bibliotheca caesarea Vindobonensi adservatur. De eo plura dicere supervacaneum plane est; satius enim mihi videtur meminisse illum (ut praecipuos editores tantum* (1) *memorem) a* Gretsero *primum integre ex* Tengnagelii *exemplo* (2), *a* Lambecio *postmodum et a* Muratorio (3), *nec non a* Cennio (4), *qui anteriores recensiones etiam contulit, et a*

Iaffè (5) *denique nuper summa fide et diligentia recognitum typis vulgatum fuisse. Hic, emendationibus, quae a* Tengnagelio *in cod. temere superpositae fuerant, et aliis posteriorum scriptorum lectionibus omissis, id unum maxime procuravit, ut veteris saeculi IX. librarii textum religiose exprimeret et quasdam tantum correctiones, huc illuc item saeculo IX. appositas, non negligeret. Illud etiam meminisse oportet epistolas in cod. nulla chronologica vel alia nota designatas, et nullo temporis ordine dispositas esse; ita ut epocha, qua quaeque epistola scripta fuit, ex rebus ipsis, quae ibi narrantur, sive inter se, sive cum aliorum, si qua extant, chronicorum vel documentorum testimonio collatis, omnino coniicienda sit.*

Sequitur Leonis III. PP. epistola item Carolo magno directa, quam etiam iuxta editionem ab eodem meritissimo viro Iaffè *ex supra laudato cod. saeculi IX. ineuntis procuratam, item heic repeto.*

Plures deinde epistolae Johannis VIII. PP. (872-882) succedunt. Eas ex Regesto *eiusdem pontificis, de quo videndi sunt* Pertz (Archiv. der gesell. für alt. deutsc. Geschich. *V. 32*) *et* Iaffè (Regest. PP. RR. *p. 260*) *atque ex* Concil. Coll. *ed.* Mansi *t. XVII. c. 3-263, ad opus meum delectas trado.*

Hanc partem denique claudit epistola Gregorii VII. singularis, quae item ex Regesto *ipsius pontificis ab eodem* Mansi *edita post eum heic repetitur.*

II. Pars secunda quaedam documenta *sive integra sive summata continet, quae, utpote pauca et interrupta, in seriem, unde* Regestum Neapolitanum *conflatum est, redigi nequiverunt. Ex ipsis unum tantum nunc primum ex archivo Casinensi transcriptum prodit; reliqua cum archetypis, sive apographis Mss. collata rectius exhibentur.*

III. Acta Sanctorum, *quae in parte tertia repeto, haec sunt* — I. Opusculum de vita et miraculis S. Severi episcopi; *quod ex cod. bibliothecae Gregorianae primus edidit* Ughellius (O. c. *t. VI, p. 35*) *et ex eo* Parascandolo (O. c. *I. p. 193*). *Illud postea Bollandiani, textu cum alio cod. monasterii S. Severini, nunc bibliothecae Corsinianae,* (n. 777) *collato, et versibus, qui in calce opusculi habentur, omissis, in* Actis Sanctorum *ad d. 30 Aprilis (t. III, p. 768) repetiverunt. De eius vero aetate varie a nostris disputatur.* Caracciolus, (O. c. *p. 306*); Chioccarellius (O. c. *p. 41*) Ughellius, *l. c.*, Rossius (6), *aliique eiusdem opusculi auctorem anonymum Sicone (818-832) antiquiorem putant; ex eo quod b. Januarii corpus, tunc Beneventum a dicto principe translatum, adhuc Neapoli in coemeterio extramurano positum dicat. Alii contra, ut* Mazochius (Comm. ad Kal. Neap. marmor. t. I. p. 259 — De Ss. Neap. eccl. epp. cultu p. 248) *ac* Parascandolo *ipsum auctorem multo recentiorem esse contendunt, et ad saec. XIII. vel saltem XI. producunt. At neutrum mihi placet; opusculum enim in duas partes, ut supra innui, distinguendum esse existimo; quarum altera* De vita vel obitu *sancti*

episcopi agit, et incipit: Domino illustri *etc.* Litteris nobilitatis, *qui est primus, et deinde:* Secretum regis *etc. qui est secundus prologus, ac desinit:* ipso adiuvante qui cum Deo patre *etc.* Amen; *altera vero miracula eiusdem quaedam prodit, et incipit:* Hortaris, me Capuane *etc. qui est prologus; deinde:* Tempore quo Henricus *etc. ac desinit:* languore absoluta reddita. *Adscribuntur versus, quorum primus:* Elysii sedem nobis acquire Severe; *ac postremus:* Cuius vota Deus compleat altitonus.

Prioris autem libelli aetas incerta est, sed satis verisimiliter post illam Chronici epp. Neap. *partem, quae vetustiora Neapolitanae ecclesiae tempora illustrat, scriptus fuit. Chronicon enim miraculum hominis ad vitam per S. Severum excitati silentio praeterit; quod certe, si libellus hic ipsius fons esset, utpote satis nota dignum, omittere non debuisset. Praeterea auctor* Vitae *Chronici ipsius verba, neque tantum ea, quae ad rem suam faciunt, sed etiam alia, quae Chronici auctor sive ex* Libro Pontificali, *sive ab alio fonte hausit, ita ad litteram transcribit, ut aperte suum archetypum indicet. Quod autem ibi de S. Januarii corpore adhuc Neapoli exstante legitur, id me non movet; cum glossematis indolem sapiat et ab inepto, quamvis vetusto, librario, ex alio, ut ego puto, fonte profectum ac male in textu huius opusculi invectum sit. Ex hac vero libelli parte vetus illud* Officium *sancti episcopi, quo ecclesia Neapolitana olim utebatur, fluxit.*

Certiora de alterius partis aetate proferre possum. Ipsa procul dubio ad saeculum XI. post medium referenda est. Miraculum enim Capuani, quod a. 1046 accidit, nuper *patratum fuisse Johannes archipresbyter, poematis auctor, aperte asserit. An vero ipse libellum etiam, qui proxime praecedit, scripserit, nescio. Quidam forte tunc, vel haud multo post, utrosque libellos coniunxit, et prologum alium, qui legitur in cod. Corsiniano et incipit:* Prius quidem nobis *etc. ex aliquo fonte mihi ignoto, ut et glossema de corpore b. Januarii, quod supra innui, satis inepte addidit. Denique quoad meam hanc editionem attinet, satis est, ut lectores moneam textum opusculi integrum ad fidem cod. Corsiniani (f. 150-175) iterum d. Cosimi Stornaiolo, graecarum latinarumque litterarum in pontificio seminario antecessoris, beneficio a me recognitum, et plerisque in locis cum lectione veteris officii, quae correctior mihi videbatur, collatum fuisse.*

2. Historiola translationis reliquiarum Ss. Eutycetis et Acutii. *Ipsam primus vulgavit* Caracciolus (O. c. *p. 349.*) *ex cod. Ms. apud eum sive potius in bibliotecha Ss. Apostolorum adservato, unde postea* Ughellius. *l. c. Inde* Nicolaus Carminius Falco Passione *Ss. martyrum, quae* Historiolam translationis *praecedit, addita, integre acta ex cod. bibliothecae Romanae* della Sapienza *protulit* (La intera istoria di S. Gennaro *p. 181*). Stiltingius *denique* (Aa. Ss. Bollandi *ad d. 19 septembris t. VI, p. 891-893, et* Acta S. Januarii et sociorum *seorsum edita Antverpiae 1757 in 4. p. 525*), *illa omissa, hanc*

ex editione Caraccioli et Falconis cum duobus Mss. collatam iterum publici juris fecit. Auctor libelli fuit, ut ex prologo eruitur, quidam Raynerius, *qui se* Exiguum *vocavit, et opus Grusu vel Eruscuni, religiosissimae feminae, uti videtur, inscripsit. Nomen non domesticum sed alienum hominem denotat. Forsitan monachus fuit. Quo autem tempore vixerit incertum est; minus recte enim* Caracciolus *l. c.*, Chioccarellius *l. c. et* Assemanius (Ital. Hist. Scr. II, *p. 363*) *eidem Ss. Martyrum translationi eum interfuisse, vel paulo post scripsisse putant. Verisimiliter ad saec. X. vel XI pertinet; nam cod. Corsinianus, ubi ipsa* Acta *etiam extant, saltem non ultra initium saeculi XII. protrahi potest* (7). *Ceterum* Historiolam *ego* (8) *juxta editionem Stiltingii, eodem tamen cod. Corsiniano non neglecto, heic repeto.*

3. Acta translationis S. Athanasii *cum* Vita *eiusdem ex codd. Neapolitanis primitus edidit* Cuperus (Aa. Ss. Bollandi *ad d. 15 julii t. V, p. 77*), *et ex eo* Muratorius (R. I. S. *t. II, 2, c. 105*). *Postea* Mazochius *ex cod. Corsiniano pluries citato varietates lectionis et* Vitae *extrema capita, ab editis longe diversa, in lucem dedit.* (De Ss. Neap. ecc. epp. cultu *p. 363*). *Ab eo* Parascandolo (O. c. *t. II*, p. *234-253*). *Nuper vero clarus vir* Waitz *utrosque libellos in* Script. rerum Ital. et Lang. *ex eodem. cod. Corsiniano, ubi f. 175 et 150 leguntur, typis iterum* (*p. 439-452*) *vulgavit. Pro hac mea Translationis editione ego codd. Neapp. de quibus supra egi, item contuli.*

4. Acta translationis S. Severini abb. *(quae martyrium S. Procopii Tauromenitani epi. et sociorum continuant)* auctore Johanne Diacono *integre ex cod. Ms. a Beatillio Bollandianis transmisso primum prodierunt* (Aa. Ss. Bollandi *ad d. 11 Januarii p. 1098; unde* Parascandolo, (O. c. *t. II, p. 254*). *Nuper etiam Waitz ipsa aliquibus decurtata in opere supra laudato iterum dedit. Antea vero Octavius* Caietani (Vitae Sanctorum Siculorum *t. II, p. 6)*, Carusius (Bibl. hist. Sicul. *t. I, p. 19)*, *et* Muratorius (R. I. S. *t. I, 2, c. 269-272)*, *opusculum, quoad sancti Procopii martyrium attinet, ediderant, sed quibusdam omissis, et pluribus mutatis, ac speciatim in dictione renovatis; ita ut ex Johannis Diaconi libro potius excerptum quam fideliter redditum videretur. Ego quod ad rem meam facit ex editione Bollandiana, cum in nullo ejusdem libelli antiquo codice offenderim, rursus prodo.*

5. Acta translationis S. Sosii *ex opere ab eodem Johanne Diacono, qui eidem interfuit; scripto; ubi* Passionem S. Januarii et sociorum eius *tradit, extracta sunt. Ea primum* Surius (Acta Sanctorum *ad 23 septembris et postea* Falconius (O. c. *p. 202) typis vulgarunt. Inde integra ex Mss. Neapolitano et Romano tabularii Vaticani collatis cum editionibus Surii et Falconii* Stiltingius (Aa. Ss. Bollandi *ad d. 19 septembris t. VI, p. 874) edidit; unde extremis capitibus amputatis* Parascandolo *(II, 256) et* Waitz (O. c. *p. 459). Ipsam editionem ego sum secutus, sed textum ex codd. Neapp. iterum recognovi.*

6. Libellus miraculorum S. Agnelli abbatis *a Petro S. N. E. hypodiacono seu subdiacono* (V. *p. 154*) *scriptus fuit, praesule Stephano III, scil. inter a. 898 et a. 907, ut carmen eiusdem, quod supra p. 22 not.* (2) *ex cod. Neap. primus edidi, nos edocet. Ipse tantummodo in* Veteri Officio Ss. Patronorum Neapolis *olim a. 1525, sed non integer, typis vulgatus fuit. Ego illum ex quatuor Neapp. Codd. denuo profero, paucis sive superfluis, sive inutilibus, quae punctis designo, aliquando resecatis.*

7. Libellus miraculorum S. Agrippini. *De eo et de eius auctore, qui idem Petrus subdiaconus fuit, ut* Mazochius (De Ss. Neap. eccl. epp. cultu *p. 330*) *recte argumentatur, supra p. 112 egi, et postremum miraculum transcripsi. Cum autem praeterea animadvertissem illum habere plura, quae historiam et mores horum temporum illustrare possent, et ipsum, supradicto miraculo excepto, heic repeto ex cod. Ms. Neap., cuius etiam supra memini, cum Corsiniano, quem Mazochius (unde* Parascandolo *I, 130*), *transcripsit, et ex quo quaedam tantum capita* Waitz (*p. 463*) *dedit, collato.*

8. Miracula S. Eupli levitae et martyris. *Octavius* Caietani *in libro, quem supra memoravi, t. II, p. 107*, Passionem *et* miracula *S. Eupli, qui a. Chr. 304, pro fide martyrium subiit, more suo ad meliorem formam expolivit, et primus edidit. Ex eo* Bollandiani *in* Aa. Ss. *ad d. 12 m. aug. t. II, p. 720, ac* Sabbatinius *in* O. c. VII, 66. *Ego utrumque libellum in cod. Neap. (VIII, B, 8) inveni, et* Passione, *quae nil ad rem meam facit, praetermissa, miracula, quae de aliquo Neapolis duce Iohanne innuunt, et quamdam aevi illius ingenuitatem praestant, heic iuxta textum genuinum prodo.*

9. Libellus miraculorum S. Ephebi, *seu* Euphebii. *Huius auctor anonymus aetatis incertae est, sed non multum vetustae, ut ex sancti episcopi nominis, qua utitur, corruptione, argui licet.* Mazochius O. c. *illum saeculo XIII vixisse autumat, quod haud inverisimile est. Libellum vero* Caracciolus (O. c. *p. 147*) *primus edidit et post eum* Papebrochius (Aa. Ss. Bollandi *ad d. 23 maii, t. V, p. 236*) *ac* Parascandolo (I. *p. 189*). *Eorum editionem ego sequor.*

10. Kalendarium Neapolitanum marmoreum. *Singulare hoc monumentum in duabus praegrandibus marmoreis tabulis inscriptum, a. 1742, cum S. Johannis, vulgo* maioris *templum, cuius parieti facie aversa ex utroque parvae ianuae latere affixum erat, reficeretur, repertum fuit. In illud iam marmorario addictum et in frusta secandum forte fortuna doctus vir d. Scipio de Cristofaro, et Laurentius Balsamo, patriarum rerum amantissimi, inciderunt, et pretiosum cimelium, ut imminenti iacturae eriperent, statim archiepiscopo Josepho Spinelli commendarunt; qui lapides inde tollere atque in aulae archiepiscopalis sacello, ubi adhuc extant, locare iussit. Tunc de eo duo doctissimi viri ex professo egerunt:* Mazochius *scil., qui sex priores tantum menses illustravit in opere, cui titulus:* In vetus marmoreum S. N. E. Kalendarium commentarius, *Neap. 1744-1755 et* Sabbatinius, *qui integrum annum exposuit in libro:* Il vetusto Calendario Napolitano nuovamente scoperto, e con varie note illustrato. *Neap. 1744-1768 Uterque monumentum tabulis in aere incisis effictum dedit; et praeterea Mazochius partis posticae, ubi, prout illius aevi ingenium ferebat, varia ex monstrosorum ani-*

malium figuris ornamenta composita et exculpta (9) *fuerunt, imagines item in aere expressas addidit. De eius denique aetate ambo scriptores consentiunt, et saeculo IX. scalptum fuisse iure affirmant. Sanctorum enim, qui ibi leguntur, nemo hac aetate posterior est, et S. Pauli iunioris, qui a. 821 obiit, depositio ad d. 17 m. febr. adnotata de antiquiore tempore cogitare non sinit. Ceterum* Kalendarium *ipsum ad fidem lapidum repeto, nisi quod nexus litterarum* (HE, TH, NE. *etc.*) *explico, et* NT (Natalis) *monogramma voce* Nat. *designo. Praeterea quosdam lapicidae errores, qui aliquando* E *pro* F *et* M *pro* A *in sex posterioribus mensibus sculpsit, ne dubium lectoribus facerent, corrigo.*

IV. Varia *denique, quae ad nostram saeculi IX. et X. historiam sive ecclesiasticam sive civilem attinent, in hac parte addo. Ea sunt:* 1. Notitia quaedam de Johanne et Marino ducibus, ac Theodora Johannis ipsius uxore. *Extat in cod. Bambergensi,* (*E. III.14*), *ad* prologum libri Alexandri magni (*f. 192*) *addita. Ipsam Waitz in recensione eiusdem cod.* (Archiv. *t. IX*, *p. 692*) *primus vulgavit.* — 2. Notitia de Saracenorum in Calabriam irruptione a. 902, facta, *quae item in memorato cod. Bambergensi f. 351 legitur. Primum typis vulgata fuit in* M. G. H. Scr. *t. III. p. 348*; *postea iterum ab eodem* Waitz *in* Script. rerum Lang. et Ital. *p. 457*. — 3. Excerpta quaedam ex opusculis Auxilii, et Vulgarii *a Duemler a. 1866, editis, quae ad historiam Neapolitanam, Stephano III. episcopo, et Athanasio ac Gregorio ducibus, attinent. Doctus vir ipsa opuscula ex cod. Bambergensi* (*P. III. 20*) *eruit.* — 4. S. Petri Damiani opusculum *sive* epistola ad Dominicum Loricatum, *ubi loquitur de morte Johannis ducis. Illam profero ex* Operum eiusdem *editione Parisiensi a. 1743, t. III, p. 219.* — 5. Neapolitanorum de Saracenis victoria a. 788 habita ficta narratio. *Eam e cod. Vaticano - Ottobon. n.° 2940 saec. XIV, f. 69 descripsit Bethmann, et* Waitz (O. c. *p. 465*) *edidit. At prius iam cognita et pervulgata apud nos erat ex libro, qui item saeculo XIV compositus fuit et sub Johannis Villani nomine ac sub titulo:* Chronica di Partenope *circumfertur; ubi in maternum sermonem versa L. I, c.* 52 *extat. Quamvis fabulis et erroribus referta sit, heic tamen omittendam non esse censui.*

---

(1) Ex iis, qui aliquas etiam huius cod. epistolas protulerunt, unum Carolum Troya, illustris memoriae virum, silentio praeterire mihi nefas est. In *Cod. dipl. Long.* t. IV. p. 562 et ss. is ineptas Cestarii (*Dimostrazione della falsità dei titoli vantati dalla S. Sede* etc. Nap. 1789) contra eiusdem cod. auctoritatem argumentationes profligavit, et characterum ipsius ectypon lapide expressum dedit.

(2) Libri titulus hic est: *Volumen epistolarum, quas Romani pontifices.... miserunt ad principes et reges Francorum.* Ingolstad. 1613 in f.

(3) In opere, quod inscripsit: *Syntagma rerum Germanicarum sive Germanicarum rerum Scriptores varii* etc. Vindob. 1673 in f. et in quo *Codex epistolaris Carolinus* tantum (non enim ultra volumen unum processit) continetur. — Muratori R. I. S. t. III, p. 73-282.

(4) Cenni, *Monumenta dominationis pontificiae.* Rom 1763, 4.°

(5) *Monumenta Carolina* in *Bibl. rer. German.* t. IV, Berol. 1867 in 8.°

(6) Rossi, *Dissertazioni sopra alcune materie a Napoli appartenenti* p. 320 et ss.

(7) De eisdem Ss. Martyribus satis scite et accurate paucis abhinc annis egit pluries laudatus Stornajolo in opere: *Ricerche sulla storia ed i monumenti dei Ss. Eutichete ed Acuzio.* Napoli 1874 in 8.°

(8) Aliquando codd. recentiores Tutinii vel Chioccarellii in bibl. Brancacciana adservatis etiam consului.

(9) Supra in libri initio huius marmoris anaglyptici specimen ad ornatum exhibetur, nisi quod in medio eiusdem imago Iohannis ducis addita est.

APPENDIX MONUMENTORUM

AD CHRONICA DUCUM ET EPISCOPORUM NEAPOLITANORUM

I.

EPISTOLAE PONTIFICUM ROMANORUM

1. *Hadrianus I. Carolo regi nuntiat Terracinam a Neapolitanis et Graecis invasam esse. Vulfuinum mitti cupit ut Terracinam, Caietam, Neapolim recuperet. Quaedam addit de suo cum Neapolitanis congressu, de Arichiso, duce Beneventano, et Athalgiso Desiderii filio.* (a)

(Cod. Car. 64; Cenni 65)

Domino excellentissimo filio Carolo, regi Francorum et Langobardorum, atque patricio Romanorum, Hadrianus papa.

Nullum plus credimus victoriosissimae regalis excellentiae vestrae uti praesidium, quam (b) erga beatum Petrum apostolorum principem, et pro eius sanctae ecclesiae exaltatione, sicut coepistis, usque in finem decertari.

Quatenus salutantes triumphatorissime erga vos benivolentiae vestrae, per hos nostros affatus enucleatius vobis de partibus istis insinuamus: qualiter nefandissimi Neapolitani, una cum Deo odibiles Grecos, praebente maligno consilio Arighis, duce Beneventano, subito venientes, Terracinensem civitatem, quam in servitio beati Petri, apostolorum principis, et vestro, atque nostro antea subiugavimus, nunc autem invalido consilio, iterum ipsi iam fati nefandissimi Neapolitani, cum perversis Grecis invasi sunt. (1) Nos quidem

(a) *Ex cod. f. 65 v.– 66 — Lemma*: Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directae, in qua continetur, quod Neapolitani cum Grecis civitatem Terracinensem invasissent. — IAFFÈ, *Monum. Carol.* p. 208.

(b) *In cod.* quod quam, *postea correctum.*

(1) Hanc epistolam ad a. 779-780 adscribit Jaffè, et aliam (Cod. Car. 73 - Cenni 60), quae cum hac stricte connexa est, et certe m. maio a. 778 data fuit, anteriorem putat, At contra ego alteram, scil. quae. n. 73 inscribitur, posteriorem, et, uti constat, a. 778, datam (IAFFÈ, *Mon. Carol.* pag. 208); hoc enim anno Carolus contra Agarenos cum exercitu Hispaniam ingressus est (POETA SAXO, vv. 362-365), de quo in ipsa epistola mentio, alteram, scil. 64, anteriorem et a. 777 scriptam censeo: ea praecipue ratione ductus, quod Hadrianus Terracinenses eadem ac Caietani conditione et sibi adversos fuisse scribat, cum utrique insimul Campaniam romanam a pontificia ditione subtrahere conarentur. Verba enim epistolae haec sunt: " Et hoc agnoscat a Deo protecta precellentia vestra, quia aliquantas civitates nostras Campaniae operantes emuli vestri atque nostri nefandissimi Beneventani ipsum nostrum populum suadent atque subtrahere a nostra ditione decertant una cum habitatores castri Caietani seu Terracinensium; obligantes se validis sacramentis cum ipso patritii Siciliae, qui in praedicto castro Caietano residet. Et decertant a potestate et dicione beati Petri et nostra eosdem Campaninos esurpare et patricio Siciliae subiugare. " IAFFÈ, *Monum. Carol*, p. 202.

sine vestro consilio, nullatenus ibidem dirigere voluimus. Sed poscimus vestram a Deo promotam regalem excellentiam: ut, sicut solita est, pro amore beati Petri clavigeri regni caelorum disponere debeat, et celeriter nobis Vulfurinum dirigere, ut hic apud nos kal. augustas paratus esse festinet, atque talem eidem mandationem facere iubeatis: ut cum omnes Tuscanos, seu Spoletinos, atque cum ipsos nefandissimos Beneventanos in servitio vestro, pariterque nostro ad recolligendum ipsam civitatem Terracinensem eveniant, simulque Domino annuente ad expugnandum Caietam, seu Neapolim, nostrum recolligentes patrimonium, quod ibidem in territorio Neapolitano ponitur, occurrant; ut, eos in omnibus subiugantes, sub vestra atque nostra sint dicione.

Placitum quidem cum ipsi fallaces Neapolitani per missum eorum nomine Petrum in istum sanctum paschae (1) habuimus, patrimonium nos beati Petri apostoli, quod ibidem in Neapoli ponitur, exquirentes, et in vestro servitio eos subiugare desiderantes; ut, quindecim obsides ex nobilissimis eorum filiis nobis dantes, ipsam civitatem Terracinensem illi colligerent; sub ea videlicet ratione, ut issent ad patricium eorum in Sicilia, et, si nostrum patrimonium reddere voluissent, ipsam civitatem, et obsides reciperent. Sed nos sine vestro consilio neque obsides neque ipsam civitatem reddere habuimus; eo quod pro vestro servitio ipsos obsides apprehendere cupiebamus: quia eorum malignum consilium aliud non est, nisi una cum infidelissimo Arighi, duce Beneventano, tractantes, et cotidie missos nefandissimi patricii Siciliae ipso Arigihs suscipiente, impedimentum iam fatus Arighis solus fecit, ut minime nos obsides a iam dictis Neapolitanis reciperemus: quia cotidie ad istam perditionem filium nefandissimi Desiderii (2) dudum necdicendi regi Langobardorum expectat, ut una cum ipsum pro vobis nos expugnent.

Sed hoc petimus vestram a Deo promotam excellentiam: ut nulla qualisvis persona vobis pro hoc impedire valeat, pro amore beati Petri, et nostro: quia nullo modo potest nos eos sinenter (a) vobiscum pariter ab illis deridamur; quia nostra virtus atque gloria una cum beato Petro apostolorum principe vos estis. Nos quidem pro nihilo deputamus ipsam civitatem Terracinensem; sed ut non per illum vitium incurrat, et infideles Beneventani, sicut desiderant, locum invenientes, a vestra subtrahantur fide; idcirco ista vobis insinuantes dirigimus, ut per vestrum adminiculum, sicut fati sumus, Ecclesia protectoris vestri beati Petri apostoli exaltata, laus vestra atque victoria in universo mundo sonetur, et in perpetuum una cum excellentissima filia nostra regina (3), atque precellentissimis vestri suboles, cum sanctis omnibus regnare mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat (4).

(a) *Ita in cod.*

(1) A. 777 pascha die 30 martii celebratum fuit.

(2) Athalgisum.

(3) Hildigarda.

(4) Huic epistolae satis verisimiliter referri debent ea, quae PP. in alia (Cod. Car. 61: Cenni 66), quam etiam ad hunc annum 777 ante Kal. aug. ego refero, dicit, et ita se habent: " De autem partibus Neapolitanis, sicut cum nefandissimi Greci seu Beneventani consiliant, qualiter vobis insinuantes per nostras apostolicas syllabas dereximus, omnia minutius in ore posuimus fidelissimi vestri missi, scilicet Addoni diaconi, quod vobis enucleatius simulque per ordinem enarrare debeat. " IAFFÈ, *O. c.* p. 212.

2. *Hadrianus I. PP. Carolum regem hortatur, ut maiores trabes, quibus ecclesiae reficiantur, et stannum ad tegendam S. Petri ecclesiam exhiberi sibi jubeat. Addit de Arichis ducis Beneventani inimicitiis cum Neapolitanis et Amalfitanis.* (a)

(Cod. Carol. 66; Cenni, 87)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo, regi Francorum, et Langobardorum, atque patricio Romanorum, Hadrianus papa (1).

Sepe vestrae a Deo protectae regalis potentiae poscentes direximus: ut pro mercaede anime vestrae trabes majores ad ecclesias Dei restaurandas per vestrum regalem praesidium emittere iuberetis, et nullum ab illis, quibus preceptum est, suscepimus effectum; quatenus et ipsas ecclesias, in quibus nobis trabes maiores necessarie sunt, ex parte ruerunt, et alias rui conspicimus, et ipsas trabes praestolantes, quid agere, nescimus; et pro hoc in magna tristitia degentes existimus. Quapropter obnixe vestram triumphatorissimam excellentiam poscentes quaesumus: ut nulla deinceps eveniat mora, sed per vestrum a Deo protectum regale dispositum nobis ipsas trabes maiores celerius emittere precipiatis: ut nullo modo qualibet neglectum ponere audeant, quia freti prorsus existimus, quantas ecclesias Dei ex ipsas trabes restauratas fuerint, in vestrum sempiternum memorialem, seu domnae reginae (2), vestrisque nobilissimis subolis restaurantur. Quapropter poscimus, ut vestrum proprium idoneum missum dirigere iubeatis, qui ipsos actores, qui pro iam dictas trabes neglectum ponere ausi sunt, distringere debeat, ut ipse nobis eas tradere per vestrum dispositum studeat: ut exinde magnam, ut fati sumus, recipere valeatis mercedem.

Porro et hoc vestrae regali potentiae innotescimus: quia Arighis Beneventanus dux iusticias, quas de hominibus suis quaerente, exercitabit super Amalfitanos ducati Neapolitani, (3) et, undique eos circumvallans, incendit omnes possessiones eorum, atque habitacula foris posita. Quo audito, Neapolitani direxerunt in adiutorium ipsorum plures homines et exinde (b) super eos interfecerunt plurimam multitudinem ducati Beneventani, unde cum ceteros plures, et inde optimates captivos apud se habent; quod in his vero partibus actum est, vobis enucleatius enuntiare festinavimus.

Simili modo et hoc recordari credimus vestre a Deo promotae precellentiae, qualiter pro amore beati Petri, clavigeri regni celorum, et eiusdem ecclaesiae restaurationis, pro

(a) *Ex cod. f. 67-67 v. Lemma* — Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem, directa, in qua continetur de trabes maiores ad eclesias restaurandum, quas domnus rex ei dare preceperat; et ipsi actores neglegentes nihil exinde, sicut eis a iam dicto rege iniunctum fuerat, fecisse dicit; et de stagno ad ipsam ecclesiam sancti Petri recooperiendum. — IAFFÈ, *O. c.* p. 249.

(b) *In cod.* exigtes; *quod secunda manus, ut supra, correxit.*

(1) Inter a. 783 et 786, ut et Cenni autumat, haec epistola collocari potest, et non multo post aliam epistolam (Cod. Car. 64, Cenni 66), quam supra memini, ubi item de trabibus a PP. petitis sermo. Cf. *Lib. Pontif.* in Hadriano et IAFFÈ, *O. c.* p. 210.

(2) Haec utrum Hildigarda, quae die 30 apr. a. 783 obiit, an Fastrada, quam exeunte eodem a. 783 Carolus uxorem duxit, habenda sit, nescimus.

(3) Cf. quae supra dixi p. 64.

ipsius aule tectae, vestra excellentia nobis est pollicita dirigere stagni libras mille. Simili modo et Ittherius, vester fidelissimus, per vestrum eximium dispositum, similiter alias mille libras dirigere promisit, pro quo poscens petimus vestrae regali precellentiae: ut ipsum stagnum nobis per vestrum bonum dispositum dirigere iubeatis; quia ipsa ecclesia fautoris vestri beati Petri tempus verni ab aquis nimis invalescit; et, unde eius aulae tecti restaurare, minime habemus. Sed obnixe petimus: ut per comites vestros, qui in Italia sunt actores, ipsum iam dictum stagnum dirigere iubeatis, per unumquoque comitem libras centum; ut dignam pro hoc ab ipso Dei apostolo retributionem suscipere mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

3. *Hadrianus I. PP. Carolo regi scribit, nuntios eius, cum Beneventum convenissent, Beneventanorum et Adelbergae insidiis coactos esse Valvam fuga se recipere. Duos imperatoris spatharios cum Siciliae dispositore Salernum indeque Neapolim pervenisse. Beneventanos id agere, ut rem in aestiva tempora trahant. Curet, ut inimicorum consilia confringantur* (a).

(Cod. Carol. 92; Cenni 90.)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali conpatri Carolo, regi Francorum et Langobardorum, atque patricio Romanorum, Hadrianus papa (1).

Meminit vestra a Deo promota regalis excellentia, qualiter ad nos emisit fidelissimis missis, scilicet Attonem religiosum diaconum, seu Goteramnum magnificum ostiarium, et postergum eorum ad nos evenerunt, videlicet Maginarius religiosus abba, seu religiosus Ioseph diaconus; qui nobis fideliter intimaverunt ea, quae illis iniuncta habuit vestra prerectissima regalis potestas: ut secundum nostrum apostolicum consilium, partibus Beneventanis, ita peragerent.

Qui nostri presentia residentes prenominati quatuor missi, id est, Maginarium religiosum abbatem seu Attonem et Ioseph religiosos diacones, atque Goteramnum magnificum ostiarium, dum adhuc minime coniunxisset nostris apostolicis optutibus Liudericus, qui cum prelato Maginario, seu Ioseph ad nos missus fuit: tale illis prebuimus consilium: ut nullo modo se alterutrum separari; sed preeuntes Atto et Goteramnus in oppido Valvae, ibidem expectarent tam Maginarium et Ioseph, quam Liudericum, quem socii eius aput nos morantes expectabant.

Qui precedentes, scilicet Atto cum Goteramno, nullo modo nostris accomodaverunt

(a) *Ex cod. f. 86 v.-87 v. Lemma* — Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de missis Grecorum cum diucitin, id est dispositore Siciliae post reversionem Attoni diaconi missi domni regis a Benevento cum relicta Arichisi ducis consiliati sunt, qualiter ducato Beneventano a potestate praedicti regis per insidias substrahere potuissent. — IAFFÈ, *O. c.* p. 256.

(1) Hanc epistolam paulo post diem 22. m. ianuarii a. 788 scriptam fuisse ex eiusdem contextu facile colligitur.

consiliis: sed, relinquentes penitus Maginarium seu Ioseph et Liudericum, abierunt singulariter Benevento; qui postergum eorum euntes, Maginarius cum Ioseph et Liuderico, in Benevento iam Attonem et Goteramnum nullo modo invenire valuerunt, eo quod in Salerno perrexerant (a) Adalbergam, relictam Arichis ducis; qui dum Maginarius cum sociis suis a fidelibus vestris audissent, sicut nobis ipsi intimaverunt, eo quod infideliter peragerent, tam relicta predicti Arichissi ducis, quamque ceteri Beneventani, erga vestram regalem excellentiam, atque nostrum apostolatum iniqua atque adversa tractari non desinunt; fugam arripientes Maginarius cum Ioseph et Liuderico, una cum Goderamno, qui ad eos adloquendum venerat a Salerno, introierunt in finibus ducati Spoletini in prelato oppido Valvae, et ibidem morantur usque ad vestrum regalem triumphum dispositum. Atto vero audiens, ut fertur, fugiens intus in ecclesia Salerno, pre timore eiusdem ecclesiae altare tenuit. Ipsi autem Beneventani eum suadentes, ut reor, dissimulantes mitigaverunt, et (b) vestram excellentiam ficte miserunt, se ipsos fideles in omnibus commendantes.

Et ob nimium suavemque amorem, quod erga vestrum invictissimum (c) gerimus regnum, nullo modo valemus pretermittere, liquidius de omni rei causas vobis insinuari, venientes quippe ad nos de Capua, quae beato Petro apostolorum principi, pro mercede anime vestrae atque sempiterna memoria cum ceteris civitatibus offeruistis, videlicet Gregorius presbiter, seu Saductus, Pergulfus, Audemundus, Haimo, Landemarus, Warnefridus, Sigulfus, Andualdus, et Corbulus, intimaverunt nobis: quia, dum Atto diaconus ad vestram reversus est excellentiam, statim missi Grecorum, duo Spatarii imperatoris (1), cum diucitin, (2) quod latine dispositor Siciliae dicitur, in Lucaniae Acropoli, descendentes, terreno itinere, Salerno aput relictam Arachisi ducis peragrantes, tercio decimo kalendas Februarias pervenerunt; qui ibidem cum ipsis tres dies consiliantes, Beneventani post tercium diem usque Neapolim eos deduxerunt; Neapolitani vero cum magno obsequio cum signis et imaginibus eos suscipientes, Neapolim ingressi sunt, pariter; et usque hactenus cum ipsis Neapolitanis atque Stephano, episcopo eiusdem Neapolitanae ecclesiae, pertractantes existunt.

Sed vestra a Deo promota prerectissima regalis excellentia, a Deo inspirata taliter pertractari debeat, ut suam et nostram in omnibus securitatem procuret, et nulli hominum inanes fabulas attendat neque muneribus suadere quispiam eam valeat; sed tantummodo pro exaltatione spiritalis matris suae, sanctae nostrae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae suaeque regalis excellentiae, et nostrae decertari niteat. Quia, ut arbi-

(a) *Ita in cod.*; ad *supplet* IAFFÈ: *librarius enim praepositionem* ad *cum prima syllaba nominis, quod sequebatur, facile confudit.*

(b) *Item heic* ad *supplet* IAFFÈ.

(c) *Ex librarii coaevi correctione; codex enim* iniunctissimum *primitus habuit.*

(1) Constantini Leonis filii.

(2) Seu *Dioeceten* (Διοικητην). Hi proprie erant officiales publicorum vectigalium collectores (LEONIS imp. *Nov.* 61) et dispositores, per provincias (Θηματα) distributi, ut ex CEDRENO discimus.

(3) Fastrada.

tramur, ipsi Beneventani istius tempori verni transire mitigant, ut aestivo tempore, Deo illis contrario, vobis in periurii reatus incurrant. Sed vestra regalis potentia sic illis in triumphis preire satagat, ut et illorum protervia procul dubio inveniente sub pedibus suis conculcet, et sua exaltatione in toto profametur mundo, tam de sua prudentissima regali victoria, quamque de sacratissima oblatione, quae partibus ipsis Beneventanis beato Petro, fautori suo, puro corde, ob nimium amorem, atque sempiterna memoria condonavit. Qui, dum ipse claviger regni celorum beatus Petrus apostolus, fautor et protector vester, in integro vestram susceperit sacram donationis oblationem, digne valeamus in eius alma confessione tam pro vobis, quamque spiritali filia nostra domna regina, vestrisque nobilissimis subolis fundi preces, ut per multorum annorum curriculis in hoc mundo regni gubernacula fruentes in ethereis arcibus sine fine regnare mereamini.

Incolomen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

4. *Hadrianus I. PP. Carolo regi de Baiuariis subiectis gratulatur. Duos imperatoris spatarios et Siciliae dispositorem Arighisi ducis causa missos esse, interim defuncti; eosdem consilio Beneventanorum Neapolim se contulisse, donec Grimoaldus per Attonem expetitus advenisset. Nuntios regios propter insidias Benevento profugisse Spoletium.* (a).

(Cod. Carol. 88; Cenni 91)

Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo, regi Francorum et Langobardorum, atque patricio Romanorum, Hadrianus papa (1).

Nectareos suavissimosque precelsos regales apices vestros cum nimio cordis suscepimus amore; quos reserantes reperientesque vestram regalem sospitatem, simul spiritalis filiae nostrae domnae reginae, vestraeque nobilissimae prole salutis prosperitate, magnas omnipotenti Deo referuimus grates, qui vobis per intercessionibus beati Petri apostoli, fautoris vestri, nobis velut immeritis iugiter pro vobis exorantibus, indesinenter victorias ubique tribuet, et omnia circa vos salubriter disponit; tam marcas, quamque confinia.

Magis quippe de subiectione Baiuariorum (2); sicut nempe praediximus et optavimus, ita et prestolantes audivimus, de vestra precelsa regali in triumphis victoria.

Nempe quidem meminere credimus: qualiter vobis per anteriores nostras apostolicas emisimus syllabas de Capuanis, qui ad nos venerunt, per vestrum regalem adminiculum;

(a) *Ex cod. f. 82 v.-83 v. Lemma.* — Item exemplar epistolae eiusdem papae ad domnum Carolum regem directa, in qua continetur de Arachiso duce Beneventano; qui postquam rex Carolus a Capuana urbe revertisset, predictus Arigisus Deo sibi contrario apud imperatorem missos suos direxerat, petens auxilium et honorem patriciatus; cupiens fidem, quam pollicitus fuerat, irritam facere; promittens se tam in tonsura quam in vestibus usu Grecorum perfrui. — IAFFÈ, *O. c.* p. 259.

(1) Haec epistola praecedentem secuta est, et etiam a. 788 scripta, ut ex contextu patet.

(2) Subiectio haec facta fuit die 3 octob. 787, ut ex *Fragm. Annalium* in M. G. H. t. I, p. 33 adnotat IAFFÈ.

quatenus dum ipsas nostras vobis emisissemus sillabas, post aliquantos dies prelatos Capuanos in confessione protectoris vestri beati Petri, apostolorum principis, iurare fecimus, in fide eiusdem Dei apostoli et nostra, atque vestrae regalis potentiae.

Et post actum sacramentum unus ex ipsis Capuanis, Gregorius presbiter, nobis repetiit secreti loqui, asserens: *Quia nullo modo iam quippiam celare possum, tale vobis prebente sacramentum.* Et dum a nobis enucleatius sciscitatus fuisset, retulit nobis dicens: *Quia dum domnus Carolus, magnus rex, preterito anno* (1), *a Capuana urbe reversus fuisset, Arichis, dux, suos aput imperatorem, Deo sibi contrario, emisit missos; petens auxilium et honorem patriciatus una cum ducatu Neapolitano sub integritate, simul et suum cognatum Athalgisum* (2) *cum manu valida in adiutorium dirigendi; promittens ei, tam in tonsura, quam in vestibus usu Grecorum perfrui, sub eiusdem imperatoris dicione. Haec audiens autem imperator, emisit illi suos legatos, scilicet spatarios duos cum diucitin Siciliae, ferentes secum vestes auro textas, simul et spatam, vel pectinae, et forcipes patricium eum constituendi, sicut illi predictus Arichisus indui et tondi pollicitus fuerat; petentes Rumualdum, eiusdem Archigisi filium in obsidiatum. De vero Athalchisus eius cognato, emisit ei dicens: Qui aput illum non dirigimus, sed eum dirigimus cum exercito in Tervisio aut Ravenna.*

Qui venientes, Dei nutu, per suffragia apostolorum, malignancium consilia dissipata repperierunt; eo quod Arichiso duce, vel ipsius filio Rumualdo defunctus invenerunt (3).

Et dum ibidem Salerno Atto, fidelissimus vester, missus fuisset, Beneventani ipsis Grecis minime recipere voluerunt. Sed post reversionem predicti Attoni diaconi, tunc eos, terreno itinere, a finibus Grecorum deferentes, Salerno receperunt. Et cum Athalberga, relicta Arichis, seu optimatibus Beneventanis, tribus diebus persistentes consiliati sunt; suadentes ipsi Beneventani predictos missos Grecorum dicentes: *Quia nos apud regem Carolum emisimus missos nostros, petentes ab eo Grimaldum* (4) *ducem nostrum recipiendi; insuper et per Attonem diaconem, ipso nobis pollicente, rogum* (5) *emisimus*: *ut penitus eum ducem consequenter susciperemus. Sed propter hoc morari vos Neapolim* (6) *convenit; dum usque ipso Grimualdo recipere possimus ducem; et quod genitor eius Arigichisi minime valuit adinplere; Grimualdus eius filius, dum culmen genitoris sui adeptus fuerit, prorsus imperialem voluntatem cum omne dicione, sicut cum suo constitit genitore, in omnibus adimplemus, pariter nobiscum promissa explente.* Quapropter terreno itinere usque Neapo-

(1) Scil. a. 787, m. martio exeunte. Cf. Di Meo, *Ann.* II, 148.

(2) Athalgisus, Desiderii regis filius, ut Pontifex alia epistola (Cod. Car. 90; Cenni 89) scribit, circa m. nov. superioris anni (Theoph. *Chron.* p. 311) Italiam venerat, et " cum missis imperatoris (*Constantini*) partibus scil. Calabriae residebat justa confinium ducati Beneventani... „ Iaffè, p. 354.

(3) Arechis obiit die 26 aug. a. 787 (V. supra p. 58); Romualdus vero die 21 iulii eiusdem anni. Cf. *Chron. Salern.* in M. G. H. III, 483.

(4) Carolus enim anno superiori e Benevento Gallias repetens Grimoaldum filium Arichis, *vice pignoris*, secum Aquis detulerat. Erchemp. n. 2.

(5) I. e. rogationem.

(6) Cf. ep. cit. (90-89) ap. Iaffè, p. 254, ubi de missis Graecorum, qui cum Athalgiso " esse noscuntur „, et de aliis, qui " in Neapoli residere videntur „ etiam loquitur. Postea alia ep. (Cod. Car. 86; Cenni 92) Hadrianus PP. opem a Carolo instantius expetens addit, " optimates Graecorum, in Neapolim sedentes insultantes „ eum derisisse " quia missi apostolici iam duas vicis sine effectu reversi „ fuerant. Iaffè p. 265.

lim eos cum magno deduxaerunt honore, qui Neapolitani ipsos Grecos cum banda et signa suscipientes, ibidem degentibus praedicte rei prestolantes adventum, non desinunt una cum Stephano episcopo et consentaneis (a) eius Neapolitanis adversa perpetrantes tractare; mittentes ipsi Greci aput imperatorem, de obitu Arigisi, filiique eius denunciantes; et ab eo expectant consilium, quid agere debeant.

Sed in his omnibus, excellentissimae et a Deo protectae dulcissime fili, solertissime regalis potentia vestra niteat pertractari tam pro exaltatione spiritalis matris vestrae, sanctae Romane ecclesiae nostraque salute, quamque, Domino protegente, beatoque Petro clavigero regni celorum presidiante, pro vestro invictissimo regno in triumphis securitate.

Porro et hoc sicut ipse Gregorius presbiter Capuanus nobis innotuit de fidelissimis missis vestris, scilicet Magenario, religioso abbate, seu Ioseph, et Liuderico comite, atque Gotteramno hostiario. Qui, a Benevento reversi Spoletio, ideo exinde fugerunt, eo quod talem consilium Beneventani cum Neapolitanis et Surrentinis atque Amalfitanis habuerunt: ut foris civitate Salernitana, iuxta mare, vestros missos applicare facerent, et nocte repentino cursu super eos ruentes Beneventani, pariter cum Neapolitanis, illos interficerent, et postmodum proferre, quia Neapolitani, quasi super ipsos Beneventanos venientes, existimantes sese Beneventanos, eos clam occiderent; et prefati missi vestri haec cognoscentes, coacti fugam arripuerunt, vestram exquirentes regalem inlusionem, quod, si ipsi missi vestri ivissent Salerno, Neapolitani cum Amalfitanis et Surrentinis armati ibi absconsi fuerunt, ut inruerent cum Beneventanis super ipsos missos vestros, occidendi. Quod nempe certi facti existimus, omnia eorum nequam consilia ad nihilum rediguntur; eo quod talem amplissimam fidem, atque ex intimo corde dilectionis amore erga beatum Petrum, principem apostolorum et nos vestram regalem potentiam omnino habere agnoscimus. Et idcirco omnia vobis, sicut ipso Dei apostolum die noctuque petimus, suggerentes subiiciuntur, et vestris prefulgidis regalibus plantis substernuntur.

Nostra vero sospitate, ut inquirendum direxistis, Domino coopitulante, vestram omnino instar agnoscentes salutem, valentes pro vobis non sinimus fundi preces, ut in hoc mundo regni gubernacula multorum curricula fruentes annorum, et in ethereis arcibus una cum domna regina, vestrisque nobilissimis sobolis sine fine regnari mereamini.

Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

5. *Leo III. PP. Carolo I imperatori nuntiat, Lampadusam, Pontias, Isclam maiorem insulas a Mauris direptas esse. Michaelis I imp. patricium et spatharios duos non esse ab Anthimo duce Neapolitano adiutos; sed Caietanos et Amalfitanos opem iis tulisse. Maritimas suae dictionis oras non accepisse impetum* (b).

Domino piissimo et serenissimo, victori ac trimphatori, filio amatori dei et domini nostri Iesu Christi, Karolo augusto Leo episcopus servus servorum Dei.

(a) *In cod.* constantineis.

(b) *Lemma:* Epistola de occisione. Maurorum in Grecos. — IAFFÈ, *O. c.* p. 322.

Scimus igitur, vestram a Deo protectam imperialem potentiam semper de integritate et exaltatione atque custodia matris suae sanctae Romanae ecclesiae eiusque finibus sollertissimam habere sollecitudinem. Et ideo notum facimus serenitati vestrae ea, quae nuper audivimus et ex parte certi sumus.

Vestrae siquidem a Deo datae sapientiae incognitum non est, quod illa nefandissima Agarinorum gens partibus Siciliae anno praesente venire consiliaverunt (1). Nunc autem, sicut audivimus, in quibusdam Grecorum insulis coniunxerunt.

Pro quibus vero misit Michael imperator patricium et spadarios cum stolo, ut contra eos, Christo adiuvante, dimicare debuissent.

Cumque ipse patricius in Siciliam coniunxisset, direxit missos suos per Beneventum ad Anthimum Neapolitanum ducem, ut cum toto ipso Neapolitano ducatu, qui illi oboedire voluisset, navale auxilium ei praebere studuisset. Qui vero dux occasiones proponens, in adiutorio eius ire contempsit. Kaietani autem et Amalfitani, aliquanta congregantes navigia, in auxilio illius abierunt.

Postmodum vero, ut audivimus, ingressi sunt ipsi nefandissimi Mauri, tredecim scilicet navigia, in insulam, quae dicitur Lampadusa, partibus Siciliae constituta, et praedaverunt eam. Cumque de praedicto Grecorum stolo septem navigia ibidem explorando perrexissent, ut se veritatem cognoscere potuissent, comprehendentes eos Deo odibiles Mauri, occiderunt illos. Et dum expectassent eos Greci, qui miserunt illos ad explorandum et minime essent reversi, abierunt generaliter super eos. Et, Christo miserante, totos illos iniquos Mauros occiderunt, ita ut nec unum ex eis vivum reliquerunt.

Porro et hoc relatum est nobis: quod quadraginta naves de ipsis Mauris venerunt in insulam, quae Pontias vocitatur, ubi monachi residebant, et praedaverunt eam. Postmodum vero egredientes ex ea, ingressi sunt in insulam, quae dicitur Iscla maiore, non longe a Neapolitana urbe miliaria 30, in qua familia, et peculia Neapolitanorum non parva invenerunt; et fuerunt inibi a 15 usque 12 kal. septembris, et numquam ipsi Neapolitani super eos exierunt. Cumque totam ipsam insulam depredassent, implentes navigia sua de hominibus et escis necessariis, reversi sunt post se. Kaietani autem, qui post desolationem iam dictae insulae ibidem fuerunt, dixerunt; quod invenissent homines occisos iacere, et granum et scirpha, quae ipsi Mauri portare secum non potuerunt; sed et caballos Mauriscos, quos in suis ducebant navigiis, occisos ibidem dimiserunt.

Ecce, quaecunque audire potuimus de Grecorum partibus, serenitati vestrae intimare curavimus.

De nostris autem terminibus insinuamus vestrae tranquillissimae imperiali potentiae: quia per intercessionem sanctae Dei genetricis semperque virginis Mariae dominae no-

(1) Scilicet a. 812: nam EINHARDI *Annales* ap. M. G. H. *Script.* I, 199 ad hunc annum habent: " imperator... Bernhardum filium Pippini, nepotem suum, in Italiam misit; et propter famam classis, quae et de Africa et de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, Walanem, filium Bernhardi patruelis sui, cum illa esse iussit, quoadusque rerum eventus securitatem nostris adferret. Haec classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit, et ea quidem, quae ad Sardiniam est delata, pene tota deleta est. " — Supra p. 69 ex errore a. 813 inscriptus est.

strae et beatorum apostolorum Petri ac Pauli, et per vestram prudentissimam ordinationem omnia salva et inlaesa existunt. A quo enim de illorum adventu vestra nos exhortavit serenitas, semper postera et litoraria nostra ordinata habuimus, et habemus custodias.

Nosque cum nostris sacerdotibus in ecclesia fautoris vestri beati Petri apostoli Dei omnipotentis exoramus clementiam: ut suam sanctam ecclesiam ab insidiis inimicorum custodire et defendere dignetur, vosque ad exaltationem et defensionem eius per longa annorum curricula conservare et protegere iubeat, atque ad gaudia aeterna post multa temporum spatia cum sanctis perducat omnibus.

Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Absoluta 7 kal. (a) septembris.

6. *De Neapolitanorum duce eius fratre queritur, qui suis monitis non parebat. Quare hortatur, ut ab eo se separet; alioquin cum eo ac ceteris fautoribus anathemati subiicietur.*

(Ex *Regesto* PP. Ioh. VIII, n. 6. Mansi, *Coll. Concil.* XVII, c. 6.)

Ioannes episcopus Athanasio episcopo Neapolitano

Multa per nos, per decessoresque nostros reverendos pontifices duci Neapolitanorum (1), imo duci caecorum, missis et epistolis discurrentibus dicta sunt, quae locum in eius corde nullum penitus invenerunt; quia profecto viscera ipsius verba vitae aeternae recipere renuerunt. Iudaeis enim Dominus dicit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si quis*, inquit, *diligit me sermonem meum servabit.* Ergo probatio dilectionis, exhibitio est operis. Probatur igitur germanus tuus non diligere Deum, qui mandata eius participando cum perfidis non custodit. Nam Ioannes apostolus ait: *Qui dicit quia diligit Deum, et mandata eius non custodit, mendax est.* Sed nos postremo, nec etiam sic contempti, quae ad salutem eius et cunctorum pertinebant, neglеximus; unde non angelus, non legatus quilibet (ut de Redemptore nostro prophetice dictum est) sed ad salvandos eos ipse per semetipsum apostolatus noster adveniens, quid est quod debuit facere, et non fecit? Licet ipse, ut cum propheta dicamus, conversus est in amaritudinem vitis alienae; et sicut aspides surdae, et obturantes aures suas non audierit vocem incantantium, id est praedicantium, nec mutaverit versutiarum suarum colorem aut varietatem, instar Aethiopis et Pardi, quibus perfidorum Israelitarum Ieremias duritiam comparavit; unde merito abscissi sunt, ut de talibus apostolus optat: *Abscindantur*, inquiens, *qui vos conturbant a Christo*, id est a capite et corpore, quod est ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis. Ergo cum ita sit, prudentia tua moveri non debet, si inter tales officium cesset doctorum, sive torpenti desidia faciente rectorum, sive impoenitenti exigente crimine subiec-

(a) *Ita in cod. Male in edit.* 7, id.

(1) Sergius scil. Gregorii filius, et huius Athanasii frater. De eo loquitur supra. p. 94 et ss.

torum, Divino enim iudicio, quamvis occulto, talia fiunt, sicut in libro b. Iob legitur, cum de Deo inter alia fertur: *Ducit sacerdotes inglorios et optimates supplantat, commutans labium veracium, doctrinam senum auferens;* cuius sensus medulla concepta, procul dubio scito, quia in optionem unum e duobus a nobis tibi tribuitur; aut enim (secundum quod scriptum est) *Exiens exibis de medio ipsorum et pollutum non tanges:* aut certe quamdiu cum talibus conversatus fueris, non poteris videri non talis, sed eris profecto illis poena, sicut consortio similis. Nam Loth chaos Sodomis fugiens, cunctis necatis civibus, salvus singulariter redditur. Sic Petrus fugiens, Herodis catenis ereptus, ad salvandas gentes eruitur. Sic Paulus, observante Damasci praeposito, teneri intra claustra perfidorum noluit, in sporta per murum summissus, ad certaminis properat campum. Verumtamen ne sanguis eorum de manibus tuis divinitus requiratur, tamquam segnis desidisque speculatoris, qui videas gladium lupumque venientem, et taceas: *Insta, interim* (ut Apostolus monet) *opportune, importune: obsecra, increpa, nemo adolescentiam tuam contemnat.* Qui si te audierint, lucrifacias fratres tuos, sin autem, saltem tu salvans salva quantocius animam tuam, sciens procul dubio totius Hesperiae praesules a nobis in proximo congregandos. Quibus generaliter imminentibus, tam perfido fratri tuo, quam omnibus sectatoribus et fautoribus eius perpetuum dicemus modis omnibus anathema, numquam deinceps penitus dissolvendum; quod si evadere satagis in nostrique affectus finibus inveniri, in nullo prorsus ab hoc nostro recedere praecepto patere, vel hortatu. Gratias praeterea referimus super his, qui per industriam tuam redempti sunt a Domino, quos redemit de manibus inimici: et scito nil te nobis acceptius oblaturum, quam eos nimirum, pro quibus sanguis oblatus est Christi: Data quinto idus septembris, indictione decima. (a. 876).

7. *Dolet ipsum saepe monitum foedus cum Saracenis solvere noluisse; praecipit, ut tandem pareat. Sin minus, minatur se iterum eum excommunicaturum: pollicetur, si fideles legatos miserit, benigne se suscepturum.*

(Ex eodem *Regesto* n. 40 ap. Mansi, *Coll. Concil.* XVII, c. 36).

Ioannes episcopus Sergio Magistro Neapolitano.

Dum verbi Dei semen in pectore tuo etiam per memetipsum, post crebros missos et litteras, seminassem, expectabam non verborum folia, sed fructus operum promereri: sed quia super hac parte spes nostra frustrata est, cogor in vocem Domini per Isaiam prophetam adversus Israeliticam plebem prorumpere, clamans: *Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci? an quod expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas?* Verum quia, ut cum apostolo dicam: *eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est;* semel te tuosque adhuc admonere non abnuo, ut ab infidelium consortio declinetis, et a tam prophano tandem aliquando foedere recedatis. Quod si nos audieritis, non solum bona, quae cupitis, affluentius ex nobis habebitis, sed et magna praemia coelitus assequemini: sin autem non solum nos spirituali vos iterato

gladio percellemus, sed et hi, qui non sine causa materiales gladios portant, cum sint sanctae ecclesiae validi defensores et fervidi zelatores, cunctis adversis et prosperis conculcatis, adversus vos protinus arma corripient, et vindices contra vos impugnatores eius celerius properabunt. Quae nos scientes, quia vos anima et corpore salvos reddere cupimus, haec vobis denunciamus et cavenda praecipimus. Ceterum miramur quomodo vos in literis vestris, quas in ipsa paschali festivitate suscepimus, inculpabiles tentetis astruere, cum piaculum vestrum totus, qui desertus est mundus, et sanguis de terra, qui effusus est, clamet. Praeveniente autem gratia Dei, cito credimus fore, ut et vos resipiscentes a vinculo, quo annexi tenenimi, convenientius absolvamini; et de tua tuorumque salute ipsi cum coelestibus choris pari gaudio perfruamur. Porro si missos destinatis fideles, quibus credere procul dubio valeamus, libenti eos et benigno suscipiemus affectu, et quidquid desiderio vel voto vestro cederit, gratanter administrabimus, fidentes quod nil impossibile, nil allegaturi sint inconveniens. E contra vero si fine tenus pacti iugum cum infidelibus ducere proponitis, scitote profecto, (quia ut cum apostolo fatear) *in virga veniam ad vos*. Data v. idus aprilis indictione decima. (a. 877).

8. *Queritur Neapolitanos cum infidelibus foedus iniisse, nec ab ipso eorum antistite ad viam veritatis revocari. Quare hortatur, ut ipse et illi resipiscant: praeterea pollicetur se benigne suscepturum Neapolitani ducis legatos, si miserit; paratumque ad omnia se fore, quae pro ecclesiae Dei utilitate perficienda retulerint.*

(Ex eodem *Regesto* n. 81 ap. MANSI, *Coll. Concil.* XVII, c. 37).

Ioannes episcopus ad episcopum Neapolitanum.

Relectis literis tuis, quas coepto iam paschalis festivitatis (1) officio in die magno suscepimus, nihil quo laetificaremur reperimus. Unde ingens tristitia et continuus dolor cordi nostro crevit, et multiplicatus nos vehementer affligit: quia populum civitatis vestrae, quae olim Dei, nunc autem principis tenebrarum effecta est, derelicto penitus creatoris sui amore, videmus iugum cum infidelibus ducere, teque ideo fore obnoxium, quoniam in medio populi polluta labia habentis, pollutum et complicem habitare, nec toto annixu te velle murum pro domo Domini (sicut idoneum Christi athletam oportet) contemplamur opponere. Cum nos pro huiusmodi causa te ad tanti honoris culmen perducere procul dubio studeremus: quatenus te adiutorem et fidelem cooperatorem habentes, oves Domini de tam immani profundo, quo ab humani generis inimico submersas et retentas iacere conspiciebamus, abstrahere, atque ad superna relevare possemus: ut de illorum simul salute par apud retributorem omnium Deum pro communi certamine meritum haberemus. Sed ecce neglecta pastoralis officii cura, postposito divini timore iudicii, cum illis, quos aut corrigere et ad viam veritatis revocare, aut eos quasi gregem morbidum tot disciplinae salubris verberibus castigatum, salutem propriam nolentem recipere, vitare, atque de medio eorum, sicut iam olim tibi ex divina auctoritate praecipimus, exire de-

(1) Hoc a. 877 Paschatis festum in die 7 m. aprilis incidit.

bueras; nec amplius cum praevaricatoribus et consortium infidelium habentibus habitare praesumeres, ut, tuae devotionis sinceritate manifestius apparente, reverentiam tuam, quam sacerdotii summi decoravimus infulis, in societate corporis Christi nobiscum haberemus coniunctam. Nos enim assidua quamvis corporis incommoditate tunc detenti essemus, volentes Neapolitanam civitatem, ceu populum Domini et oves pascuae eius nobis in ipso apostolorum principe commissas, cum omni devotione salvare, non recusavimus laborem; quin potius posuimus animas nostras in manibus nostris, dominicaque voce admoniti venimus confirmare illos in beneplacito Dei, ceu fratres et ut filios carissimos coram Domino adiuvare; sed obdurato ipsi corde, nostras preces et monita recipere, atque, ut aspides surdae, audire despexerunt; teque secundum eorum votum et desiderium antistitem, quod non merebantur, ordinare non praetermisimus, multis super hoc aliis, et etiam bonis promissis, si nostrae voluntatis desiderium devota mente complessent. Nunc autem vel illis incorrectis existentibus, et ad percutientem se redire nolentibus, vel tibi cum ipsis habitanti, et idcirco a divinis omnibus cum eis pariter sequestrato; quo pacto antequam resipiscentes ad viam salutis et iustitiae revertamini parcere, aut a nexu ecclesiastici vos iudicii valemus absolvere? Absolvite ergo vos prius colligationes impietatis, et foedus impium, quod cum inimicis Christi habetis compositum et nos illico misericordiam, quam Deus noster ecclesiae suae in Spiritu sancto dedit facere posse, nullatenus vobis iam conversis tribuere omittemus; nam sicut vere satisfactionis confessoribus parcendum est, dicente Domino: *Cum conversus ingemueris salvaberis et, adhuc te loquente, dicam, ecce adsum;* ita vero in scelere impio manentibus miserendum non est; quoniam misericordiam aliquam vobiscum ante fructum dignum poenitentiae facere omnino nequivimus, eo quod misericordia sine controversia quaeri debet, ut salus sit disciplinae; nam dicente sancto Gregorio: *Saepe pietas per immoderatam misericordiam errare solet, si fortasse pepercit, quae parcenda non sunt; peccata enim, quae feriri gehennae ignibus possunt, disciplinae sunt verbere corrigenda; sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad aeternum supplicium pertrahit.* Unde vobis resipiscentibus, ne in futuro peccatis, parcere optamus. Praeterea, si frater tuus, Neapolitanorum videlicet dux, per suos idoneos legatos nobis optata, et ea, quae oportet, veraci relatu perficienda direxerit, eos gratissime recipientes, quidquid relatione sagaci retulerint, perficere pro ecclesiae Dei utilitate atque salute procul dubio parati erimus. Age igitur et desudare pro communi prosperitate, imo pro salute tua et civium tuorum non desistas, arguens, obsecrans et increpans cum omni imperio, ut labor tuus fructum desiderabilem in domo Domini, pro quo digne remunereris, afferat. Data *ut supra.* (a. 877).

9. *Commendat zelum fidei, quem ostenderat adversus Sergium ecclesiae Dei hostem; hortatur, ut in dies magis pro ecclesiae sibi commissae defensione laboret: Petrum diaconum ei commendat.*

(Ex eodem *Regesto* n. 66 ap. Mansi, *Coll. Concil.* XVII, c. 56.)

Reverendissimo et sanctissimo Athanasio episcopo sanctae ecclesiae Neapolitanae, dilecto confratri nostro, *(Ioannes PP.)*

Innumeras gratiarum actiones vestrae Deo dilectae agimus almitati, dignisque apostolico vos ore laudibus prae ceteris merito collaudamus; quoniam secundum Domini vocem dicentis: *Si oculus tuus vel manus tua scandalizat te, erue eam et projice a te*, fratrem tuum erga ecclesiam Dei impie agentem et circa Dominum non recto itinere gradientem, velut secundum Holophernem, sancta Christi Dei nostri ausu temerario impugnantem, et haeredidatem patriam more sacrilego persequentem, tanti honoris regimine indignum iudicans, ultionis divinae percutere iaculo studuisti: nec pepercisti carni tuae propter Dominum dicentem: *Qui diligit patrem aut matrem aut fratrem plusquam me, non est me dignus*, in quo nimirum vos Deo per omnia dignos fore cognoscimus, quia membrum corporis tui multo contagio foetens libenter abscindere, proculque abiicere sanctitas tua fideli devotione curavit, et quia nuncusque viris saecularibus secundum se, et non secundum Deum in urbe Neapolitana principantibus, multa scandala et perturbationes multas, homicidia et oculorum erutiones intra eam, vel foris peragentibus dignum Deo de his iuste iudicante peractum est, ut iniqua iam cessaret dominatio, finem haberet peccatum et consurgeret vir de domo Domini, qui timorem Dei prae oculis habens regat populum Christi in omni iustitia et sanctitate, in omni veritate et mansuetudine, ut pastor idoneus, et non velut mercenarius deserat et disperdat. Et ideo ea, quae vestrae dignitati vel honori congrua ac necessaria sunt, perpetua nihilo minus stabilitate confirmamus, tantum ampliori nunc studio curaque multiplici pro defensione sanctae Dei ecclesiae tibi commissae stare ac desudare, quatenus salva securaque consistat, ut procures his nostris apostolicis prudentiam vestram exhortamur apicibus. Nos namque, aliis omnibus mancosis datis, mille quadringentos vobis dare debemus, quos vestrae dilectioni aut initio quadragesimae, aut in die sanctae resurrectionis vobis procul dubio dirigemus. Porro hunc Petrum venerabilem diaconum vestrum, quia eum vestrae ecclesiae, et civitati Neapolitanae in omnibus fidelem esse cognoscimus, vobis in omnibus commendamus et pro nostro eum amore benigne semper retinere dignemini. Data *ut supra* (mense novembri, indictione decimaprima, a. 877).

10. *Laudat eos, quod zelo divino accensi Sergium a se abjecerint et Athanasium episcopum suae reipublicae rectorem elegerint: praecipit, ut ei pareant, offerens se una cum ipso eorum commodis consulturum.*

(Ex eodem *Regesto* n. 67 ap. Mansi *Coll. Concil. XVIII*, c. 56).

Omnibus eximiis Iudicibus et universo populo Neapolitanae civitatis *(Ioannes PP.)*

Quanta verae fidei devotione circa Deum creatorem et salvatorem mundi, atque erga ecclesiam Christi ferveatis, luce clarius ecce cognoscimus, cum tantae impietatis virum, perditionis scilicet filium et totius iniquitatis vas vobis inique dominantem, Sergium nempe Magistrum militum, secundum videlicet Holophernem, zelo repleti divino abiicere, ac velut membrum foetidum a corpore Christi abscindere, proculque abiicere studuistis, secundum Domini praeceptum dicentis: *Si oculus tuus vel manus tua scandalizat te, erue eum et projice a te*: et quia, illo abiecto, pastorem et episcopum animarum vestrarum, Atha-

nasium videlicet dilectum confratrem et unanimem filium nostrum habere Iudicem elegistis, innumeras vestrae dilectae prudentiae et unanimitati gratias agimus, quoniam, sicut Dei ministri, iram Domini exercituum, quae iam meritis imminebat illius, in eo ulcisci procurastis, qui nimirum multa et inaudita mala plusquam omnes patres suos in civitate Neapolitana et in finibus nostris nequiter facere non dubitavit, cum innumeram hominum multitudinem, infantum et mulierum catervam gladio, fame atque captivitate crudeliter peremisset. His igitur nostris apostolicis literis nobilitatem vestram, filioli mei, monemus atque hortamur, ut praefatum Athanasium, confratrem nostrum, venerabilem episcopum vestrum, sicut divina inspiratione docti loco rectoris habere elegistis, fideli mente ac devotione cum omni honore habere studeatis: quoniam nos cum illo in omni vestro adiutorio, in omni vestra utilitate prompti existimus, parique voto vos adiuvare desideramus, tantum state viriliter obedientes illi in omnibus, velut filii carissimi. Porro quia, iam aliis omnibus datis mancosis, mille quadringentos vobis dare debemus, ne turbemini: quia eos vel in initio quadragesimae, vel in die sanctae resurrectionis vobis procul dubio dirigegemus. Vos tantum, ut filii carissimi, adversus infideles et communes inimicos totis viribus pro defensione ecclesiae Dei desudare satagite, quatenus et Dei gratiam, et nostram semper benedictionem habeatis. Bene vos optamus in Domino. Data *ut supra* (a. 877).

11. *Ut sibi indicet locum, ubi simul possint de communis patriae salute colloqui.*
(Ex eodem *Regesto* n. 139 ap. Mansi, *Coll. Concil.* XVII c. 110.)

Reverendissimo et sanctissimo dilectoque confratri et consiliario nostro Athanasio episcopo sanctae Neapolitanae ecclesiae *(Ioannes PP.)*

Scientes vos procul dubio fideles in omnibus, atque devotos esse sanctae sedi apostolicae, nostraeque paternitati totis praecordiis nostris fraternitatem vestram oppido diligimus et amamus: quamobrem pro multiplicibus instantis temporis necessitatibus atque communibus utilitatibus vobis cum speciali praesentia loqui cupimus; quatenus vestro consilio communique tractatu ea, quae necessario sunt consideranda perspicaciterque tractanda, salubriter, Domino annuente, ordinare statuereque possimus. Quoniam nostrae ac vestrae terrae salutem, totius videlicet populi pretioso Christi cruore redempti, pastorali dumtaxat more desideramus perficere; et idcirco, ut pertinax inimicorum comprimatur audacia, vobiscum pariter cupimus convenire. Quapropter volumus, ut locum etiam nostrae collocutioni, quem aptum esse cognoscetis, nostro praesulatui vestris sub celeritate significetis apicibus. Quia nos, Deo propitio illuc sine mora properare, et una vobiscum alacriter loqui non praetermittemus. Data *ut supra* (III nonas martias ind. XII, a. 878).

12. *Commendat ejus erga se observantiam; de suo incolumi reditu certiorem ipsum facit; hortatur ad perseverentiam, donec simul convenient.*
(Ex eodem *Regesto* n. 161, ap. Mansi *Coll. Concil.* XVIII. c. 111).

Reverendissimo et sanctissimo Athanasio episcopo Neapolitano *(Ioannes PP.)*.

Quia non solum tuis praecipue actibus, quibus devotionem sanctitatis tuae circa nos

fidelissimam ostendisti existere; verum etiam nobis longe pro Ecclesiae statu manentibus, modo eam illibatam in omnibus conservaveris, fidelium nostrorum relatione didicimus. Quamobrem dignas tuae dilectionis referimus grates, innotescentes sane nostri praesulatus reversionem, iuxta desiderium tuum esse, Deo favente, prosperam atque incolumem. Ideo more apostolicae paternitatis almitatem tuam monemus cum apostolo dicentes: *Confortare in Domino et in potentia virtutis eius, quoniam fidelis est Deus, qui non deseret sperantes in se tentari supra quam possunt, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Tua igitur reverentia in his instantis adversitatis casibus aliquatenus non frangatur; quin potius in Deo confidens, roborata consistat; donec, Christo adiuvante, nos vobiscum speciali praesentia iuncti simul loquamur. Quia tunc, Deo permittente, cuncta, quae necessario statuenda sunt, communi eloquio atque consensu pertractata provenire credimus in salutem. Tamen nostrae voluntatis affectum per Petrum venerabilem diaconum tuum communemque fidelem tuae dilectioni innotescendum mandavimus, quoniam te quasi proprium filium diligentes in omnibus nostris volumus habere consortem. Data *ut supra* (III nonas aprilis, indictione decima secunda, a. 879).

13. *Eiusdem argumenti.*

(Ex eodem *Regesto* n. 162, p. MANSI *Coll. Concil.* XIII, c. 111).

Reverendissimo et sanctissimo Athanasio episcopo sanctae Neapolitanae ecclesiae *(Ioannes PP.)*.

Multas gratiarum actiones atque salutes almitatis vestrae his nostris apostolicis referirimus literis; quia nobis pro communi utilitate longe consistentibus, quasi praesentibus sinceritatem devotionis et fidei vestrae circa sanctam Romanam ecclesiam, matrem vestram, nostrumque pontificium, atque circa fideles nostros promptam in omnibus ostendere procuratis. Quamobrem nulla inimicorum versutia, vel calliditas vos a bono mentis proposito in aliquam sinistrae cogitationis aut voluntatis partem inclinet; sed sicut coepistis, perficere omnimodo satagite; quia et meritum et condigna retributio vobis, Christo favente, proveniet. Nam licet inimicorum nos praepediente fraudolenta nequitia, non omnia, quae volebamus, ex toto potuissemus perficere; nunc tamen, annuente Domino, quod ad honorem sanctae Dei ecclesiae, et istius terrae salutem, vestramque defensionem pertinet, iam coeptum habemus, credimus nos incunctanter acturos. Proinde hortamur nihilo minus et monemus dilectionem vestram, ut, sicut hactenus, ita deinceps viriliter ac firmiter consistatis, donec speciali praesentia adiuncti simul loquamur; et pro communi salute pariter laborantes, totis conatibus desudemus. Quoniam velut carissimum te filium retinere cupientes, benigne amplectimur, et tecum in omnibus congratulari feliciter cupimus; quia, ut dictum est, pro certo scias te dignam a nobis compensationem esse procul dubio recepturum. Hunc vero diaconum tuum, qui pro tuo amore in nostro servitio tanto tempore fideliter mansit, sanctitati vestrae in omnibus commendamus, ut dignum a vobis recompensationis honorem percipiat. Data *ut supra* (a. 879).

14. *Praecipit, ut foedus cum Sarracenis ictum rumpant quod nisi kalendis Decembris fecerint, eis excommunicationem minatur. Pulcarum monet, ne Pandenulfo Capuano judici molestiam inferat.*

(Ex eodem *Regesto* n. 227 ap. MANSI, *Coll. Concil.* XVII, c. 169).

Athanasio episcopo Neapolitano, Petro episcopo seu Pulchari praefecturio Amalfitano, episcopo Caietano seu Docibili et Iohanni, gloriosis hypatis *(Iohannes PP.)* a paribus.

Pudet, ut ita dixerim, pontificium nostrum vos iam commonere super hoc, quod tam multoties a nobis commoniti resipiscere noluistis, et cum Deo odibilibus Sarracenis habitum pactum dissolvere hactenus contempsistis (1). Verum quia quanta crudelitatum genera ac desolationum terrae istíus calamitatum nimis ex hoc mala lugenda provenerint atque proveniant, exaggerare differimus, ne interim, quod dignum est iudicare cogamur. Adhuc obsecramus, adhuc, sicut spiritales filios, exhortamur, et paternis visceribus vos amplecti conantes, Dei ac principum apostolorum Petri ac Pauli auctoritate praecipimus, ut iamiamque disciplinam percipientes ab eisdem iniquis et ancillae filiis Sarracenis vos separetis, et pactum cum eis habitum modis omnibus dissolvatis, si vel nostrae communionis, vel ipsius Christianitatis vultis esse participes; in quos iam daremus ecclesiastici mucronis sententiam, nisi nos apostolica patientia retineret. Idcirco vobis inducias usque kalendas Decembrias istius tertiaedecimae indictionis ad idem pactum cum Sarracenis frangendum largimur; et tam vos, quam Caietanos atque Amalphitanos lucrari volentes, si usque ad idem tempus omnem Sarracenorum amicitiam, nec non et omne foedus dissolvere solicito contempseritis, utrosque sententiae ecclesiasticae iaculis feriemus, et perpetuo anathemati submittemus, ut qui socii disciplinae esse non vultis, communionis quoque nostrae non sitis participes. *(Additur aliquid in epistola ad Pulcharem, quod heic omittitur).* Data 12 kal. decemb. ind. XIII. (a 879).

15. *Commendat eius erga sedem apostolicam observantiam; hortatur, ut sicut promiserat, pactum cum Sarracenis ictum frangat. Amalfitanos per legatum suum ea de re admonitos, si parere neglexerint, excommunicandos significat.*

(Ex eodem *Regesto* n. 241 ap. MANSI, *Coll. Concil.* XVII. c. 177).

Reverendissimo et sanctissimo Athanasio episcopo Neapolitanae ecclesiae *(Ioannes PP.)*

Sanctitatis vestrae devotionem semper in omnibus circa sedem apostolicam, et nostram paternitatem sinceram atque praeclaram esse cognovimus; quod etiam et praesentis legationis vestrae tenore inspecto, nobis est luce clarius manifestum. Quamobrem his apostolatus

(1) In alia ep. quae verisimiliter hanc praecedere debuit, et cuius fragmentum in IVONE Carnotense (P. I, c. 98) legitur, idem Iohannes VIII. PP. Neapolitanis, Salernitanis et Amalphitanis scribit sic: " Conscientiae vestrae in Christo dilectionis iuste diiudicet; quantum Christo aversi sunt hi, qui cum eius infidelibus contra prohibitionem Pauli tanti apostoli pollutam foederis ineunt unitatem. Cum enim regis rebellionibus quocumque participio coniunguntur, pariter maiestatis criminibus obnoxii iudicantur parique sententia condemnantur; quantum a corpore Christi probantur extranei, qui eius hostibus foederati membra ipsius tanto perniciosius lacerant, quanto vicinius ecclesiae Dei colliminant ? MANSI, *Coll. Concill.* XVII, c. 243. — PP., si recte video, constitutioni impp. Arcadii et Honorii (l. 3, Cod.Theod. IX, 14) alludit.

nostri literis multiplices almitati vestrae gratias agimus, paterno vos affectu monentes, ut iuxta indultum vobis officium in his, quae Dei sunt et ecclesiae Christi utilia, toto conamine desudare non desinatis; ac sicut nobis per legatos vestros mandastis, quod sive ruperint Amalphitani pactum cum Sarracenis, sive non, vos omnino frangetis, volumus ut indesinenter id agere studeatis. Nam et missum nostrum, Dominicum (1) videlicet, venerabilem episcopum, illuc direximus, eos admonentes, ut patienter nostram in hoc perficiant voluntatem; quod, si ipsi nostram in hoc fuerint voluntatem sequuti, habeamus eos complices et amicos; sin autem, velut exteros inimicos non solum visibili, sed etiam invisibili gladio pariter persequamur, ut et a nobis et ab omnibus Christianis perpetuo digni odio habeantur. Nam et per praefatum missum nostrum Dominicum episcopum eos obaudire nolentes praesentialiter excommunicare praecepimus, ac postmodum nos ipsi digno anathemate feriemus. Vos igitur estote nobiscum, et pactum iniquum corrumpite; quia et nos vobiscum in omnibus erimus; et quod iam dare promisimus, auxiliante Domino, annis singulis vobis procul dubio tribuemus. Quia si vos foedus cum Sarracenis non habueritis, nil, Domino iuvante, de Amalfitanorum perfidia curabimus, quos videlicet gladio poterimus spiritali persequi, et facile humiliare. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Datam. . . . . indictione decimatertia (a. 879-880)

16. *Arguit eum, quod non fregerit foedus, quod cum Sarracenis fecerat, cum promiserit illud rumpere; ostendit multa mala ejus causa a Sarracenis Christianis fuisse inflicta: minatur illi excommunicationem, nisi foedus illud rumpat.*

(Ex eodem *Regesto* n. 265 ap. Mansi, *Coll. Concil.* XVII, c. 196).

Athanasio episcopo Neapolitano *(Iohannes PP.)*

Iam quia te lactantium, et ab ipsis cunabulis educantium sanctae matris tuae Romanae ecclesiae oblitus es uberum, vel nostrae benevolentiae non debueras oblivisci, quam tibi paternaliter exhibentes et salutis tuae consulta praevidimus, et in temporalibus commodis iuxta qualitatem temporis praesidia quaeque contulimus. Et quoniam cooperatorem nostrum in his, quae Dei sunt, te habere volumus, nimisque tuam sanctimoniam diligimus, monemus, ut vel nunc ad cor redeas, ut prava quaeque iuxta tuum ministerium diluas, et inimicorum Christianorum nominis foedus execrando devites; quatenus et animae tuae lucrum acquiras, et nostris magis ac magis affectibus perfrui valeas; et blasphemiis ac maledictionibus reliquiarum populi Christiani, divinitate propitia, careas. Memento quaeso quid es; memento, quid, si non resipueris, eris; et iudiciorum Domini memor esto, ne pro tantis Deo rationem reddere cogaris, quanti per tuam desidiam interempti sunt, et captivi ducti diversis mortibus perierunt. De quorum crudelitate quid dicere possumus? Cum tanta hinc flenda sint et lugenda, ut si scribere velimus, et lacrymarum rivuli

(1) Cuius sedis hic fuerit episcopus nescio. Vixit equidem hoc tempore Dominicus quidam ep. Triventinus, qui concilio Romano a. 879 interfuit et subscripsit. (Cf. Mansi, *Coll. Concill.* XVII, c. 362) Vixere et alii; sed nihil habeo, unde illum aut aliquem quemque ex his praecipue a Iohanne PP. heic memoratum fuisse dicam.

crescent et primum charta quam verba deficient. Denique apud Caietam olim nobis necessario constitutis, legati tui promiserant, ut intra spatium viginti dierum non solum cum Agarenis habitum pactum dissolveres; verum etiam Sarracenos caperes, et nobis eos transmitteres; sed ecce, quod promissum est, fide hactenus caruit, et omnium sponsionum tuarum dicta cassata sunt, et, ut apparet, frustrata. Unde sicut diximus, cesset iam, cesset haec immanissima pestis, ut reliquiae Christianae funditus non depereant, et tu animae tuae dispendia non incurras, quia si populo Dei compassus fueris, et Deum tibi propitium facies, et nostram paternitatem solito more percipies, et ministerium tuum custodies; alioquin non solum nostra tibi non dimittemus, sed etiam canonicam in te sententiam iuxta nostrum ministerium iaciemus. Sed et hoc nostri apostolatus auctoritate monemus et excommunicando modis omnibus interdicimus, ut quia *ecce tempus acceptabile est*: *ecce nunc dies salutis*, nullam seditionem, nullam commotionem, nulla discrimina, vel laesionem cum his, qui in Berolassi commorantur, aut facias, aut facientibus omnino consentias, quatenus pacem sectando, ab omni nequitia purgatus, munus Deo immaculatum offeras; et caritatem Dei in tuo vase diffusam cohabitare permittas; quia nos, quibus de omnibus cura est, Deo iuvante, congruenter illuc properabimus, et inter vos, te potissimum cooperante, pacem et amicitiam reformabimus. Data pridie idus Martii Indictione decimaquarta (a. 881).

17. *Athanasium Neapolitanum episcopum, qui saepe monitus, numquam, sicut promiserat, foedus cum Sarracenis ictum rumpere voluit, a se cum omnibus ei consentientibus excommunicatum significat.*

(Ex eodem *Regesto* n. 270 ap. Mansi, *Coll. Concil.* XVII, c. 200).

Omnibus episcopis Caietam, Neapolim, Capuam, Berolassim et Amalphim, Beneventum et Salernum incolentibus a paribus *(Iohannes PP.)*.

Quae et quanta ab Athanasio Neapolitano episcopo Christi ecclesia patiatur adversa, optaremus vobis non esse dicturos, nisi essent supra modum gravia. Ecce enim, ut ipsi iam ex maxima parte non ignoratis, ad perditionem totius Christianitatis a multis retro temporibus cum filiis Hismael et Deo scilicet odibilibus Sarracenis pactum faciens, omnem istam terram ita ad nihilum redegit, ut iam non sit, qui eam prorsus inhabitet. Super quo scelere eum saepissime commonuimus, et corpori nostro omnimodo non parcentes, usque Neapolim properavimus, multumque argenti ei contulimus, et rogavimus, ut ab eorum se societate divideret, ut tandem aliquando resipiscens, tantam pestem deleret. Qui ut ita dixerim, importunitatem nostram licet ficte non tolerans, promisit se ita esse facturum et pactum cum Sarracenis habitum soluturum, sub ea dumtaxat conditione, ut si deinceps hoc malo quocumque modo misceret et sacerdotio esset privatus et anathemati subiaceret. Sed heu! pro turpis lucri commodo, quod ipsis Sarracenis de praeda eorum partes recipiendo, huius promissionis oblitus, noluit adimplere quod multis coram positis, scriptis et verbis promisit. Rursum nobis non modici argenti adauctis ponderibus, et apud Caietam pervenientibus, per suos legatos ei mandavimus, ut si

intra triginta dierum spatia cum Sarracenis habitum foedus non rumperet, aut ea, quae nobis tergiversando abstulerat, non retransmitteret, nostro iudicio iterum sententiam, quam ipse in se pertulit, prorsus exciperet; sed tam varia iuramenta, quam absolutas promissiones postponens, nos de die in diem delusit; et foris omnibus dissipatis, intus vero per suam calliditatem multis nostris ablatis, hactenus nec cum Sarracenis habitum pactum dissolvit, nec reliquiae Dei populi voluit misereri. Quin potius cum ipsis conversans de ipsis malis in peius crevit, et Dei mandata contemnens, sacerdotii etiam sui oblitus, non solum similis illis effectus est, sed etiam in multis deterior. Huius rei gratia apud beatum Petrum apostolum synodice in eum sententiam protulimus, et cum omnibus sibi consentientibus sive faventibus, omni ecclesiastica communione sub anathematis interpositione privavimus. Modus autem excommunicationis hic est: Athanasium Neapolitanum episcopum saepissime admonitionibus et multis argenti ponderibus datis, ut pactum cum Sarracenis habitum disrumperet, admonuimus. Ille autem idem pactum se omnimodo soluturum, et ab eorum societate separaturum esse promittens sub ea conditione, ut si denuo cum illis quolibet modo foedus habuisset, omni esset sacerdotali honore privatus, et anathematizatus; sed haec omnia parvipendentem, et ad perditionem Christianorum cum eis pactum habentem, et nos saepissime deludentem et de praeda eorum partem recipientem, iudicio et auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri ac Pauli, simul et nostra, cum omnibus sequacibus suis, et omni ecclesiastica communione privamus: et quousque se ab ipsis Sarracenis penitus separaverit, velut totius Christianitatis inimicum anathematizamus. Data mense Aprili, Indictione decimaquarta (a. 881).

18. *Ab excommunicatione eum absolvit et ministerio sacerdotali restituit, dummodo pactum cum Sarracenis initum, sicut promiserat, rumpat, et ex eis aliquos, ceteris iugulatis, captos mittat, nec deinceps cum eis foedus feriat.*

(Ex eodem *Regesto* n. 294 ap. Mansi, *Coll. Concil.* XVII, c. 215.)

Athanasio episcopo Neapolitano *(Iohannes PP.)*.

Boni pastoris eximio informati exemplo, qui venit quaerere et salvare quod perierat, tanto tempore te per devia errantem, abiecto Christi levi iugo, cum infidelibus iugum obscaena cupiditate ducere non dubitantem, quamvis sero ad te percutientem reverti velle mandasti, alacriter recipimus, et inter ceteros consacerdotes nostros praecipue honorabilem cupimus retinere; prout ipse nos iam olim fecisse procul dubio reminisceris. Sed quia tua exigente sceleris tanti audacia, sancti Spiritus iudicio te a consortio nostro divini mysterii iure submovimus; nunc secundum preces tuas, et relationem Petri venerabilis diaconi tui, si modo pactum, quod hactenus cum impiis Agarenis habuisti, manifesta devotione fregeris et ab eorum nequissima societate toto conamine te separaveris, atque si praesentibus his missis nostris, Marino videlicet reverendissimo episcopo et sanctae sedis nostro archario, et Siconi egregio viro, maiores Sarracenorum, quantos melius potes, quos nominatim quaerimus, cum aliis omnibus ceperis; et iugulatis

aliis, eos nobis direxeris a vinculo excommunicationis absolvimus, et iuxta praecedentem consuetudinem episcopale officium reddimus. Eo scilicet modo vel tenore, ut captis et traditis antea, ut dictum est, Sarracenis, deinceps nullum cum eis ulterius foedus quoquomodo inire praesumas. Nam si cum illis iterum pactum aliquod facere tentaveris, in eadem te excommunicatione manere sancimus; et auctoritate Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis et nostra, omni episcopali honore te privandum, et perpetuo anathemate damnandum esse decernimus. *Data m.* . . . . (1) indictione decimaquinta ?

19. *Gregorius VII. PP. scribit Iohanni archiepiscopo neapolitano, ut magistrum militum, ac ceteros Neapolitanos a Iordani, principis Capuani, qui anathematizatus fuerat, societate avertat.*

(Ex *Regesto* eiusd. PP. L. IX, n. 26, ap. MANSI, *Coll. Concil.* XX, c. 359).

Gregorius episcopus servus servorum Dei I...... Neapolitano archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorat prudentia tua nobis imminere, ut omnibus et ubique salutaria consilia provideamus, et monita vel interdicta, prout res postulare videtur, cunctis exhibere debeamus. Praeterea non latere te volumus ex quo charissimus noster, Salernitanus princeps noviter rediit, nos, ut nobilissimum Magistrum militum et maiores atque minores vestrae urbis quodammodo specialiter coepisse diligere. Unde modo valde magis dolemus quia eos auxilium dare hominibus pravis, et ab ecclesia atque Deo separatis, audivimus. Nam relatum est nobis, quod Iordano, qui scienter periurus beato Petro et nobis et ob hoc anathematis nodis ligatus est, adiutorium faciant. Quae res illos procul dubio et a gratia beati Petri alienos, et dilectione nostra indignos efficit; et, nisi resipiscentes desinant, aeternis poenis obnoxios reddet. Proinde fraternitati tuae praecipimus, ut praefatum Magistrum militum omnesque tibi commissos admoneas, et pontificalis censurae disciplina prohibeas et interdicas, ut tam a praefato Iordano, quam a ceteris illius complicibus sese abstineant, illique nullum prorsus auxilium tribuant. donec beato Petro satisfecerit, quem periurio abnegavit. Si quis ergo nec consiliis tuis, nec praeceptis nostris, nec auctoritati beati Petri obtemperans in fidelitate vel adiutorio illius mortuus fuerit, pro illo certum est non esse orandum; et nos etiam iubemus, ut nec sepulturae christiano more commendetur. Timendum quoque est ne, si ab illo animum non revocaverit, divinae ultionis iram ipse locus vester experiatur (2).

(1) Epistola nullam iu Regesto chronologicam notam habet, neque, ut alias, ad aliquam antecedentem provocat. Sed ex illis litteris, quae ante et post eam positae sunt, ac m. iulio ind. XIV (a. 881) vel m. augusto ind. XV (a. 882) datae leguntur, ipsam inter haec tempora coercendam esse patet.

(2) In *Regesto* desunt notae chronologicae. At epistola, ut IAFFÈ *O. c.* p. 440 suspicatur, ad a. 1082 amandanda est.

II

DOCUMENTA QUAEDAM AB a. 763 AD a. 882.

1. *Summarium instrumenti a. 763 confecti, quo Eufrosina abbatissa monasterii Ss. Marcellini et Petri dat in emphyteusim Stephano consuli, eiusque heredibus domum quamdam cum horto in civitate Neapolis, in regione Portenovensi, iuxta bona Theodonandae relictae Sergii ducis ac Gregorii imperialis spatarii ac item ducis.*

(Ex CHIOCCARELLIO, *Antist.* p. 77 et *Notam. monast. S. Marcellini Mss.* p. 210)

Imperantibus dd. nn. piissimo Constantino a *Deo coronato* (1) *m. i. a.* 45 et post eiusdem (2) tranquillitatis *(sic in Ms.)* a. 45, sed et Leone porfilogenito *(porphyrogenito)* a Deo gubernato *(sic in Ms.)* m. i. eius filio a. 12. die primo m. martii ind. 1. Eufrosina ven. diacona et abbatissa monasterii sanctorum Marcellini et Petri (3) in emphyteusim atque annuum canonem auri solidorum octo concedit Stephano eminentissimo consuli, eiusque coniugi, ac filiis et nepotibus usque ad tertium gradum, ac tertium heredem et tertiam personam dumtaxat domum quandam cum horto in hac exsplendidissima *(sic in Ms.)*, et a Christo dilecta civitate Neapolis positam, in platea, que ad Moneta (4) dicitur, in regione Portenobensi prope oratorium sancti Renati, ac bona hereditatis q. bone memorie Matrone, que in urbe Roma morabatur, filie q. bone memorie Theodonande eminentissime femine, relicte q. d. Sergii (Georgii *Prat.*) ducis, iuxta bona d. Gregorii eminentissimi consulis, imperialis exspatarii *(sic in Ms.)*, ac ducis ac iuxta hortum iuris sancte Romane Ecclesie, quam tenet Gregorius Neapolitane ecclesie notarius, ac prope domum iuris ecclesie Ravennatis, quam tenet Stephanus negociator. Insuper iurant utreque partes omnipotentis Dei nomen, Trinitatem inseparavilem; et sacrosanta Christi quatuor evangelia, sanctamque sedem apostolicam, et salutem piissimi, et tranquillissimi domini nostri Constantini et Leonis a Deo coronatis magnis imperatoribus, vitam palleumque et beatissimi et coangelici nostri Pauli summi pontificis, et universalis papae, vitamque praecellentissimi a Deo servati domini nostri Antiochi excellentissimi patricii et protostratigi. Actum per Anastasium diaconum S. N. E. *(In Notam. S. Marcellini additur notitia exempli posterioris sic):* Actum per manus Bernardi primarii Curie huius civitatis Neapolis, et Cesarii tabulari eiusdem Cu-

(1) Verba, quae cursivo caractere exhibeo, in exemplo, quod auctor dictorum *Notamentorum* in compendium redegit, quia forte in autographo ob vetustatem deleta evanuerant, desunt; sed ex aliis huiusmodi documentis facile suppleri possunt.

(2) Ita aliquando his temporibus byzantini imperatores, formula *post consulatum* abiecta, epocham, ex quo imperio soli successerant, in chartis denotare solebant.

(3) De hoc monasterio et de oratorio S. Renati, quod infra memoratur, pluries in *Regest. Neap.* deinceps sermo erit.

(4) Ex ecclesia S. Mariae *ad monetam*, cuius memoria extat in instrum. aa. 1026 et 1127 (V. *Regest. Neap.*) confectis, atque ex *Actis Visit.* aa. 1542 et 1598, ubi ea *in pendino S. Severini* vel *S. Marcellini* posita dicitur, *plateae* huius situs facile agnosci potest.

rie impp. dd. nn. Alexio m. i. a. 24 sed et Iohanne porfilogenito eius filio m. i. a. 13 die 27 m. martii ind. XIII (a. 1104).

2. *Instrumentum* (1) *a. 839 Caietae confectum, quo Constantinus, ypatus, filius Anatolii comitis, promittit dare annuatim Helisabet, sorori suae, et Theodosio praefecturio Neapolis, nepoti suo, modia decem et medium grani, tracta usque ad portum Neapolitanum pro duobus casalibus sibi ad administrandum creditis* (2).

(Ex *archivo Casin.* Caps. LXX, fasc. I, n. 22)

Exempla (3).

❄ In nomine domini dei salvatori nostri ihesu christi imperante domino nostro piissimo perpetuo agusto (4), theophylo a deo coronato, magno pacifico imperatore, anno nonodecimo et post Eiusdem tranquillitatis anno nono, mense hoctuvrio indictione tertia Kaieta. Ideoque ego constantinus ypatus filius anatolii comitis, havitator autem huius castri Kaietani, repromittere et repromitto, spondere et spondeo nullo quogentem neque contradicentem aut bim facientem, set proprie volumptatis arvitrio, vobis helisavet de ? gloriose femine sorori mee, seu domino theodosio magnificus nepoti nostro, pro ipsos duos Casales, qui nuncupatur, vivarius et faonia, quot mihi per chartula concedere visi estis, unde promitto vobis per hanc mea promissionem, ut per hunum quemque annum vobis pensionem dare deveam pro ipsos duos casales supranominatos, hidest vivarius et faonia, quamque simulque mei heredes posteris successores vobis vestrisque successoribus, hidest granum modia decem at modium iustitialem, et dirigere eos deveamus usque in portum neapolim; per unumquemquem annum absque impedimento aut aliqua vobis mittendo hoccasionem; tamen si minime facere ego qui supra Constantinus ypatus, aut meis heredes ex ea que superius a nos promissa leguntur, aut in aliquit offenderimus absque impedimento summi pontifici, ut nobis aliqua solita hoccasionem non faciendo, dum clare sonuerit, ex eam de ipsos casales et componere mecum, meis heredibus vestrisque heredibus et vobis presentibus promitto ante omnem litis initio auri livra, huna et post soluta pena presens mea promissio firma permaneat. Unde iuratus dico ego qui supra Constantinus ypatus per dei omnipotenti virtutem, sanctamque sedem apostolicam, salutem geniumque a deo coronati domini

(1) Huius documenti notitiam iam dedit p. d. Ioh. Baptista Federici, casinensis, in opere quod inscribitur: *Degli antichi ipati e duchi della città di Gaeta*. Nap. 1791 in 4° p. 86.

(2) Exemplum p. d. Caesar Quandel, casinensis, vir religione, studiis ac comitate praestantissimus, qui nuper bonorum omnium moerore acerbo fato cessit, a me rogatus humanissime, uti solebat, mihi transcripsit et misit.

(3) Ita Caietani tabelliones chartas a se ex autographis exscriptas denotare solebant, uti pluries Federicius animadvertit. At aliquando incertum est an ipsae eodem, quo originalia instrumenta, tempore et ab eodem notario, vel multo serius ab alio *exemplatae* fuerint. Haec autem, quam supra edo, ex ipsius docti casinensis monachi sententia, si non ab eodem Paulo presbytero et una cum autographo, certe, cum ex scripturae forma vetustissimam se proferat, eodem, quo originalis, saeculo confecta dici debet.

(4) Documentum, prout in membrana legitur, accurate typis reddere studui, interpunctionibus tantum, quibus sermo distinguitur, qua appositis vel correctis, qua omnino, utpote redundantes, ablatis; ne sensus ob notarii inscitiam saepe perobscurus, ex earum defectu vel falsitate difficilior vel obscurior fieret.

nostri theofili magni imperatoris, seu salutem domini constantini excellentissimi patricii et monastratigi, nec non et salutem domini andree eminentissimi Consuli et duci nostro (1) hec omnia, que superius a me promissa leguntur, inviolabiliter custodire atque conservare huna cum meis heredibus promitto. Quem Chartula promissionis a me facta scripta per rogos meos a paulo, venerabili presbytero sancte furmiane ecclesie, et scriva huius castri gaietani, in qua et ego pro ampliorem firmitatem manu mea propria subscripsi, et testes qui subscrivere rogavi sub stipulatione et Sponsionem sollemniter interpositum . actum Kaieta, imperatore die et indictione supradicta tertia . Exempla.

+ Εν νομινε ιησου χριστι . εγο κονσταντηνους ηπατους πρωμισι νης . ετ χαρτουλα φακτα α με . ην ελισαυετ θεωδοσιο γενερω ενους . μοδια δε γρανου δεκεμ . σικου σουπεριους λεγιτουρ . κονσενσι . μανου προπρια σουπσκριπσι τεστι σουσσκριυερε ρογαυι.

+ Εγο μαρινος οιςς κονσταντινου υπατος μανου προπρια σουπσκριπσι.

+ Signum + manus anatolii filio eius.

+ Ego gregorius Comiti in anc promissionem rogatus a constantinu ypatu testi subscripsi +

+ Ego Constantinus filius leoni Comiti . in anc promissione rogatus . a . Constantino ypato testi subscripsi , + .

+ Ego leo filius iohanni in anc promissionem . rogatus a Constantino ypato testi subscripsi.

+ Signum + manus leo nauclerius , filio basilii Comiti testi.

+ Signum + manus cristofari negotiatori filio andree testi . +.

+ Ego paulus presbyter descriptos post rovorationem omnium testium complevi et absolvi in mense et indictione supradicta tertia.

EXEMPLA.

3. *Instrumentum a. 865* (2) *in quo Theodosius, praefecturius Neapolis, cedit Constantino et Marino, ypatis Caietanis, duos casales in territorio Cornazzano, eosdem ipsos, de quibus actum in superiori instrumento* (3).

(Ex *archivo Casin.* Caps. LXV, fasc. I, n. 20)

❄ In n(4)*omine* d*omini* de*i* Sal*vatoris* n*ost*ri Ih*es*u Christi . Imperante dom*ino* *nostro* piiss*imo* perp*etuo* aug*usto* Michelio porfirogenito . a deo coronato pacifico magno victore

(1) Andreas scil. consul et dux atque magister militum (V. supra p. 79), qui hoc tempore in Caietanos, ut ex hoc instrumento patet, pene aeque ac in *populum ducatus Neapolis et Surrenti et Amalfis*, ut ex Capitulari Sicardi, quod infra lector habebit, discimus, dominium quoddam tenebat, de quo immerito dubitare videtur FEDERICIUS l. c.

(2) Hoc instrumentum ex apographo apud ab. d. Constantinum Caietanum tunc adservato, sed corrupte et absque subscriptionibus, primus omnium typis vulgavit DELLA MARRA in opere, cui titulus: *Discorsi delle famiglie* etc. Nap. 1640 p. 186. Postea eiusdem notitiam more suo dedit p. FEDERICIUS, *O. c.* p. 105.

(3) Huius membranae exemplum iam olim accepi a viro clarissimo mihique, dum fata sinebant, amicissimo, p. d. Andrea Caravita, qui plura doctrinae et eruditionis suae reliquit monumenta, maiora procul dubio daturus, nisi mors immatura tantorum studiorum fructus pessimo litterariae reipublicae damno intercepisset.

(4) Ita ego sigla, quae in membrana leguntur, litteris cursivo caractere expressis integre, ut facile intelligantur, explico.

Imp*eratore* anno vicesimo quarto. Nec non et barda felicissimo cesar anno secundo . Die quintadecima mensis ianuarii, Indictione quartadecima, eneapoli (1). Certum est me theodosium pref*ecturium*, filius quod*dam domine* heline viro laudabilis magnifici. A presenti die et tempore prumtissima volumtate cessisse et cessi atque in presenti contradidi et abrenuntiavi vob*is* dom*ino* Constantino et dom*ino* Marino, gloriosos ypatos Kastri Kaietani, hoc est genitori et filio, Idest casales, q*ui* ponuntur in infrascripto territorio Cornazzano.... tos vos tenere videmini de rebus quod*dam* dom*ine* helisabet socere mee et germane et thie vestre. Unde tu supradictus domino Constantinus ypatus promissionem factam habuistis eidem socere mee, ut ei exinde annue dare triticum modios decem . Quem et ipsam promissionem vobis spontanea volumtate reddidi et abrenuntiavi vobis ipsos Casales, qui ipsa continuit cum omnibus eius pertinentibus . Ut ab hac die et tempore in vestra vestrisque heredibus sint potestatem . Habendi tenendi cedendi donandi cōmmutandi vel quicquit exinde facere vel disponere iudicareque volueritis semper liberam habeatis potestatem . Pro eo quod accepi a vobis exinde integram meam sanationem . Et neque a me supradicto theodosio pref*ecturio* neque a meis heredibus nec umbis ? personam summissam nullam exinde habeatis molestiam aut questionis calumnie, neque vos supradictus dom*nus* constantinus et dom*nus* marinus ypatis, genitor et filius, neque vestris heredibus per nullum modum aut ingenium a nunc et in perpetuis temporibus. Quoniam confiteor me quia de hoc, ut supra, vobis cessi et abrenuntiavi, nichil aput me remansit, nisi inter nos sola gratia caritatis, que a deo diligitur . Quod si aliter agere presumpserimus de hec omnia supradicta et in aliquot offenderimus pro quobis ingenium aut ex cuntis nostris summissis personis . Hanc daturum me heredibusque meis promitto ego qui supra theodosius pref*ecturius* vobis qui supra dom*no* constantino et dom*no* marino, gloriosos ypatos, heredibusque vestris ante ingressum litis pene nomine auri libras quinque evritias (2). Et hec cessio et abrenuntiatio, ut superius legitur, firma permaneat in perpetuum . Quam cessione abrenuntiatione a nobis factam Campulo notario supradicte civitatis scribere rogavi pro indictione supradicta quarta decima (3) + Ego theodosios *(sic)* pref*ecturius* filius domni elie anc cessone *(sic)* avrenunziazionis ut supernt *(sic)* rogavi et ? or ? a me facta manu propria suscripsi et testes ut suscriberent rogavi ac *(anc ?)* sanazione me accepise. EXEMPLA.

+ Ego stefanus subscripsi.

+ Ego sergo *(sic)* naucleros ?. . . . . en *(sic)* ac cessione avrenunziazione . et *(ut ?)* super legitur rogatus a suprascripto theodosio pref*ecturio* testi suscripsi et sanazione sua confessus est percepisse.

(1) Medio aevo a quibusdam scriptoribus et notariis aliquando nostra urbs ita appellata fuit, sive quod iuxta Athanasianum biographum *novem civitatum dominatrix*, sive quod, ut Abbas Telesinus asserit, ab Ænea olim fundata putabatur. V. supra p. 138.

(2) Sic in membrana pro *obritias*, qua voce aurum probatum *ad obrussam* denotabatur. Cf. DUCANGE in v.

(3) Subscriptiones, quae sequuntur, praeter unam Stephani latine scriptam, graecis caracteribus sive potius notis exaratae sunt. Ectypum eorum, quod benevolentia et comitate p. d. Oderisii Piscicelli Taeggi , cuius summa in scripturis et figuris medii aevi vel exemplandis vel effingendis peritia ex operibus in *Bibl. Casin.* et praesertim in *Paleografia Cassinese* ab se datis iam omnibus spectatissima est, in tab. II infra reperies. Interpretationem vero, quam FEDERICIUS supra laudatus l. c. omnino desperavit, longa patientia a me tentatam supra habes.

+ Ego Ioannes pref*ecturio* filius ve*nerabilis* domni gregorii consuli in ac cessione avrenunziazione ut super legitur rogatus a suprascripto theodosio pref*ecturio* testi suscripsi et sanazione sua confessus est percepisse.

+ Ego . . . filius ve*nerabilis* domni Con? . . . . in ac cessione avrenunziazionis sicut superius legitur rogatus a suprascripto theodosio pref*ecturius* testi sumscripsi et sanazione sua confessus est percepisse +

+ Ego Campulus notarius suprascripte civitatis eneapoli post subscriptionem omnium testium complevi et absolvi die et indictione suprascripta quarta decima.

4. *Instrumentum a. 868, vel 869, quo Petrus tribunus cum Maria coniuge sua cedit abbati monasterii S. Vincentii ad Vulturnum domum cum curticella in urbe Neapolis in regione Furcillense* (1).

(Ex cod. *Barberini* f. 149 v. 150; Muratori, *R. I. S.* I, 2, 414 415)

Off. (2) Petri tribuni de neapoli

In nomine domini dei et salvatoris nostri ihesu Xristi. Imperante domino basilio magno imperatore anno IIII° (3) sed et leone et alexandro imperatoribus , eius filiis , die XX° mensis novembris, Indictione ij.ª (4). Nos denique petrus tribunus una cum Maria coniuge mea , invice mea , et invice iohannis legitimo filio meo, qui a malignis sarracenis captus est. A presenti die et tempore prompto et libenti animo dedimus atque contradidimus vobis domno maioni venerabili abbati monasterii sancti Vincentii supra fluvio Vulturno , samnia partibus , territorio beneventano, idest omnes porciones nostre in integrum de domum nostram una cum porcionis nostre de curticella ante se cum adiacentibus suis , et introituum suum, omnibusque eius pertinenciis, positis vico quam coraria (5) sego (6) furcillense, et sunt ipse porciones nostre partes duas, et reconiungitur et indivisas reducentur cum alias tres partes porcionis consortibus nostris, quod vos iam epmtum

(1) Huius instrumenti textum a Muratorio editum cum cod. bibliothecae Barberinianae a me rogatus contulit cl. vir Ioh. Baptista Beltrani.

(2) Muratorius legit *Offertorium;* at rectius iuxta stilum illius temporis legendum est, ut Beltrani autumat, *Offercio.*

(3) Ita in cod. Male Muratorius habet VII.

(4) Cum indictio secunda per haec tempora a kal. septembris a. 868 initium habuerit (nullus enim apud nos indictionis Cesareae a die 24 sept. praec. vel romanae a 1 ianuarii tunc usus); atque cum Basilius a Michaele die 26 m. maii a. 866 in imperium assumptus fuerit, absque dubio dicendum est m. nov. ind. II a. scil. 868 annum tertium non quartum eiusdem Basilii cursum habuisse. Aut igitur notarius in Basilii imperio supputando , ut quandoque a quibusdam factum fuit, a kal. septembris anni praecedentis initium sumpsit, aut librarius in alterutra ex ipsis notis signanda erravit, et vel IIII pro III i· annis imperii, vel II pro III in indictione scripsit; ita ut primo casu instrumentum ad a. 868, secundo ad a. 869 adscribendum sit. Ceterum exploratum est Chronicon Vulturnense inscitia librarii in notis chronologicis saepe falsum esse.

(5) Haec *Corarii* appellatio, quam vicus in regione Furcillense tunc habebat, diu postea, etsi aliquantulum detorta, inibi perduravit. Saeculo enim XIV. et usque ad saec. XVI. ipse *ad curale seu ad secula* sive *S. Mariae a Secula* ab ecclesia, cuius in a. 1012 memoria habetur *(V. Regest. Neap.)* dicebatur, ut ex *Actis Visit.* Annib. de Capua ego iam erui *(Visit. Cath.* fol. 416; *Paroch. mai.* f. 38). Hodie adhuc *S. Mariae ad saecula* nomen habet.

(6) Ego haud dubito quin librarius male vocem *reg.* i. e. *regione* in membrana originali scriptam pro *sego (seggio)* interpretatus sit. Haec enim vox per ea tempora omnino insolens est.

habetis et integram iamdictam domum angatinum (1) cum corticella ante sede (2) duodecim uncias apud vos, et coherentur sibi in simul de uno latere et de uno capite hortum vestrum sanctique monasterii, et de alio latere est suprascriptus vicus puplicus quam coraria, et de alio capite corticella nostra. Unde nichil nobis exinde remansit aut reservavimus, sed ipsas omnes nostras porciones, ut supra legitur, vobis et per vos in suprascripto sancto vestro monasterio concessimus et tradidimus propmtissima voluntate possidendum, et a presenti die et deinceps a nobis vobis concessas et traditas, investra potestate et vestris posteris, sanctique vestri monasterii permaneant, habendi, tenendi, sedendi, vendendi, donandi, commutandi, vel qualiter et quomodo exinde ab hodierna die facere iudicareque volueritis semper liberam habeatis potestatem; et neque a me suprascripto petro tribuno cum coniuge mea maria, neque a suprascripto filio meo, si reversus fuerit, nec a nostris heredibus nec per nos summissam personam nullo tempore numquam exinde habeatis ab hodierna die quacumque requisicionem, aut calupmniam nec molestacionem, neque tu qui supra domine maio venerabile abbas, neque posteri vestri, aut sanctum vestrum monasterium, per nullum modum aut ingenium, inperpetuis temporibus. in super et ab omni homine omnique persona nos cum heredibus nostris et suprascripto iohanne filio meo eiusque heredibus hoc ut superius vobis concessimus et tradidimus posterisque vestris sanctoque vestro monasterio in omnibus omni tempore ante stare et defensare promittimus, nulla vobis data occasione per nullum modum. Propter quod accepimus a vobis exinde in omnem decisionem seu deliberacionem, idest solidos octoginta siculorum, ut inter nobis convenit. Quod si aliter provenerit de hec omnia suprascripta, que a nobis vobis concessa sunt et tradita, seu promissa leguntur, et in aliquo offenderimus per quodbis ingenium aut occasionem, aut summissam personam, tunc daturos nos et heredes nostros promittimus nos qui supra Petrus tribunus cum consensu suprascripte uxoris mee marie, vobis domino maioni venerabili abbati, posterisque vestris, sanctoque vestro monasterio ante omne litis inicium pene nomine auri libram unam beneventanam. Et hec concessio sit firma in perpetuum (3).

5. *Instrumentum a* 882 ? *quo Iohannes, subdiaconus S. N. E. et dispositor monasterii S. Mariae in regione Furcillensi cedit abati monasterii S. Vincentii ad Vulturnum cellareum et hortum in eadem regione Furcillensi civitatis Neapolitanae.*

(Ex eodem cod. *Barberini* fol. 148 v. 149 v.; Muratori *R. I. S.* I. 2, c. 414.)

De sancto Vincencio in neapolim. Comparacio domini maioni abbatis a iohanne subdiacono et abbate sancte marie.

In nomine domini et salvatoris nostri ihesu Xristi. Imperante domino basilio magno imperatore anno septimo, sed et leone et alexandro imperatoribus eius filiis, die XV.

(1) In edit, Muratoriana: *anganum;* quid vero tum hoc, tum *angatinum* codicis Barberiniani sibi velint nescio.

(2) Lege: *ante se de* . . . In cod. heic vacuum pro uno verbo relictum est.

(3) Iohannes monachus, qui *Chronicon S. Vincentii ad Vulturnum* ex monumentis antiquioribus saeculo XII. concessit, plerumque in instrumentis, quae ibi transcripsit, aliqua, sive oscitantia, sive consulto, eo quod sibi parum necessaria viderentur, omisit. Ita heic tum annos imperii Leonis et Alexandri, tum locum, in quo instrumentum conficiebatur, ac nomina testium et Curialis, qui illud firmabant, omnino praetermisit.

mensis octubris, indiccione secunda (1). Nos iohannes subdiaconus sancte neapolitane ecclesie et dispositor monasteri beate et gloriose dei genitricis marie, sita in via furcillense (2). Promto et libenti animo contradidi vobis domino maioni venerabili abbati monasterii beati Vincentii, situm erga fluvium Vulturnum, samnie partibus territorio beneventano. Idest in priora cellareum in integro cum domo et omnibus possessionibus eius, cubiculum quoque ipsum insimul concessi. Tradidi vobis et hortum nostrum, qui est inter hortum domini aceprandi, et leonis magni viri. Ipsum verum supra scriptum cellareum et hortum positum intus hanc civitatem inter duo vicora, unum qui vocatur corarium, et alium vicum placidum (3), sego furcillensem, et in suprascripta nostra ecclesia, et sancto vestro monasterio obvenit a quodam petro tribuno, cui super nomen pintulo, ex chartulam offercionem cum alias res suas quas nos haberemus. Unde nichil nobis ex ipsum cellareum et hortum aliquid remansit, aut reservabimus, nec in alienam cuiusquam personam, quod absit confitemur nos commisimus potestatem, sed eum in integro cum introita sua omnibusque eius pertinenciis vobis, et per vos in suprascripto sancto vestro monasterio posterisque vestris concessimus et contradidimus promptissima voluntate possidendum. Ut a presenti die et tempore seu et deinceps a me vobis concessa et tradita in vestra posterisque vestris sanctoque vestro monasterio sint potestate, habendi, tenendi, sedendi, vendendi, donandi, commutandi vel qualiter et quomodo exinde ab hodierna die facere iudicarēque volueritis semper liberam habeatis potestatem. Et neque a nobis neque a posteris nostris, nec a suprascripto sancto nostro monasterio, nec a nobis persona summissa, nullo tempore numquam exinde habeatis ab hodierna die aliquando aliquam requisicionem, aut calupmniam, nec molestacionem, neque vos qui supra domne maio venerabilis abbas, neque suprascriptum sanctum vestrum monasterium, neque posteri vestri per nullum modum, aut ingenium, a nunc et imperpetuis temporibus. Insuper et ab omni homine, omnique persona, per hoc ut superius vobis concessimus, nos et posteris nostris sanctoque nostro monasterio vobis et posteris vestris sanctoque vestro monasterio in omnibus omni tempore ante stare et defensare permittimus, nullam datam occasionem. Pro eo quod accepi a vobis exinde in omnem decisionem, idest solidos numero centum quinquaginta siculos. Quod si aliter pervenerit de hec omnia suprascripta, et in aliquo offenderimus, pro quibus ingenium aut occasionem, aut submissam personam, tunc daturos nos posterosque nostros sanctumque nostrum monasterium promittimus nos qui supra Iohannes subdiaconus vobis qui supra maioni venerabili abbati posterisque vestris, sanctoque vestro monasterio ante omnem litis inicium pene nomine auri libras duas beneventanas. Et hec concessio firma in perpetuum permaneat. Quam concessionem a nobis factam Iaquintum notarium sancte Neapolitane ecclesie scri-

(1) Neque heic notae chronologicae, annus scil. Basilii septimus et indictio II, inter se conveniunt. Verisimiliter librarius pro *anno septimo decimo* ex oscitantia *septimo* tantum scripsit, alia, quae sequebatur, voce temere elapsa. Annus enim 17 Basilii, qui in a. Æ. V. 881-882 incidit cum m. novembri et indictione secunda optime accommodatur.

(2) Nescio an haec ecclesia, in qua tunc monasterium fuerat constitutum, una ex illis duabus habenda sit, quae b. Mariae virgini dicatae in via Furcillensi olim extabant, et S. Mariae *ad cimbrum* vel *cimbeum*, sive S. Marie *ad plateam* titulo distinguebantur.

(3) Forte vicus hodie. *S. Nicola dei Caserti* dictus.

bere rogavi pro indictione quinta (1). + Atthanasius episcopus ss. Ego iohannes subdiaconus sancte neapolitane ecclesie et dispositor sancti monasterii subscribsi, et testes rogavi, et suprascriptos solido accepi (2).

Sequitur deinde Iohannes monachus in Chronico:

Alias quoque domos idem venerabilis Maio abbas et diversas res in eadem Neapoli civitate acquisivit, ut et ecclesiam in honore beatissimi Vincentii constituit, cui diversas possessiones contulit, illamque pingere et dedicare fecit (3).

. . . .

Sub hoc vero tempore in portu Neapolitano quoddam fundum sacro monasterio *(S. Vincentii ad Vulturnum)* fuerat oblatum, quod nunc usque b. Vincentii dicitur, quod quidem maximis commodis et questibus precipuum erat (4).

III.

ACTA SANCTORUM

1. *Opusculum de S. Severo episcopo.*

(Ex cod. Corsiniano n. 777 (5) cum editis collato)

Die XXVIIII mensis aprilis depositio sancti Severi neapolit. eccl. episcopi.

Incipit prologus eiusque depositio.

Prius quidem nobis ab incarnatione Domini sermo sumendus est. Et dehinde ad beatorum apostolicorum series devenire. Prosequentes comminus sessiones Neapolitanorum antistitum, ut eorum quoque annorum ordo non facile invenitur, patriarcharum supputa-

(1) Negotium facessit indictio quinta heic apposita, cum superius secunda adnotata fuerit. Aut igitur librarius erravit, aut, si ita in originali membrana legebatur, instrumentum actum currente indictione secunda, deinceps ind. V. ab ipso notario completum fuit.

(2) Heic etiam desunt nomina testium et *absolutio* Iaquinti notarii.

(3) In *Inventario bonorum hospitalis S. Athanasii* a. 1336 confecto, quod MAZOCHIUS in opere: *De cath. eccl. Neap.* typis vulgavit, n. 28 memoratur beneficium *S. Vincentii de vico Latronum de Neapoli subditi monasterii S. Vincentii de Volturno* (V. p. 278). Quid postea de eo evenerit, et ubi proprie situm fuerit ignoratur.

(4) Fundus hic in illa littoris Neapolitani parte extare debuit, ubi olim insula S. Vincentii, de qua alibi, et nunc *la Darsena.*

(5) Cum nemo alius, qui antea de hoc cod. egit, vitas et passiones sanctorum omnes, quae in eo leguntur, indicaverit, utile sacrorum patriae nostrae studiorum cultoribus fore mihi visum est, eorum indicem nuper a me adeptum heic proferre. Talis igitur est: f. 1. *Passio S. Febroniae virg.* — f. 13 *Passio S. Dorotheae virg.* — f. 16 *Passio S. Theophili mart.* — f. 18 *Sancta Euphrasia virgo* — f. 32 *Beate Marinae virg.* — f. 40 *S. Brigide virg.* — f. 51 *S. Melaniae vita* — f. 57 *S. Pelagiae conversio* — f. 62 *S. Mariae Egiptiacae vita* — f. 74 *Cuiusdam meretricis Thaidis nomine vita* — f. 76 *Passio S. Fortunatae* — f. 81 *De S. Patricia virgine Leo presbyter* — f. 88 *Vita S. Aspren episcopi Neapolitani* — f. 94 *Vita et passio S. Ianuarii episcopi et mart.* — f. 99 *Item miracula in translatione eiusdem* — f. 103 *Passio S. Sosii levitae et mart.* — f. 109 *Passio Ss. martyrum Euticetis et Acutii* — f. 114 *Vita S. Maximi levitae et mart.* — f. 122 *Vita S. Agrippini epi. Neapolitani* — f. 130 *Vita et miracula S. Agnelli conf.* — f. 150 *Translatio S. Athanasii* — f. 157 *Depositio S. Severi* — f. 175 *Vita S. Athanasii.*

tionibus inserantur; Illorum procul dubio, de quibus aliqua nobis luce clariora videntur. Dinumeratis ordinibus ad nostro usque decursa temporibus (*sic*) vel decursa tempora perducantur. Atque per annorun curricula de beato Severo episcopo vel posterorum eius memorie quamquam brevi sermone tamen ex relatio (*sic*) collecta notabimur. Explicit Prologus (1).

I. (2) Domino inlustri et Fratribus omnibus in Christo salutem.

Litteris nobilitatis vestre iterata voce sollicitor, ut vobis obitum vel vitam s. Severi sacerdotis et pontificis fideliter reseram. Facio quidem quod vos precipitis: sed timeo ne non tam efficaciter faciam, quod facere cupio. Tamen quia petere dignati estis fideliter et sine mendacio faciam. Novi etenim melius esse linguam silentio premere, quam ad peccatum anime falsa narrare, dicente scriptura: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Et ideo venerationem vestram plurimum queso, ut imperitie mee veniam dare dignemini: alioquin si vobis sermonis mei vilitas coeperit displicere, non michi, sed vobis, rectius imputetis: Quia aquam purissimi fontis a cenoso rivulo postulatis; sed hec breviter dicta sint; nunc autem veniamus ad ea, que vobis, qui vitam vel obitum eius versibus illustrare disponitis, dicendi materiam subministrent. Explicit Prologus.

Incipit vita et obitus eius.

II. Secretum regis celare bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est (3). Multa enim mirabilia et signa omnipotens Deus per servos suos cotidie ostendit, sicut scriptum est: *Mirabilis Deus in sanctis tuis*. Et ad apostolos promittens dicit: *Qui credit in me, signa, que ego facio, et ille faciet.* Rem novam et inauditam in his temporibus accidit nobis (a), Severum, Neapolitane sedis episcopum, sicut et antiquos olim sanctos, operari mirabilia, que per illum ostendere Dominus dignatus est. Nam quodam die iuxta morem homo quidam valneo lavandus ingressus est. Post ablutus aqua, cum recederet, custos balnei oblum (4), ab eo pro balneatico petiit, quod unusquisque pro pretio dare consueverat. Sed ille oblitus oblum adducere, minime licuit ei solvere (b) debitum balnei. Coepit autem eum rogare, dicens cum summa alacritate; *Obsecro*

(a) *Ita in cod. et in* UGH.; *at* BOLLANDUS, *ne auctor Severo coaevus fuisse videretur corrigit:* his temporibus nostris accidit.

(b) *In* UGH. *et* BOLL.: ut liberaret.

(1) Prologus hic, ut non sine ratione MAZOCHIUS, *In Kal. Neap.* p. 260 suspicatur, forsitan desumptus videtur ex simili prooemio, sive illi, quod nobis nunc superest, sive etiam alicui alio, Chronico epp. Neapolitanorum apposito, et huic opusculo ab eo, qui ambas eiusdem partes post saeculum XI in unum composuit, accommodatus.

(2) Paragraphorum numerationem a BOLLANDIANIS adoptatam ego sequor; ipsa vero aliquantulum diversa est in cod. Corsiniano.

(3) Hoc initium, ut MAZOCHIUS animadvertit, ex libro Tobiae desumptum, pluribus et praesertim nostris, qui Sanctorum vitas scripserunt, commune fuit. Sic, ut alios praeteream, Paulus diaconus Neapolitanus in vita S. Mariae Ægyptiae, quam medio saeculo IX e graeco in latinum vertit; sic postea Iohannes Cimeliarcha in vita S. Iohannis IV epi. Neapolitani illud in eorum scriptis usurpaverunt.

(4) In cod. p. d. Antonii Caraccioli et in editis legitur *obum*, quod bene coniecerunt Bollandistae esse monetae genus. In cod. Corsin. vero heic *oblum* clarius *obulum* indicat; quamquam infra aliquando etiam *obum* habeatur.

te, o carissime amice et compater, sustine me paulisper donec revertar domum, et (a) *oblum, quod dare balneaticum debeo, festinanter dirigo tibi.* Cui ille: *Vade in pace, et ne cures talia, tantummodo oblum, quod michi dare debes, ne moras facias dirigendo.* Mox ut domum suam ingressus est, oblitus est dirigere oblum, quod debebat valneario.

III. Factum est autem ut non post multo tempore homo ille moreretur. Cum autem audisset valneator, quia defunctus esset debitor suus, et oblum ei minime direxisset, surgens exinde interpellavit Ducem terre eius super uxorem eius, quod vir eius dare debuisset solidos aureos centum. Tunc illa detestando et iurando coepit dicere: *Non faciat Deus, ut vir meus tibi solidos dare debuisset.* Cui Dux (b) terre tale dedit iudicium. ut aut debitum redderet ipsa mulier, aut ipse creditor haberet eam una cum filiis suis in suo servitio. Quare illa moesta consurgens soluto crine et scissa veste a capite usque ad vestigia sua, lacrymis simul cum voce ad Dei famulum Severum episcopum pervenit. Provoluta pedibus eius, deprecare eum coepit dicens: *O Pastor sancte, o qui apostolorum viam tenes, succurre michi misere vidue; quia inimicus homo cum fallacia sua oppressit me una cum filiis meis, in ius suum me* (c) *habere, et dicit michi, quod vir meus dare ei debuisset aureos centum solidos, quod vir meus dare ei minime debuit. Esto michi adiutor, o sanctissime pontifex Severe, et sicut sanctissimus Danihel propheta liberavit Susannam de falso crimine, ita et tu me libera, o sanctissime pastor, quia iniuste damnata sum a falso inimico meo.* Cui beatissimus Christi confessor et episcopus Severus ait: *Vivit Dominus, quia non habeo solidos, nec quicquam rei, unde te eripere potero: sed sustine me in crastinum paulisper; facturus est Dominus mirabilia sua.*

IV. Erat autem crypta extra portam civitatis, ubi ipse Christi Dei confessor Severus et pontifex sibi sarcophagum sepulture future paraverat. Et ipsa mulier ibidem virum suum humatum habebat. Quam vir Domini videns in tanta amaritudinis esse mulierem, commotus viscera, que semper misericordie erat indutus (d), mox autem novam consuetudinem sue civitatis, demonstravit. Dedit tintinnabulum clerico suo, ut circuiret civitatem inclitam, et ad sonum tintinnabuli cursim omnes catervatim ad episcopii ecclesiam Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi convenirent, ut miraculum, quod facturus erat Dominus per pontificem suum Severum, cunctis ostenderet. Cum autem essent omnes valde diluculo acglovati simul in unum viri ac mulieres, abstulerunt secum crucem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, et cum letania et psalmodie cantu ab episcopii ecclesia usque extra portam civitatis ad memoratam cryptam pervenerunt, unde superius mentionem fecimus. O quantas lacrymas ibi fundentes clementiam Dei deprecantes monachi et sacerdotes, clerici ac laici, mulieres et infantes, vidue et orphani, ut exaudiret Do-

(a) UGH. *et* BOLL. libenter *heic adiiciunt et paulo post:* tibi.

(b) In *Vet. Offic. legitur* iudex *civitatis, quod idem significat.*

(c) *Vet. Offic. addit:* vult.

(d) *Sequentia verba usque ad* demonstravit BOLL. *expunxerunt, quia, ut illi inquiunt,* sensum turbabant. *At* MAZOCHII *iudicio omittere non debuissent. Ea in Vet. Offic. hoc modo leguntur:* ut mos erat civitatis.

minus gemitum eorum. Mulier vero illa, que in amaritudinis erat animi constituta, non relinquebat pontificem, sed propriis eum vestigiis consequens, et vocem emittebat suam ad coelum, ut de tanto crimine eam Deus liberare dignaretur.

V. Tunc beatissimus Christi confessor Severus cum videret plebem suam in magno fletu et moestitia, et voces emittentes ad coelum et iniunctam vidue (a) una cum ipsis tantas lacrymas funderet, motus est et ipse in lacrymis, et in fletu magno conversus ad Dominum sic exorsus ait: *Domine Iesu Christe filii Dei vivi, qui vocem tuam quatriduanum Lazarum suscitasti, tu resuscita mortuum istum, ut dicat nobis de debito, quo iste homo querit hanc mulierem suam, si verum sit, an non.* Et statim iussit aperire sepulchrum. Cumque iam obtutibus omnes cernerent cadaver, quod iam multo tempore iacebat exanime; tunc beatissimus Christi confessor et episcopus Severus sic exorsus ait: *In nomine Domini Iesu Christi filii Dei vivi, surge, et sede in tumulo tuo, et dic nobis si debuisti dare solidos homini, unde uxorem tuam afflictam tenet una cum filiis tuis.* O admirabilis clementia Dei, qui nec pontificem suum Dominus in minimo contristare voluit! Qui statim ad vocem vicinam, quasi ex somno surrexit, et coepit loqui dicens: *Per Iesum Christum Dominum nostrum, in cuius conspectu adstans et exorans die ac nocte, non debeo solidos dare, nec quidquam aliquid, nisi tantummodo unum obum pro ipso balneo, ubi me lavabit.* Tunc manifestavit ille iniquissimus homo, quod non deberet dare ei plus, nisi tantummodo ipsum obum. Tunc exurgentes omnes in eum voluerunt eum lapides obruere: sed beatissimus Christi confessor Severus prohibuit ne talia fierent, dicens: *Non licet nobis malum pro malo reddere, sed perhibentes, bona. Memores estote, fratres carissimi, quanta et qualia passus est Dominus noster Iesus Christus pro nobis.* Tunc beatissimus Christi confessor conversus ad defunctum, sic ait: *O homo vis vivere adhuc in isto presenti seculo aut deprecor Deum omnipotentem pro te, ut faciat te inter sanctos suos aeterna gaudia fruere sempiterna?* Cui ille respondit: *Si tibi placet, o sanctissime pastor et pontifex, inter sanctos consors me esse gaudia* (b) *concede.* Cui Pontifex ait: *Requiesce in pace securus; nam et ego rogabo Dominum meum Iesum Christum, ut quicquid postulas merear adipisci.*

VI. Sedit (1) S. Severus annos quadraginta sex, menses duos, dies undecim, Hic fecit basilicas quattuor. Nam (c) corpus b. Ianuarii sacerdotis et martyris ipse condivit manibus suis in ecclesia foris porta huius civitatis miliario uno, in qua nunc requiescit usque in praesentem diem, et ipsae basilicae, unde superius mentionem fecimus, unam foris urbem iuxta S. Fortunatum nomini sui consecravit, et aliam in civitate mirifice operationis, in cuius absidam depixit ex musivo Salvatorem cum duodecim apostolos (d), habentes subtus quattuor prophetas distinctos,

(a) *Ita in cod.* UGH. *habet:* iniuncta vidua; *Vet. Off.* iniunctam viduam; BOLL. *denique:* et (filiis) cinctam viduam.

(b) Consortem me esse gaudiorum UGH. *ac* BOLL.; gaudii *Vet. Off.*

(c) In quarum una corpus b. Ianuarii epi. et martyris ipse recondidit manibus suis, quam eius nomen consecravit sitam foris portam. . . . . ; fecit et aliam ecclesiam extra urbem *etc. Vet. Offic.*

(d) UGH. *et* BOLL. sedentibus *adiiciunt; ut et in Chron. epp. Neapp.*

(1) His, quae usque ad § VII sequuntur, omnino similia invenies in *Chron. epp. Neapp.* V. supra p. 167.

praetiosis marmorum metallis. Esaias cum olive coronam nativitatem Christi et perpetue virginitatis Dei genetricis Marie designare voluit dicendo: *Fiat pax.* Hieremias per uvarum offertionem, virtutem Christi, et gloriam passionis et resurrectionis praefiguratur, cum dicitur. *In virtute sua (l. tua).* Danihel spicas gerens, Domini annuntiatur secundum adventum, in quo omnes boni et mali colliguntur ad iudicium, propterea dictum est. *Et habundantia.* Ezechiel preferens manibus rosas et lilias fidelibus regnum coelorum denuntians: unde scriptum est: *In turribus tuis.* Etenim in rosis sanguis martyrum figuratur, (a) in liliis perseverantia confessionis exprimitur. Prius ipse foris urbem iacuit in ecclesia sui nominis consecrata, nunc vero requiescit in ea ipsa ecclesia Neapoli constituta, quam alii Severianam, alii, propter oratorium ibi factum, S. Georgium vocant. Et fecit duo monasteria S. Martini Christi confessoris, et sancti Potiti martyris (1). Fuit autem temporibus Silvestri pape et Constantini augusti, et perduravit usque ad Damasum papam, transiliens apostolicos hos Marcum, Iulium, Liberium et Felicem. Sylvester papa constituit, ut crisma ab episcopo conficeretur et privilegium episcopi ut baptizatum confirmet propter hereticam suasionem. Et hoc constituit ut baptizatum (b) presbiter chrisma levatum de aqua propter occasionem transitus mortis. Beatus Silvester constituit, ut diacones in ecclesia dalmaticas uterentur et pallia lynostina leva eorum tegeretur; hic constituit ut sacrificium altaris non in sericum nec in pannum tinctum celebrari, nisi tantum in lineum terrenum (c) procreatum, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindonem lineam mundam sepultum.

Sedit Sancti Silvestri tempore beatus Severus annos duodecim et supervixit annos viginti quattuor. Post Sylvestrum papam sedit Marcus papa annos duos, menses octo, dies viginti, et post eum Iulius papa sedit annos quindecim, menses duo, dies sex. Fuit autem temporibus Constantini fratris sui et Constancti filius eius Iobiani? (2) imperatoribus. Et depositus est beatus Severus (d) tertio kal. maias. Qui Constans Arrianus effectus catholicos toto orbe persequitur. Cuius etiam fabore fretus Arrius Constantinopolim pergit adversus ecclesiam Domini dimicaturus iterum. Divertens per forum Constantini ad necessarias causas, viscera quoque repente simul cum vita effusa sunt: Liberius papa sedit annos sex, menses sex, (e) dies quattuor. Fuit autem temporibus Constantini filius Constantini usque ad Constanctium. Hic exilio deputatur. Athanasius Alexandriae episcopus, cum Constantio quereretur ad poenam honorifice susceptus est. Donatus artis grammatice scriptor ac praeceptor Hieronimi Rome insignis haberetur. Beatus Antonius monachus centesimo sexto (f) aetatis anno in heremo moritur. Ossa Andreae apostoli et Luce evangeliste Costantinopolim transferuntur. Hilarius pictaviensis epi., qui pulsus est ab arrianis in Frigia fuerat Gallia sedi (g). Sed quia haec ordine breviter per excessum diximus ad expositionis ordinem de ovitu b. Severi redeamus.

VII. Igitur S. Severus, cum ante triduum, quam de hoc mundo ad coeleste habitaculum vocaretur, cumque iam de salute eius ab omnibus medicis desperaretur, et sciens se iam profecturum ad Dominum, convocari iussit cuncto clero suo, et iubet

(a) *In Chron. deest:* figuratur.
(b) *Adde:* leniret, *ut in Chron. et in editis.*
(c) a terreno *in editis.*
(d) *Vacuum in cod. Ex* UGH. *et* BOLL., *et Vet. Off. suppleri potest:* finivitque in Domino.
(e) *In Chron. epp. Neapp.* menses III.
(f) *In Chron. epp. Neapp.* centesimoquinto.
(g) *In Chron. epp. Neapp.* Gallias rediit.

(1) Quae deinceps heic leguntur usque ad § sequentem BOLL. omiserunt.

(2) Heic auctor vel librarius verba mire confundit. V. supra p. 168.

sibi ante lectum suum sacra mysteria exhiberi. Scilicet ut una cum sanctis clericis oblato sacrificio Deo, animam suam Domino commendaret: simul etiam, et eos, quos pro disciplina ecclesiastica ex communione sacri mysterii extorres esse preceperat, ad pacem pristinam revocaret. Et cum hec omnia cum sanctis clericis leto atque perfecto ordine celebrasset, subito clara voce interrogare coepit, ubi essent fratres sui. Tunc unus ex circumstantibus, Ursus diaconus nepos eius, qui post eius transitum ipse episcopus ordinatus (1) est, cum hec audisset, cogitans, quod fratres suos, idest diaconos quereret, ait illi: *Ecce hic sunt fratres tui.* Cui ille respondit, dicens: *Scio, fili, scio quia hic fratres mei; sed ego nunc fratres meos, Ianuarium atque Agrippinum dico, qui mecum sunt* (inquit) *loquuti, et continuo ad me venturos se esse dixerunt.* Et his dictis, extensis ad coelum manibus, hunc psalmum Domino decantavit, dicens: *Levavi oculos meos ad montes, modo unde veniet auxilium mihi: auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Deinde collecta oratione, siluit. Inter hec autem, cum iam nox diei successisset, usque ad mediam noctem, corpusculum eius, quieti concessit, donec rediente dolore, qui lateri eius nimius inerat.

VIII. Facta autem die, presbyteris et diaconibus, atque omnibus clericis, exemplo dominico, pacem hereditariam predicavit. Transactis autem his, tacitus usque ad vesperam perdurans, deinde quasi de gravi somno excitatus, lucernarie (2) devotionis tempus agnoscens, extensis in coelum manibus, lenta licet voce oravit ad Dominum, dicens: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelo. Paravi lucernam Christo meo* Domino decantavit. Tunc deinde facto aliquandiu silentio, circa horam quartam noctis, omnibus qui aderant sollicite vigilantibus, subito tam ingens cubiculo eius terremotus concussus est, ut hi, qui lectulo eius adsistebant, exterriti atque turbati ad orationem se Domino cuncti iactarent.

Nihil tamen scientibus his, qui pro foribus consistebant; neque enim publicus ille, sed privatus in cubiculo eius fuerat terremotus. Inter hec, cum unusquisque tali timore exterritus pro peccatis suis Dominum deprecaretur, ille angelicis suscipiendus manibus debitum Deo spiritum exalavit (3). Ipso adiuvante, qui cum Deo patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

IX. Hortaris me, Capuane, virorum sagacissime, pietatis meritum, quod summa tibi divinitas per suos sanctos milites nostris temporibus, Georgium scilicet martyrem, Severumque pontificem, atque Agnellum confessorem largiri in ipso mortis articulo est dignata, scribere, quatenus posteris memoriam, et legentibus bone preparemus spei fiduciam. Confiteor, nimium hoc aggredi abhorrui partim propter inscitiam iaculorumque invidiam, partim propter Dei servos et eruditissimos vestre urbis viros, quibus est coeleste nosse collatum secretum, quorum scientie vigor, velut in orbe lumen, refulget. Sed tua utpote,

(1) Cf. supra *Chron. epp. Neapp.* p. 169.

(2) Quod Graeco ritu *Lucernarium*, ut BOLLANDIANI admonent, eo quod lampadibus accensis, peragi solebat, id romano more *Completorium* dicebatur. Cf. DUCANGE in v. *Lucernarium*.

(3) Haec omnia de sancti obitu auctor ex epistola Uranii de obitu S. Paulini transcripsit, et ad rem suam accommodavit.

amice, ne obsecratio languida remaneret, elegi magis, quam tibi uni, aliis disciplicere, ut amor amplius accresceret et veritas roboraretur. Et quia tales meruisti auditores (a), quos non tua urbs tantum in terris posita habere gaudet patronos, verum coelestis etiam aula sanctis cum angelis retinet perpetuos concives; dignum est tibi tuisque omnibus complicibus eorum salubres laudes sedulo ore perstrepere, ut quemadmodum temporalis vite tribuere solatia, ita impartiri aeterna studeant gaudia. Nam quamvis continua nos peccata, ne Dei recipiamus prepediant misericordiam, tamen effetos non nos abire eius sinit clementia: sed nunc, ut mater ubera filiis commodat, nunc abstractis ne sugantur obnubilat, ut quos parumper linquit ut abiectos, possit habere perfectos. Sed quia hec alias, modo eam, quam in te Deus operari dignatus est benevolentiam, ut hausi auribus a te, exponere aggrediar.

X. Tempore, quo Henricus Theutonicornm rex, Conradi filius, Romam, ut imperii coronam ab apostolica sede sumeret, advenit, Ioannes Neapolitanorum magister militum, et Campaniae dux cum suo exercitu ad Puteolos applicuit, ibique, defixis tentoriis, machinamentis, quibus valuit, expugnare, nisus est; dum hec sepius fierent accidit, ut die quadam Capuanus, quem in prelio (b) posuimus, inter pugnantium agmina fortis adstaret, quem quidam ex oppidanis sagitta appetens, graviter vulneravit. Hunc sodales deportantes in tentorio collocavere, et ut sagittam abstraerent, insistere coeperunt. Qui dum cum multis argutiis desudarent, lignum, in quo spicula adheserat, abstulere, ferrum vero intus reliquere: nam ferri acies per extremitatem cilii, que oculorum angulos detinet, ingressa, ita temporis interius loca ossiumque confodit, ut nullum reperiendi aditum, quo quomodo posset auferri, relinqueret. Deinde, inito consilio, urbem ad propriam vehiculo reductus est, ibique multis adactis medicaminibus, nullum sospitatis attulere presidium, sed et ferro *(sic)* in altum secari iussus, sagitte latentis via nulla ratione ostensa est. Quid ageret miser, quo se verteret, nesciebat: quia, quem medicorum certamina fallebant, mortis supplicia deterrebant. Tandem potitus divino consilio, omissis humanis certaminibus, sanctorum coepit postulare suffragia; ut, quem terreni non possent commodare, physici coelestis regni proceres more condonarent solito, dicente Domino: *quia que apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum.* Quid multa? Ad basilicam sanctissimi Agnelli deductus, quibus valebat precibus rogitabat, ut, sicut multis per orbem languidis subvenisset, ita et sibi in mortis certamine posito subveniret. Aliquantis ibi diebus expletis, domum reversus est. Item S. Georgii templum ingrediens, beatissimi Severi deposcebat auxilium et sanctos, quos pictos in sancta aula conspexerat, obsecrabat; deinde valedicens omnibus, domum revertitur, diemque prestolabatur extremum. Tandem affuit solita pietas Domini, secundum quod scriptum est. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster:* (c) *qui facis mirabilia solus;* et illud: *magnus es Domine Deus noster, quoniam tu castigas, et salvas, deducis ad inferos et reducis;* *et post lacry-*

(a) *Rectius* adiutores, *ut in editis.*

(b) *Forsitan legendum est* prooemio, *ut* BOLL. *suspicantur.*

(c) *Verba, quae sequuntur, usque ad* noster *desunt in editis.*

mationem et fletum exultationem inducis. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facis. Sed libet modo nobis Capuanum parumper provocare ad exorandum Dominum, qui dixit: *Omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit et pulsanti aperietur.* Eia, Capuane, amice carissime, incipe modo cum propheta dicere. *Exurge, quare obdormis Domine, exurge et ne repellas nos in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiam nostram, et tribulationem nostram: quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, adhesit in terra venter nostēr. Exurge Domine, adiuva nos, et libera nos propter nomen tuum.* Certo certius aderit ille, qui suos ad te milites dirigat, per quos et tibi vite auxilium prebeat, et mortis obstaculum longius ambigat.

XI. Dum quadam nocte predictus Capuanus somno quiesceret, ecce tres viri apparuerunt ei vestibus dissimiles, sed moribus pares. Primus pontificali habitu decorus, secundus monastico scemate redactus, tertius militari cingulo pressus; ut etiam a Capuano his aestimaretur, qui eum in prelio percusserat, quem contemplatus condoluit. Putabat enim causa eum cognationis advenisse interius. Ad quem duo superiores talia famina dedere. *Ne existimes, Capuane, hunc esse militem, te qui perculit telo; sed martyrem esse Georgium, qui tibi sanitatis presens gaudia pandit et nullum de hac clade ab hac hora periculo sustinebis.* Interea propriis sese indicavere nominibus, Agnellus scilicet, et Severus, et eius ab adspectu se protinus abstulerunt. Expergefactus homo a somno coepit secum cogitare et mente conquirere que vidisset. Et cum multa pertractando revolveret; elevata manu sagitte ingressu tetigit, et quasi aliquam ferri aspredinem sensit. Tunc, advocato filio, ait: *Surge, et celerius michi affer lumen.* Quo facto exclamans filius, ait: *Ne timeas, pater, quia sagitta est, et si dimittis me paulum incidere statim abstraham eam.* Cui pater: *Sustine, fili, prius ingrediamur sanctissimi Georgii templum et audito matutinali officio, altare, quo corpus beatissimi Severi latitat, repetamus et ibi adstantibus clericis et orantibus, quid Dominus facturus sit, videamus.* Dum dicta opera essent expleta, missa manu Capuanus, ut vulneri locum tangeret, illico sequuta sagitta manum cecidit ante altare sacrum. Cernentes omnes, qui aderant tam sublime miraculum, magnas laudes Deo dedere, qui mundo in malo posito non cessat adhuc per suos sanctos talia dona prebere, Statim Capuanus, ut eorum mens plus roboraretur miraculo, quid illi ea nocte ostensum esset, quidve pronuntiatum in medium protulit. Preterea hoc fuit mirabile sentiendum, quia caput in secretiori percussum parte tam diro vulnere, egrediente sagitta, ita consolidatum est; ut nullius humane cuperet medicine solacium; dicente Beda de socru Simonis curata a Domino: *Naturale est febricitantibus, incipiente sanitate, lacessere, et aegrotationis sentire molestiam.* Verum sanitas, quae Domini confertur imperio, simul tota redit, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

XII. Sed neque hoc pretereundum esse videtur, quod temporibus Sergii et Ioannis, magistri militum urbis Parthenope, (1) Dominus per famulum suum Severum operari digna-

(1) Aut Sergius IV. et Iohannes V., qui a. 1033; aut Sergius VI. et Iohannes item VI. qui a. 1085-1092 Neapoli simul imperitabant. Cf. quae ad rem dixi supra p. 133, et 135.

tus est, ut, dum fama sanctorum eius passim per mundum se fuderit, obcecatorum corda facilius invitentur, et mentes fidelium ad agonizandum amplius accendantur. Fuit quidam vir, Petrus nomine, natione Grecus, cognomento Volicaci, de Calabrie Amantea civitate: hic in predicta urbe Parthenope incolatum habebat iuxta magnam basilicam sanctissimi Georgii martyris et Severi Christi confessoris. Qui secundum sue possibilitatis substantiam prebebat Deo in predicta basilica fideliter munera precesque fundebat assiduas, nam et altare, quo eius venerande reliquie recubant, undique velo circumicngens obtexit: luminaria vero sepissime offerebat: Sed inimicus boni operis non recto intuitu que isdem Petrus circa Domini famulum cernens exhibebat ardenti animo solitas suas ad artes refugit, quatenus mente eius amaritudinum stimulis incitata, non iam Deo orationes et luminaria; sed querelas, et iurgia propinaret. Sic quondam Salvatoris discipulum eius illiciendo animum fefellit, ut de cliente traditorem faceret, et Satane pellentem demonia laqueo implicaret. Sed miser quamvis multos tali arte decipere non desistat, tamen et ipse a multis Iesu protegente domino spretus turpiter, saepe invenitur et victus; nam filiam eius parvulam Ursam nomine, ita immensis doloribus contraxit, ut nec manum ad os ducere nec extendere alia ratione valeret; quam genitor conspiciens profusis lacrymis, animoque consternatus propriis eam baiulans ulnis, simulque cum olei basculo pleno; collo illius suspenso, ad sacratissimum altare, sub quo eius corpus quiescit, cucurrit atque ibi cum ea proiectus lacrymas devotissime fudit, et tali voce Dominum poposcebat regem.

Tu Deus omnipotens, qui culmina coelica tangis;
Et numeris helementa ligas, et frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras.
Qui requies tranquilla piis es, gloria fessis,
Respice dicta mea, cunctum qui respicis orbem;
Et miserere mei, ne pressus pondere gravi,
Hanc perdam prolem, quam pestis seva revinxit.
At tu sancte Dei praesul venerande Severe,
Qui pietate micas, qui mortis vincula solvis
Vulnera cerne mea, que duriter ensis adhurit
Ignifer, ut laudes possim tibi reddere summas;
Et Domino, cuius tu servus adesse probaris;
Qui tibi concessit vitam donare famellis,
Qui tua munera sancta petunt per secula semper.

Talia vir praefatus in pavimento adiacens cum ore repeteret, misericors Dominus, qui precantium numquam abiicit preces, nec mundo corde invocantes destituit se, statim sui per merita famuli affuit, et nec primitus praefatus vir a pavimento sublatus est, quam ei filia sanitati plenissime sit reddita, et que contracta manibus brachiisque ad eius fuerat adducta tumulum, sine omni mora proprio est patri, extensa et ab omni languore absoluta, reddita.

Elysii (1) sedem nobis acquire Severe
Antistes, sobrie cordaque nostra fave.
Defunctis fari, qui sanctis obtinuisti
Eulogiis, nostra tu quoque corda riga.
Est nobis votum seriatim pangere totum,
Quod cuidam cano contigit archiatro.
Rem miram vobis refero, que nuper in ista
Facta est urbe bone virginis atque probe. (2)
Urbis dux huius, dum progressus properasset
Adversus comitem, qui sibi restiterat,
Et cum militiae condensa cuncta repleret
Arva loci illius, sunt ubi Puteoli,
Cepit summopere castrum confligere contra,
Spicula iactando insuper et lapides.
Et cum iam nimium machinis affligeret illam
Urbiculam parvam, qua comes intus erat;
Accidit ut subito Capuanum nomine dictum
Ales arundo volans tempora percuteret.
Cuspide mox tracta, heu dira sagitta remansit,
Quam nullo poterant arbitrio trahere.
Omnes plangebant lugubrique voce gemebant:
Cunctipotens pie rex, huic modo, Christe, fave.
Quid multis morer? hunc ad mox urbem revocarunt,
Nomine que proprio Parthenope resonat.
Hic confessorum cepit peragrare sepulchra
Suspiris nimiis patro rogans cinium. (3)
Sed non Agnellus, non praeclarus Severinus
Curarunt hunc a vulnere lethifero;
Non Gaudiosus, Proculus, non Sossius almus
Illi praestarunt quodlibet auxilium;
Non Martinus amans Christum, non hunc Benedictus
Curavit miserum, sed Domini pietas
Revera potuit, quod nullus medicorum
Hoc valuit sanctus, nempe suis precibus.
Pontificem Severum dicimus istius urbis
Cuius soma (4) loco vah! requiescit in hoc.

(1) Versus, qui sequuntur, ex UGHELLIO et cod. Corsiniano repeto; Bollandiani enim illos omiserunt.

(2) Ludit iuxta illorum temporum morem in nomine *Parthenopes.*

(3) Lege: *rogans patrocinium;* auctor enim numerorum et pedum ratione obstrictus heic *patro cinium*, ut infra *presbyter archi*, scribit.

(4) Latine scribit vocem σωμα *i. e. corpus.*

Praebuit et martyr Christi Georgius aptum
  Illi presidium, qui rogitabat opem.
Ex improviso processit lapsa sagitta
  Ante pedes huius, qui pia vota dabat.
Affines flentes Dominum tunc magnificarunt
  Vocibus altifluis, cordibus atque piis
Dicentes: non est similis tibi, Christe redemptor,
  In priscis quisquam, qui queat hoc facere.
Quare dicemus, ac clara voce canamus
  Carmina melliflua, cantica laudiflua
Gloria, Christe Deus, tibi sit per secula cuncta
  Qui hunc invalidum sic medicando iuvas.
Gloria sit patri, verbo qui cuncta creavit,
  Sit semper sancto gloria Spiritui.
Versificatorem tu protege, Sancte Severe,
  Hunc qui curasti, dando sibi requiem.
Hos versus cecinit Joannes presbyter archi,
  Cuius vota Deus compleat altitonus.

2. *Historiola translationis reliquiarum Ss. Euticetis et Acutii.*

(Ex editione *Bollandiana* cum codd. Mss. (1) collata).

. . . .

Haud (a) paucissimis (2) dilatis post mortem martyrum (*Euticetis et Acutii*) annis Constantinus Caballinus suam cupiens exercere tyrannidem, Romanae urbis indigenis crudeliter imperaturus advenit. Cuius rei gratia vitae pariter et regno renuntians, se viventem tartareas poenas pati eiulando clamavit. Eodemque tempore dominus Stephanus iunior Romanae cathedrae residens, offensam Desiderii Longobardorum regis veritus, Carolum piissimum (b) imperatorum adiit. Stephanus vero Neapolitanae sedis antistes inter cetera ecclesiae suae

(a) *In cod.* CHIOCCARELLII: At paucissimis; *in cod.* CARACCIOLI: Paucissimis; *in Corsiniano:* Aut (*postea corr.* Haud) paucissimis.

(b) *In editione* FALCONII *ex cod. bibliothecae* della Sapienza *additur heic* Galliarum.

(1) In CHIOCCARELLII libro Ms. *De rebus gestis S. Ianuarii et sociorum*, qui in bibliotheca Brancacciana adservatur, et cuius apographum in archivo municipali extat, *Acta* etiam Ss. Euticetis et Acutii habentur. Ipsum ego contuli.

(2) Male equidem rationem annorum heic Raynerius habuit, cum a Maximiano caesare (circa a. 305) ad Constantinum Caballinum (circa a. 770) *paucissimos* vel *haud paucissimos* annos transegisse asserit. Melius dixisset: *quamplurimis*. Caracciolus vero, ut erroneam supputationem emendaret, *saecula* pro *annis* proposuit. At neque hoc quidem modo locutio proprietatem et perspicuitatem nancisci mihi videtur. Ceterum etiam in his, quae de Stephano PP. sequuntur, auctor falsus est, quamvis ea ex *Chron. epp. Neapp.* transcribat.

collata ornamenta, non parvo labore studuit praefatorum sanctorum martyrum Euthychetis, et Acutii transferre venerabilia corpora. Et, ut urbs, quae pro innumeris annorum curriculis mentionem temporalis amiserat suae novitatis (1) nitens moenibus aedificiorum, ac sanctorum corporum reliquiis insignis, horum etiam laetaretur adiuvari praesidiis. Haec quoque sanctorum corpuscula favorabili admodum laude prosequentium civium, ac mirifica pompa iubilantium clericorum, alterius ablato (a) vertice (2), in Stephaniae delata gratanter asylum, integri marmoris bifidum intromittuntur sarcophagum, quod penitus imae telluris solo defosso subterranea domus (3), dolatis artificum manu lapidibus, levi pro merito recepit vestigio.

Cuius claustri (4) prominens pulchritudine decenti fastigium (5), columnis ambitum (6) purpureis *(et)* sculptarum vario schemate figurarum insignitum, argenteum baiulat, (7) quod vulgo ciborium dicitur, nitens pyraterium (b): sub cuius (8) umbraculo altare similiter statuitur, argenteis undique redimitum tabulis; quod mundi Salvatoris gratia et vocabulo simul dedicatum, multorum corporali solamine sanctorum se gaudet esse refertum. Penes autem psallentium Deo agminum sedem (9), quibusdam lapideis cocleis lector scandens, argenteo per gyrum eiusdem antistitis studio ambiri se cernit analogio (10). Et ut sanctorum corpusculis satis deferret, aedes eadem ignea flamma combusta praefati praesulis (c) est reparata industria. (11)

Sed haec supremae magnificentiae munera, quae perennis dignitatis excepta reverentia, sic sanctorum militum labores ac dona praesentialibus fascibus repensant (d), quae dignis laudibus lingua praedicet? Merito enim pro humanis obsequiis spiritibus angelicis eos, si fas est, dixerim praecellentiores, quibus subtilitate vigentis naturae procul dubio sunt inferiores. Denique dum fere ubique terrarum stupendis extolluntur laudis praeconiis, dum

(a) *In cod.* CHIOCCARELLII; alterius oblato vertice.

(b) *Ita in codd. Mss. et apud* CARACCIOLUM. *In* UGHELLIO *forte errore typothetae*: pyrasterium. FALCO *ex* CARACCIOLO *legit*; porphyratorium; *sed perperam et ex ingenio*; *nihil enim huiusmodi apud* CARACCIOLUM. Perysterium *vero* MAZOCHIUS *legendum existimat*; *quod* STILTINGIO *non placet.*

(c) praesidis FALCO.

(d) recompensant FALCO *et cod.* CHIOCCAR.

(1) Alludit ad graecum nomen *Neapolis*, quod latine est *nova urbs*.

(2) Quid his verbis auctor significare voluerit, haud satis mihi compertum est. Puteolanae urbi, quae tunc temporis sive libertatem et potestatem, sive magnitudinem amiserat, ea referenda esse STILTINGIUS ac MAZOCHIUS censuerunt. At de hac eorum opinione dubitari mihi liceat; nullus enim in proximo de Puteolis sermo, sed de sanctorum martyrum corpusculis. Potius igitur crediderim Raynerium verbis *alterius ablato vertice* hoc significare voluisse, quod scilicet praeter quamdam capitis partem ad unius ex sanctis (forte Acutii) corpusculum pertinentem, reliqua omnia lipsana in Stephaniam translata fuisse diceret.

(3) I. e. hypogaeum in absida ecclesiae Stephaniae, quod in *Chron. ep. Neapo.* (V. supra p. 163.) *catatumba* vocatur.

(4) *Subterraneam domum* intelligit MAZ.; mihi potius septum eidem superius esse videtur.

(5) I. e. ciborium maius, quod etiam *turris* vocabatur, italice *baldacchino*.

(6) *ambitum* h. e. circumdatum *purpureis* (idest porphyreticis) columnis.

(7) I. e. sub se habet *pyraterium* sive ciborium minus.

(8) Ex his *columbarium* i. e. *ciborium* minus vel *tabernaculum* voce *pyraterio* sive potius *peristerio* Raynerium significare voluisse patet.

(9) I. e. chorus.

(10) *Analogium* idem est quod *ambo*, sive pulpitum.

(11) Ceterum qui de his plura cupit adeat MAZOCHIUM *l. c.* et praecipue librum d. Cosimi STORNAIOLI, quem supra memini, ad p. 52 et ss.

alte iugibus potiuntur gaudiis angelorum autem dulcis solemnitas solum modo viget in coelis, sanctorum omnium profecto minores sunt meritis.

Pro studiis quorum munuscula dantur honorum.
Moribus ardenti, fideique calore calenti (a)
Supplicibus donis his iungi posce patronis,
Terrea qui spernis et coelica pectore cernis;
Dic istis sanctis, dic, flagita voce precantis;
Pro meritis dignis ignoscite quaeso malignis;
Et veniam detis mihi quem peccare videtis,
Ut merear sisti vobiscum vernula Christi;
Perfruar ut coeli modulamine, mente fideli;
In terra natus, sed ad aetera flamine latus;
Laudis habebo sonum, vitale recepero donum
Nullus ubi fletus, sed lactus ad omnia coetus.

Nec reor immerito tantum thesaurum Puteolanos accolas perdidisse, et nobilium aedium structuris labefactis, urbem pene vacuam profugis colonis permansisse: ablatumque ab ea famulorum Dei eximium corporaliter patrocinium praefatam Neapolim sibi vendicasse. Quoniam quidem, quos perversae non poenitet actionis, ultio quandoque afficit temporalis; et digne poenitentibus aderit etiam praemium mundanae felicitatis: quod promerentibus sanctorum loculis Neapolites adeptus est civis (b), ut eorum almificis gaudeat patrociniis, quorum pretiosissimus inibi tegitur cinis.

Hoc quaedam eximiae nobilitatis experta est mulier, Eruscun (c) nomine, cum nimia capitis et stomachi laboraret aegritudine: quae non frustra, velut multi adstruunt, Erusum est nuncupata parentibus; crisis (1) si quidem dorica locutione aurum dicitur: et quoniam contemplationi supernae claritatis fervore inhiabat piae devotionis, Aurea meruit nuncupari ex ipsius officio actionis. Quam cum intolerabilis capitis dolor, fumo undique crebri latera ambiente, incessanter afficiendo requiescere nec ad modicum sineret, igneo tandem calore dissolutus humor, vomitus execrabiles et pene letiferos generavit. Taliter itaque viribus fere omnibus destituta nec non semiviva, nihil amplius, quam de morte, tristibus medicis, cogitans, patrem spiritualem ad se adcersiri deprecans, ei, qualis et quantus esset languor, seriatim indicat. Qui solito more salubria administrans coelestium pigmentorum medicamina: *Eia*, inquit, *de sanctorum martyrum Euticetis et Acutii corporibus a me tibi exhibitis suscipe devote particulas, quas reverenter reconde: nec non et orationibus et vigiliis insistas, missarumque peractis solemniis capiti imponas; et ab*

(a) *Versus hi in editione* FALCONII *aliter dispositi habentur.*

(b) *Verba, quae sequuntur usque ad* patrociniis, *ex cod.* CHIOCCARELLII *ego addidi.*

(c) *Nomen hoc varie in codd. Mss. et in libris editis corruptum. In quibusdam* Eruscana *aut* Erusum; *apud* CARACCIOLUM Eruscuna, *apud* FALCONIUM Crussuram. *Forte legendum est, ut in prologo,* Grusu, *quasi* Chryse; *ita ut etymologicae rationi, quam inferius dat, accommodari possit.*

(1) Χρυσὸς, latinis litteris *Chrysos*, ut STILTINGIUS adnotat, aurum interpretatur.

eis tui languoris procul dubio desideratam nimis accipiens medelam. Cuius exhortationibus credula mulier adimplere, quae iusserat, nihil distulit: ac per hoc extemplo, quanta foret sanctorum virtus, recepta sanitate, didicit. Unde nos supplices huiusmodi petamus pura mentis intentione patronos, ut nos liberent ab omni hostili incursione, quorum meritis praedicta mulier salva facta est a propria aegritudine, opitulante Iesu Christo nostro salvatore, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

3. *Acta translationis S. Athanasii ep. Neapolitani.*
(Ex codd. Neapolitanis cum editione *Bollandiana* (1) collatis).

Quasi (a) speciale, et proprium plerumque sanctorum virorum esse assolet, ut loca in quibus viventes degere fuerant soliti; licet omni mundo (b) suis precibus adsint, presentia suarum reliquiarum illustrent, etiamsi alibi eos contingat sarcinam deponere corporis. Quod superna moderatione procul dubio agi creditur, ut videlicet cives sui in eorum presentiis corporalibus laetentur, et speciatim illorum precatibus se muniri confidant; velut in obitu beati Martini actum fuisse probatur, qui a sua sede digrediens alibi rebus excessit humanis; sed defunctus ad suum ovile reversus est caelitus, ne plebs illius, etiam eo defuncto derelicta videretur. Ita enim et venerabilis egit Athanasius, qui dum procul a sua diocesi obiret, non passus est suas sanctas reliquias extra septa sui ovilis morari. Sed crebris coruscans miraculis, quodammodo suos cives invitabat sollicite, ne se relinquerent, sed ad suam sedem illum transferre satagerent: quod et factum est.

2. Iniquorum vero consuetudo ita extat perversa, ut bonos Deoque charos viros odiant, et non solum vivos, sed etiam mortuos vipereis linguis carpere non desinant, veluti reproba Iudaeorum labia erga nostrae redemptionis auctorem, eiusque famulos existunt: quod et in beati viri Athanasii moribus, et post eius obitum quidam nostratium agere tentabant. Sed vituperantibus, seu adulantibus eos iniquis, pius redemptor de suis fidelibus famulis, disponit prout eius potestatis immobilis est voluntas, qui nobis beati Athanasii reliquias reddere dignatus est, in propriam illum sedem reducens, ut de tanto patre gratificemur, et Domino proinde laudes sedulas referamus, de cuius vita aliquid adhuc fari cupiverat animus. Sed in libello praecedenti de eius vita et moribus, quantum iners stilus valuit rimari, secutum est; nunc vero de ipsius miraculis et reversione eiusdem sancti corporis sermo texendus est.

3. Cum sanctissimi viri opinio sanctitatis et fama virtutum longe lateque discurreret: audiens Athanasius presul, qui ab eo ut proles carissimus dilectus et nutritus fuerat, et in honore locoque eius successerat; filius fratris eius Gregorii ducis, cogitabat, qualiter in sede propria corpus pontificis sancti reduceret: ut sedes eius non sit orbata tali patro-

(a) Preterea quasi *Codd. Neapp.*
(b) *In cod. Corsin.* omnimodo.

(1) Paragraphorum numerationem Bollandianam sequor.

no et pastore. Sed resistebant ei antiqui emuli et benefactores (1), qui eum vivum oderant et expulerant; in tantum ut nec defunctum reciperent. Sed quandoque prevaluit sermo et voluntas presulis; et quinto depositionis eius anno misit religiosos viros Bonum presbyterum, Iohannem, et Petrum atque Iohannem subdiaconos cum locello et aliis necessariis, patri illius congregationis et fratribus salutes (a); qui ingressi monasterium sancti Benedicti, quod sub monte Casino est, salutaverunt Bertarium abbatem, et fratres; atque dixerunt: *Dominus noster et pastor Athanasius episcopus, vester commendatus* (b), *vobis precando direxit, ut commendatum* (c) *nostrum nobis reddatis.* — *Quid est illud?* inquiunt illi. Aiunt hi: *Domini Athanasii episcopi nostri corpus.* Qui omnes una voce negantes, dixerunt: *Ubi quiescit nunc non egredietur nisi novissimo die, quando Deo obviaverit.* E contrario illi dixerunt: *Vos nobis illum reddite, nam ubicumque fuerit resurget, quia Dominus ubique est. Nam impossibile est, ut a propria sede sit extorrens, licet operante antiquo hoste vivens ab ea deiectus sit.*

4. Videns abbas et cuncta congregatio (d) petitionem eorum intentam, ut non posset aliut fieri (e) consentientes, dixerunt: *Domini voluntas fiat; et domini Athanasii presulis petitio impleatur. Unum tantum vobis petimus, ut pars corporis eius hic remaneat apud nos, quia ex quo sanctissimum eius corpus hic humatum est, sicut in choro sanctorum est, sic nos ei venerationem exhibuimus: ubicumque enim fuerit, credimus quia nos non deseret, quia et vivens dominus et defensor nobis fuit.* At illi respondentes dixerunt: *Sicut integer vobis commendatus est, ita, auxiliante Domino, integrum sua sedes eum habebit.* Nocte namque eadem ibi quieverunt, et intra se statuerunt dicentes: *Sollicite simus, et mox ut signum fuerit auditum, surgentes ascendamus montem et diluculo fodiamus sepulcrum.* Et (f) sopori se dederunt pre ardore aestatis et itineris fatigatione. Et cum gravati essent somno, apparuit ipse sanctissimus vir Bono presbytero, pontificis, nepotis sui, similitudine, dixitque ei: *Cur tam gravi somno opprimeris collega? Surge, iniunctum opus vigilanter perfice, quia hora statuti vestri iam preteriit.* Cumque ille, responderet: *Tu magis debuisti huius rei sollicitus esse.* Tunc ille, ut mos est in scolis fecit eum levari et tres illi ferulas blandiens dedit, unique ex assistentibus dixit. *Tolle ferulam hanc et reliquos percute.* Qui mox exterritus evigilans, excitavit socios suos: *Vapulati sumus dilectissimi,* inquit, *nam sic circa nos actum est* (g), *sed surgentes festinemus properanter ut opus coeptum expleamus.* Hoc dicto signum pulsatum est, et admirati dixerunt. *Vere non poteramus parati esse, nisi revelatio hec manifesta fuisset.*

(a) *Hoc verbum additur in utroque cod. Neap.; in cod. Corsin. verum, ut* WAITZ *admonet, quaedam heic erasa sunt.*
(b) *In cod. Corsin. ex correctione*: commenditus.
(c) *In editis et in cod. Corsin. ex correctione*: depositum.
(d) *Cod. Corsin. addit.* divina inspiratione compuncti.
(e) *Heic in cod. Corsin. fere octo litterae erasae sunt, ut animadvertit* WAITZ.
(f) *In uno cod. Neap. manu posteriori supra* tunc *suppletum est.*
(g) *Cod. Corsin. e correctione addit*: et narravit ei visa per ordinem.

(1) I. e. *malefactores.* Sumpta est antiphrasis, ut MAZOCHIUS post CUPERUM animadvertit, e libro Iob. (cap. I, v. 11) in quo *benedicere,* auctore S. Chrysostomo (*Homil.* 4, de patientia Iob.) contrarium notat.

5. Tunc ascenderunt una cum venerabili illo comitatu monachorum verticem montis Casini, et intraverunt basilicam, in qua venerabile corpus humatum fuerat. Fodientes sepulcrum, ita inventum est integrum, ut nec capillus capitis eius vel barbae decideret, atque vestimenta et omnia salva, ut prius posita fuerant, sunt inventa, et tantae suavitatis fragrantia omnes accepit, ut prae ammiratione prosternerentur in terra, et prae gaudio flentes, laudes Deo redderent bonorum omnium largitori. Nam in tantum compago ipsius corporis sacri extitit firma, ut fabrica locelli, quae fuerat nimis consolidata, vi corporis sui disiungeretur. Et excurso per ordinem psalterio, imposuerunt sanctissimi corpus in locello, quod secum detulerant, sanum, et integrum sicut inventum est. Et levantes humero iam dictum locellum, descenderunt montem psallentes et benedicentes Deum. Et obviaverunt ei omnes seniores et abbas et omnes fratres monasterii, psallentes, et Deo gratias agentes pro tam magnifica gloria, quae in sancto corpore ostensa est. Et extra monasterium educentes eum, osculati sunt sancti loculum, et benedicentes Deum revertebantur. Similiter et omnes vicini, per quos sanctissimi corpus transiebat, ad eum confluebant: et summissis capitibus osculabantur sancti locellum et regrediebantur. At illi locello imposito equis iter peragunt coeptum. Tanta enim velocitate iter peragrarunt, ut intra unius diei spatium a monasterio sancti Benedicti in Atellas (1) devenirent, quae sexaginta milibus distat, et apud ecclesiam sancti Elpidii (2) manserunt. Tunc collecta omnis simul congregatio sacerdotum ecclesiae sancti Elpidii, tota nocte pervigiles extiterunt psalmodiis vacantes; et miserunt Neapolim nuntium dicentes: *Venimus cum corpore viri Dei Atellas.*

6. Mox ut audivit venerabilis presul nepos eius, statim misit cursores per universas ecclesias et loca sibi adiacentia, ut ex cunctis collecti locis, sacerdotum collegia atque monachorum, et multitudo virorum et mulierum, occurrerent sanctis eius obsequiis. Sacerdotes vero universarum ecclesiarum Liburiae una cum sancti Elpidii congregatione accensis luminibus ante sancti locellum gestantes (a), toto itinere psallentes et venientes ad locum qui dicitur Grumum (3), occurrit eis homo quidem vexatus daemone, et nolens intravit (b) sub feretro ubi corpus viri Dei portabatur; et statim liberatus a daemone, coepit Domino gratias agere. Et descendentes clivum (4) per viam quae dicitur, Transversa, posuerunt sanctissimi corpus in ecclesia beati Petri (5), quae a Neapolim distat

(a) *Haec vox in cod. Corsin. postea, auctore* WAITZ, *deleta est.*

(b) *In cod. Corsin.* et subintrans sub feretro quo *etc.*

(1) Antiquum Campaniae oppidum, tunc temporis incolis alio per vicos, qui in proximo oriebantur, commigratis, pene collapsum atque destructum.

(2) Ab hac ecclesia, quae episcopi Atellani tunc sedes erat, vicus S. Elpidii nomen accepit. Prima eiusdem vici notitia habetur in membrana a. 820 ap. R. N. A. M. t. I, p. 7. Nunc vulgo *Santarpino*.

(3) Nunc pagus in agro Neapolitano, ad 4 millia passuum ab urbe, plurium illustrium virorum e gente Cirilla, ac Nicolai Capassi, iurisconsulti et poetae doctissimi ac festivissimi, natalibus celebris.

(4) Clivus denominationem etiam nunc retinet in nomine *Capodichino*.

(5) MAZOCHIUS eam fuisse suspicatur, quae nunc *S. Petri ad Aram* vocatur. Sed doctus vir fallitur. Ex pluribus nostrorum Andegavensium regum diplomatis satis clare elicitur hanc ecclesiam extitisse extra Neapolim orientem versus in loco deinceps dicto *Dullolum*, *Dogliuolo* (V. FUSCO *Sulla topogr. di Nap.* p. 3) et nunc *Poggio reale*. Ibi Carolus II. rex hospitium sibi construere fecit, ex tunc *Casanova* (*Reg.* 1305 et 1306, C. f. 50; 1305, D. f. 183. Cf. SICOLA, *Repert.* p. 419) vocatum, quod nomen etiam nunc

quasi stadiis tribus : ubi occurrit summus pontifex cum optimatibus civitatis et omni coetu: exceptis his qui malitiae et invidiae veneno repleti erant, et his qui ventum flantem timebant. Praedictus vero presul detulit secum dominicas cruces et ornamenta, sicut in diebus festis.

7. Confluebant autem uterque sexus, et aetas diversa, et qualiter poterant psalmodiae cantus, utriusque linguarum grecae et latinae suavi modulatione resonabant. Mox autem ut divinus pontifex sanctum locellum aspexit prosternatus solo capud in terra depressit, faciemque lacrymis irrigavit. *Eu* (heu), inquid, *pater*, *eu nutritor*, *et institutor*, *eu pastor*, lacrymabili voce clamabat. Similiter et omnis clerus et cunctus ordo, omnes illustri *(sic)* et nobiles viri ac mulieres, omneque vulgus deflens agebat : *Ubi es orphanorum pater? Ubi es merentium viduarum consolator? Ubi es captivorum redemptor? Ubi es ecclesiae custos? Ubi es cunctorum rector et doctor?* Per unam fere horam luctuosis gemitibus fatigati, non poterant debiti officii psalmorum exsolvere cursus. Tandem pulso merore, Deo gratias agere coeperunt, eo quod meruerint, post quinque annorum curricula integrum illesumque recipere corpus pontificis sui. Tunc ex more pontificali inchoato officio, presulis corpus ad sedem propriam detulerunt.

8. Sed illo in itinere, quo tendebatur ad sancti Ianuarii templum, quod Dominus ostendere dignatus est, signum, ob demonstrandum meritum sacerdotis silentio praetereundum non est. Nam mulier quaedam Blattu nomine, dum gravi esset dolore capitis detenta et nullius medicamine posset salutem consequi, vigorem capitis auditumque perdiderat aurium : sed, ut ipsa nunc refert, ita obduruerant aures eius, ut nullius clamorem, nullius vocis sonum tonitruumve posset audire. Tunc et ipsa cum omnibus obvians occurrit, et capud sub locello apposito, medellam sibi dari a sancti corpore lacrymabili obsecratione poscebat dicens : *Deus miserere mei et sancti tui Athanasii beneficio merear auditum recipere, quem amisi.* Tunc beatissimus Dei confessor, donante divinitate, solitae pietatis ostendens miraculum, auditum reddidit viduae, et quae venerat tristis et moerens, gaudens reversa est. Ecce qui auditum suum preceptis dominicis semper prebuit meruit audiendi verbum salutis officia ministrare.

9. Itaque, ut dicere coeperamus, omnis illa multitudo psallentium cum sanctis exequiis ad templum sancti properans Ianuarii, ascendentes ingressi sunt basilicam; et deposito locello, iuxta altare posuerunt. Ibique summus pontifex, cuncto astante populo, laudis sacrificavit hostiam et sumpto munere sacro (a), finita prece complevit. Mox levantes corporis sanctum pignus, et diaconus imposita antiphona, *Aperite mihi portas iustitiae, et ingressus in eas confitebor Domino: haec porta Domini iusti intrabunt per eam*, tunc universus populus in ingenti fletu conversus, educentes eum extra fores, in oratorium sancti, et confessoris Christi Laurentii eiusdem sedis antistitis (1), iuxta sanctis-

(a) *In cod. Corsin. desunt verba* : et sumpto munere sacro.

locus ipse vel vicinia retinent. Ecclesiae vero usque ad a. 1405 notitiam invenio, sed nomine *ad paludes* (*Repert. S. Marcellini* p. 52) mutato.

(1) MAZOCHIUS (*De Ss. Neapp. epp.* p. 403) vanis argumentationibus frustra demonstrare nititur hoc S. Laurentii oratorium idem ipsum esse, quod in *Chron. epp. Neapp.*

simi Iohannis antecessoris et nutritoris eius antrum diligentissime et digne sepulturae tradiderunt, cum ipso locello, cum quo adductus est kal. augustas, bene hoc cogitantes, ut quorum mens semper in Deo una fuerat, eorum quoque corpora nec locus sepulturae separaret; ut qui feronymi (1) fuerant, congruum nominis meritum a Deo pertulerint.

10. Quae vero beneficia a tunc ad eius pretiosum sepulcrum concurrentibus Dominus praestiterit nunc veracissima locatione perstringam. In eodem namque monasterio sanctissimi Ianuarii erat quidam monachus Anastasius nomine, senex, qui gravi dolore artuum nervorumque constrictus ambulandi ei facultas ablata fuerat, ita ut baculo sustentante vix necessarios corporis sui usus perficere posset. In uno namque cum fratribus loco quiescens, dolore compulsus, vocibus ethera quatiebat. Eius infirmitate vel angustia, quiescentes inquietabantur fratres, et unde unus male, inde omnes deterius habebant. Erat autem nimis doloribus detentus; unum fore sibi remedium credidit, si ad viri Dei sepulcrum veniens aut salutem reciperet, vel certe mortis debitum solvens tandem cruciatibus finem daret. Sed et in hoc omnipotens Dominus famuli sui meritum approbans, dolentia membra saluti restituens, vacillantesque gressus confirmans, et omnium nervorum nodos dissolvens, iuventutis eius vigorem restituit. Post novem quoque mensium cursus alia infirmitate praeventus de corpore exivit. O immensa misericordia pietatis Dei! quod senectus dirimit, aetasque excludit, adiuncta gratia reddit sanctitas pontificalis.

11. Iam iamque fama virtutum eius ubique discurrens concurrebat; variis languoribus ex diversis locis detenta multitudo, inter quos quidam coecus venerat, qui clausis luminibus omnino nichil videbat. Hic itaque per multa fuerat sanctorum loca portatus, quatenus ei Dominus suorum prece sanctorum, divino solacio dignaretur lumen ostendere, et creaturarum species demonstrare. Adductus namque est ad beatissimi presulis antrum, cumque diutius beato Athanasio preces effunderet, ut eius miseriae subveniret, quadam nocte astitit specialiter ipse sanctus, eique dixit: *Quare tamdiu michi molestus existis, frater; conquerendo iugiter interpellas? Numquid tibi dispendium aliquod irrogavi? Numquid fiscali more vi opprimens aliquid a te extorsi? Alia in re occupatus non me hic esse scias; sed dum reversus fuero, scias te esse salvatum;* et his dictis, recessit. Egressi namque sacerdotes loci ipsius ab officio matutinali, ille pavens, et tremens concitus occurrit. Et accito uno ex eis, quasi secreto dicebat: *Putas, mi domine, audeo dicere, quod in somnio vidi.* Cui respondens dixit: *Quare non? Dic, frater, quae vidisti.* Et ille: *apparuit,* inquid, *michi vir splendidissimus, indutus vestimentis sacerdotalibus, orario circumductus, crine crispanti, statura procerus, vultu angelicus, et quasi comminans michi* (a), et, ut supra retulimus, visionem ex ordine intimavit.

12. At vero ipse fidens expectabat promissum, et usque ad alium dominicum diem instanter orabat, ut idem, qui apparuerat, quod pollicitus fuerat, adimpleret. Et dum nichil circa eum agerentur, peractis a sacerdote dominicis mysteriis, sumpta communione

(a) *In editis adiicitur heic:* percurrens cetera.

apud cathedralem memoratur, et *ad fontes* dicitur. Ex toto enim sermonis contextu satis patet heic de basilica S. Ianuarii extramurana loqui et de oratorio S. Laurentii in porticu ante illam sito, ubi etiam S. Ioannis IV. per ea tempora sepulcrum extabat.

(1) Graece φερωνύμοι idest *ferentes veritatem nominis sui.*

in sua rediit. Et aliquantis ibidem diebus commoratus, oculi eius in tumore versi sunt, coepit ex eis quasi albugo decurrere qui etiam dolore fatigabantur: et intra paucos dies desideratum lumen recepit. Qui mox, accepto beneficio, cum gratiarum actione reversus, illuminatorem suum omnibus ostendebat, vultum scilicet sancti Athanasii, dicendo: " Hic hic est illuminator meus, hic est qui michi in visione dixit: *Non sum hic; sed dum reversus fuero, scias te esse salvatum.* En, charissimi, divinus sacerdos Dominum suum imitatus est. Ille ad servum centurionis ire paratus; iste vero papilionis (1) cubiculum iam in coelo positus, non dedignatur intrare pauperrimi: sed tamen ille, ut Dominus, absens salutem concessit; hic autem, ut fidelissimus servus, veniens pauperculo lumen restituit; ille, ut omnipotens, nullius adiutorio indiguit; iste per omnia eo donante vel adiuvante ostendere miraculum potuit. „

13. Nam dum haec, et alia multis propalarentur quaedam sanctimonialis femina gressuum dolore fatigata, nequaquam incedere valens, equo vehente ad sancti sepulcrum confessoris Christi adducta est; quae per dies aliquot in oratione ibi excubans, saluti reddita, pedibus suis ad propria remeavit. Alia quaedam nobilis genere, Matrona nomine, per annos quamplurimos viscerum dolore cruciabatur, quae adveniens super sepulcrum viri Dei in faciem se iactans suffusa lacrimis aiebat: *Subveni mihi, benignissime pater, subveni bonorum omnium provisor, subveni michi infelici, ut vel ad momentaneum tempus requiem invenire possim.* Quae duobus diebus vehementer dolore affligebatur, ita ut nunc capud pedibus necteret, modo ut stipula volutaretur; sed vir Dei eius infirmitati compatiens, die tertia Domino miserante a dolore dimissa est; quae diebus octo in laude et gratiarum actione permanens, beneficio beatorum Ianuarii et Athanasii gratulans, in propria est regressa.

14. Alius quidam iuvenis, Leo nomine, gravi infirmitate capitis afficiebatur, quae aubrema (2) dicitur; nam solutus ab omni vigore salutis, ut amens incedebat. Qui inter alios cum viduata matre beneficia petiturus advenit. Qui supra sepulcrum confessoris et sacerdotis Christi cum misera matre se iactans, quae magis filio periclitabatur, doloribus medellam sibi poscebat. Nam et oblationem Deo pro se offerri sacerdotem postulans, mysterium sancti corporis domini nostri Iesu Christi in ore suscepit, qui abiens ita, alio die dominico sanissimus est regressus ac si nullam umquam insaniam capitis passus fuisset, Deo et beato Athanasio gratias referens, imo Deo, qui operabatur in illo, qui dixit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Hoc ergo munere clarificat suos pedissequos, ut vice Dei daemones eiiciant, mortuos vivificent, coecos illuminent, omnesque morbos depellant*; *surdis auditum, paralyticis gressum donent: ut impleatur quod dicitur*: Signa eos qui in me credunt, haec sequentur: *In nomine meo demonia eiicient, novis linguis loquentur, serpentes tollent, super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Hanc ergo meruit gratiam benignissimus confessor Christi Athanasius; hanc meruerunt omnes electi, qui vere crediderunt in Deum et Dominum nostrum Ihesum Christum. Ille enim

(1) Vox Latinis ex sermone plebeo sumpta est; ex ea nunc Italis *padiglione.*

(2) Forsitan legendum *Aporrheuma*, ut MAZOCHIUS coniicit; quo nomine aliquis capitis morbus notabatur.

veraciter credit, qui non verbotenus, sed actitans fidem gerit; vere enim beatus Athanasius fidem suam operibus auxit, qui vitam suam continentia, humilitate, abstinentia, vigiliis, elemosynis, atque omnibus bonis ornavit. De his interim sileam, quatenus de eius certis virtutibus aliquid narrem.

15. Praeterea puerulus quidam cum iam extrema vitae duceretur in finem, et spem convalescendae pueritiae violenta mors rapere parentibus festinaret, nec infantuli necem immaturam considerans, nec optatae senectutis venerandam canitiem spectans vorax quicquid invenerit ultra tempus cuncta ambiendo diripit, nec umquam satiata quiescit. Sed sola inter haec beati Athanasii sancta precatio morituro restabat salutis occasio. Quem misera et periculosa mater, quae magis filii periclitabatur in morte, tandem iam quasi defuncti ferens exequias intra templum beatissimi Ianuarii, anxie huc illucque discurrens ingressa est cubiculum, ubi sanctissimum corpus eius quiescit; quae flens et eiulans, sacerdoti, qui ibidem die dominico missarum solemnia celebrabat, flendo optulit dicens: *Oro te, Domine, ut vel stillicidium sancti liquoris sanguinis Domini Ihesu Christi huius infantuli immittas in os.*

16. At ubi sacerdos partem corporis et sanguinis Domini Ihesu Christi eius apposuit ori, ille averso capite, depressis luminibus, dentibusque obseratis, totumque se quasi in morte componens, solo eius in pectore vigebat spiramen. Tunc misera mater cum ingenti clamore discedens, ad venerabile sepulcrum confessoris Christi devenit; Quae ibi distento pignoris corpore, flens agebat: *Merentium consolator, orphanorum pater, viduarum ac pupillorum defensor, miserere mei: et ne me desolatam despicias: ne infelicem ac miseram abiiciens spernas: sed assueto operi opus adiunge, michique unicum redde.* Tunc ille non dilationem intulit, non moras fingendo componens, sed cooperante verbo, quesitam salutem mox tribuit, et pueri membra compingens, sospitatem pristinam restituens donavit. Quae mox gaudens egressa cum unico incolumen omnibus ostendebat. Mirabilis ergo Deus in summis, mirabilis in infimis, mirabilis in profundis, mirabilis in sanctis suis, faciens prodigia per servos suos.

17. Alia quaedam mulier cum unico properans, ad sepulcrum viri Dei devenit, quae deprecans ut desuper sepulcri eius marmore aquam mereretur accipere; qui ita valetudine erat detentus, ut nullo modo cibum capere posset, capitisque eius omnes capilli defluerent, nullaque spes vitae in eo haberetur: sed mox ut aqua benedicta aegroti est parvuli ori propinata, haustaque, aperto ore venenum omne quidem evomuit. Qui sanus ita effectus est, ut statim cibum peteret, et laetus gaudensque benedicens Dominum, cum matre in sua reverteretur, memoresque beneficii, reversi cum luminaribus, Deo et beato Athanasio gratias detulerunt. Nam et in hoc cognoscite, cuius apud Deum sit meriti beatissimus Athanasius presul.

18. In eodem autem oratorio, in quo eiusdem venerabilis viri corpus quiescit, lampas cotidie ardere consuevit quae, ut mos est, missa (a) aqua et oleo, lucescente die dominico est accensa: sicque nichilominus secunda et tertia, quarta et quinta feria die noctuque

(a) *Ita etiam in Vet. Off. In editis:* mixta; *h. e, aqua supernatante oleo, ut* Maz. *adnotat.*

inextincta permansit, ita ut nec extingueretur, nec minueretur oleum. Quo viso ammirati omnes de tam inaudito, et iocundo miraculo, singillatim dicere coeperunt: *Videtis quia hoc candelabrum nec extinguitur, nec minuitur oleum.* Cumque alternis haec fabulis dicerent, et publice haec omnibus sonuissent, mox minui coepit. Nam nulla ambiguitas in hoc esse potest, quamquam et in omnibus aliis multi et idonei testes habeantur, et hoc miraculum omnibus manifestum fuit, et per totam terram divulgatum est.

19. Sed possessi ab antiquo inimico (quorum nomina volens tacebo; quia et Dominus divitis nomen tacuit) delirantes agebant. *Si talia, ut profertis, iste sanctus vere operatur, sanet et gibbum talis hominis.* Talia isti dicebant, qualia crucifixores de Domino. *Si filius Dei es descende de cruce.* Sed istis sic evenit, sicut et illis, quia ipse dicit. *Qui vos spernit, me spernit. Sed michi vindictam ego retribuam.* Sed quid mirum, dilectissimi, si ad ostendendum meritum famuli sui omnipotens Deus inextinctam lampadem refertam conservavit, qui eius pectus oleo misericordiae semper plenum esse conspexit. Quid mirum, si olei natura sancto viro diebus et noctibus quinque indeficiens famulavit, qui omni vitae suae tempore omnipotenti Deo iugem et gratissimum famulatum exhibuit. O beata et admiranda beatissimi Athanasii suscepta merita! quae ei aeterna praemia, perennem vitam, mansionem stabilem, requiem sanctam, gloriam sempiternam, donante Domino, acquisierunt, et nobis digne petentibus salutem praestare non cessant.

20. Interea puerulus quidam, cuiusdam canicularii (1) filius, per menses septem lumen oculorum amiserat, qui per multos fuerat medicos deportatus, ut ei aliquo modo videndi possent restituere copiam; sed tanto fiebat deterior infirmitas, quanto ei amplissime fuisset cura impensa: qui ad hoc usque devenit, ut quidam medicorum peritissimus diceret: *Non potest puer hic visum recipere, nisi eius infirmitas cauterio fuerit refraenata.* Quo auditui, pater eius nimis est territus, noluitque teneriori membro filii sui ignem apponere, ne maius fieret exustione periculum, quam fuerat ex amissione luminis irrogatum; sed dum sanctissimi viri virtus famaque ubique divulgaretur, resumptâ fiduciâ, ad venerabilem eiusdem fidens concurrit memoriam; petens, ut ei solitae pietatis impenderet adminiculum dicens: *Candelabrum fulgens, lucerna non in abscondito, sed in excelso constituta, lux eorum, qui in tenebris morantur, speculum splendens, spes unica michi subveni, filio meo, ut vel modicum possit inspicere alicuius figuram.* Et dum his, et aliis incunctanter cotidianis deprecationibus insisteret, vir per omnia pius, duritiae inscius, animositatis ignarus, intra paucos dies desideratum lumen restituit puero et patri angenti reddidit consolationem.

21. Alia quaedam sanctimonialis femina nimia infirmitate officium vocis perdiderat; quae ad beati Athanasii concurrit cubiculum ibique flens agebat. *Infirmantium salus, tribulantium consolator, maestorum laetitia, subveni michi miserae, quo possim clariorem vocis meae sonum recipere, quae (sic) amisi.* Et haec orans reversa domum ita pristinae saluti est reddita, ac si numquam loquella illius obscuritate vocis fuisset impedita. Quae reversa statim cum luminariis Deo, et beato Athanasio gratias referebat. Adolescens

(1) Is est, ut CUPERUS adnotat, qui canum venaticorum curam habet.

quidam, oppleto capite morbo, oculorum lumen amiserat, cuius palpebrae crassantes supra genas, ut ubera, dependebant; qui ad sepulcrum confessoris Christi deductus, die noctuque exorabat, ut eius miseriae Dominus subveniret, quatenus patrocinio adiutus sancti praesulis Athanasii lumen, quod amiserat, recipere mereretur. Spe namque fidens, flens agebat: *Pater pupillorum et defensor, lumen eorum, qui in tenebris morantur, iubar illuminans orbem, subveni, et miserere michi derelicto ac desolato, nullius habenti fiduciam, nisi tui, nullius auxilium poscenti, nisi tuum.* Haec et his similia orans per aliquot dies reversus est domum. Tunc idem sanctus apparuit uni ex ministris sanctae ecclesiae, splendens, ut fulgur; in qua etiam visione pater pueri, iam defunctus, videbatur adesse. Dixitque sanctus ministro: *Vade: dic huic, qui nos conspicit, mittat ad me filium suum.* Qui expergiscens somnium propalare curavit; statimque puer festinus ad sepulcrum sacerdotis Christi devenit, qui ibidem duabus, vel tribus hebdomadibus manens, salutem, quam poscebat, emeruit; nam subito ex oculis eius erumpens per dies tres sanies decurrit, et sanissimus redditus, obtutu claro benedicens Dominum in propria remeavit.

22. Quidam e famulis sanctae ecclesiae Neapolitanae conductoris ministerium tenens, filium habens, qui ab utero matris stridore et motione horribili afficiebatur, ut tenerrima adhuc membra illius omnia disiungerentur, et, ut cernebatur, quasi a daemonio agitaretur. Qui multa sanctorum loca fuerat a parentibus deportatus, ut eundem Dominus propitiatus sanctorum praecibus, condonaret salutem, sed optinere nullo modo potuerunt. Cuius matri veneranda cuiusdam effigies in somnis apparuit; eique dixit: *Cur vestri patronatum nutritoris relinquitis, et per diversa vagatis; vestro enim vos Dominus pastori consolaturos servavit, ut ipse vos absens liberet, qui vobiscum positus ereptor in cunctis extitit ac defensor, et ipse vos iam tuto positus ob omnibus calamitatibus eruat, qui inter adversa degens, ab omni adversario defendat.* Quem cum illa requireret: *Ubi eum, Domine, quaesitura pergam?* Ille respondit: *In ecclesia Salvatoris, vel ad venerabile eius sepulcrum, quia ibi petentibus beneficia praestaturus crebro consistit.* Quae evigilans ordinem visionis suo viro intimare curavit.

23. Sed ille aliquantulum incredulitate gravatus nutare coepit de suo pastore, quamvis videlicet de venerando viro talia audiret; sed ex hoc experti sunt grave discrimen; nam duplicatis, immo triplicatis stridoribus tremoribusque parvuli membra collidebantur. At ubi hoc sensere parentes grave discrimen conciti ad sepulcrum properant Christi athletae: quibus pergentibus obviavit illis custos praetiosi sepulcri, ferens secum aliorum utilitati pelliciam zonam, quam ipsius fuisse affirmant. Moxque ut eam super capud parvuli posuit, dolor, tremor, stridor periculumque omne ab eo aufugit. At illi coeptum iter peragunt, gratias pro beneficio reddituri, omnibusque ab ipsis res patefacta resultat. O clementia Christi athletae, non querentibus ultro se praebens sine praetio, medicamentum salutis concessit! Plura et alia sunt de huius viri virtutibus digna relatu, quae brevitatis studio omisimus, ne coacervata copia legentibus fastidium generet; verumtamen si omnia istius facta stilus comprehendere nequit, vel pauca de sancti viri miraculis, Deo favente, subnectere curavimus.

4. *Acta translationis sancti Severini abbatis auctore Iohanne Diacono.* (Ex editione *Bollandiana*)

1. Scripturus, domine Iohannes abba, qualiter ex castro Lucullano, dudum everso, translatum tuoque in monasterio sancti Severini corpusculum sit collocatum, ratum fuit ibidem, quantum competens videbatur, referre, quod nefandissimus Africanorum rex verbis seu factis in nostrae religionis exercuit populum. Sed quia tu tuo magis imperio exigebas, ut illa portenta, quae nostris acciderunt temporibus, in modum commentarioli cum evangelicis disputationibus contexerem, et ego id fieri non posse causarem, tamen, habito maiorum consilio, placuit, ut ea quae de ipso sunt rege summatim strictimque percurrerem et in ceteris, prout facultas suppeditasset, largius immorarer. Convenit ergo dare operam et factitare, quod caritas iubet, quatenus Christi confessoris translatio sic sit ubique notissima, sicuti est et vita eius et virtutes signorum, quas iam ab olim per totum orbem libellus solertissimi dispersit Eugippii.

2. Anno igitur vigesimo quarto Leonis et Alexandri imperatorum (1), Saraceni, qui Panormi degebant, contra regem Africanorum (2) rebellantes, illius iussionibus omnimodis resultabant. Tunc ferocissimus ille filium suum, cum multo exercitu dirigens, praecepit ei ut, capto Panormo, statim Rhegium traiceret et propter foedus, quod cum Panormitanis inierant, Graecorum urbes fortiter expugnaret. Mox tyrannulus iussa parentis excipiens properanter abiit, et obvium sibi Panormitanum devincens exercitum, eo quo congressus fuerat, impetu cepit urbem illorum. Dehinc navibus ascensis, Rhegium tranavit ibique traiecto exercitu, praesidium Graecorum, qui ex Calabritanis urbibus ad suffragandum confluxerat, proh pudor! extemplo fugere compulit et in diversa solo terrore praecipites egit. Tunc irato Deo mortalium culpis, sub omni facilitate oppidum illud ingressus est (3), et dolendum dictu! sic efferbuit in eorum occisiones, ut nulli sexui nullique compateretur aetati. Post immanissimas itaque strages, quas passim tota urbe nefandissimi hostes dederunt, ad diripiendum solita rapacitate conversi, pene ad decem et septem milia hominum omnis conditionis latitantes invenerunt, inter quos etiam cygneo capite ipsum episcopum rubore decorum miserabiliter, utpote paganissimi, abduxerunt. Auri vero et argenti nec non et omnium mobilium inaestimabilia pondera demoliti sunt. Sed haec tyrannus ille insatiabilis et impius iussit omnia in unum congerere, et in occasionem patris, ut certius haberet, quod ei nuntiando dirigeret, sibi studiosius cuncta servari; addens huic cupiditati aliam technam. Nam propter legatos Hesperiae, qui ad eum undique cum donis et muneribus confluebant aliquantis diebus ibi commorari se finxit; postea vero, illis remissis, cum ingenti praeda generis omnis Panormum reversus est.

(1) A. scil. 901; epocha enim ab a. 878, ind. XI, quo Basilius Leonem et Alexandrum filios in imperii consortium ascivit (V. supra p. 103) supputata est.

(2) Ibraîm, ibn Ahmad, quem nostri Abraham vocant. (V. LUP. PROTOSP. et *Chron. Bar.* ad a. 901 vel 902). Eiusdem filius fuit Abû-Abbas-Abd-Allah.

(3) Id accidit mense iunio (*Chron. Cantabr. Sicul.*) vel iulio a. 901. Cf. AMARI, *Stor. dei Musulm. di Sic.* II, 72.

3. Inde putans genitorem suum tanti triumphi gestire gaudio, direxit apocrisarios, qui ad eum optima quaeque captivitatis perferrent et totum rei insinuarent eventum. At ille secum indignans, exprobrabat filio et crebris repetebat vocibus: *Degener iste, degener matrizat, non patrizat. Si mei sanguinis proles fuisset nullis christianis mucro pepercerat eius. Ite, ite, inquam, quantocius et eum ad me redire compellite, quoniam non ille, sed ego ad istud opus profecturus sum.* Proh dolor! quis haec audiens temperet a lacrimis? Quis non longa ducat suspiria? Quis non deploret flagella mortalium. Inter tot enim distractiones totque captivitates christianorum adhuc Domini desaevit indignatio, adhuc misericordissimi Dei ira defervet, et propter delicta, quibus cotidie velut dapibus incumbimus, saevioribus ferimur procellis et inemendabiles permanemus. En assiduis collidimur tempestatibus, et non resipiscimus! Vae ergo, vae nostrae miseriae, qui sie cotidianis excessibus divinam provocamus clementiam, ut merito de nobis Iob exclamat sanctissimus: *Cum expleverit in me voluntatem suam, adhuc multo majora praesto sunt ei!* Quid enim? Numquid ad emendationem nostram unius civitatis excidium, numquid occisiones populi, numquid varia sexus utriusque distractio suffecerunt? Ah prorsus conditio infelix! Erectus est quippe propter te homo nequissimus, quia disciplinam non servas Domini, et ideo illi saevitia tyrannuli, filii sui, comparata propriae nequitiae, velut misericordia reputabatur.

4. Revertentes itaque nuntii cum insinuassent ei omnem patris intentionem, dissimulanter prius audivit: postea vero, ubi circumventus est dolosis litteris, videlicet quod pater illius subito fuisset extinctus, abiit et avidissimus ad regnandum absque omni consultatione in Lybiam properavit. Mox pater eius multo super eum incumbens amplexu, anulum, quod magni regis erat insigne, tradidit eique dixit: *Insere digitis tuis hunc et mea vice regnato! Ego autem contra Deo rebelle christicolarum genus proficiscar, quatenus penitus abradam de terra.*

5. Sic fatus, extemplo per praeconem universo populo suo talem incussit terrorem. ut, si duo, vel tres in domo essent, ad eum quantocius festinarent. Cernens autem tyrannus tantam multitudinem confluxisse, ait. *Omnes festinemus, omnes acceleremus et id quod Deo magno gratum est toto mentis affectu perficere conemur, quatenus ob huiusmodi retributionem paradisum lactis et mellis ingrediamur, de quo quatuor flumina manant.* Dixit et continuo cum exercitu suo innumero et opibus multis perrexit. Qui cum in Siciliam pervenisset, introire Panormum, ceu vile domicilium contempsit. Pugnatoribus autem omnibus inde accitis, Taurominum perrexit (1). Ibique castris locatis, ipse civitatis illius situm incomitatus perlustrans, regressus est, et convocatis nonnullis latronibus, quos perniciores corpore noverat, spopondit eis ingentia dona, si per illam partem, de qua nullum proditionis periculum timebatur, videlicet propter difficilem locorum accessum, in eandem intrarent urbem et ululatu ac strepitu se intrasse significarent. At illi latrociniis assueti, vadunt, et manibus ac pedibus reptantes, in summum eva-

(1) De his fuse et accurate, uti solet, disserit AMARI, *Storia dei Musulm. in Sic.* t. II, pag. 64, 79 et ss. — Cf. etiam, quae in *Biblioteca Arabo-Sicula*, nuper italice edita. idem clarissimus vir affert vol. I, p. 393 et ss.

dunt, et clamore horribili perstrepentes sese introisse innuerunt. Mox cives, hi qui extrinsecus excubabant vociferantes, accedunt ad murum, et fortiter oppugnantes, totam undique circumdederunt urbem. Miseri cives, qui custodiis deputati ad prandium perrexerant, non ante se captos senserunt, nisi cum hostilis clamor ex industria ortus intonans omnium perculit mentem. At infestissimus ille tyrannus, dum unusquisque, sicut in talibus assolet fieri, absque omni respectu, vago discursu perstreperet, portas confregit, et cum omnibus armatis, tamquam esuriens bellua, ingressus molle pecus trahit manditque (1). Et quis poterit exprimere cladem urbis illius, quis inauditas poenas, quis ineffabiles cruciatus? Si enim paulo superius comminationes furiarum eius recenseantur, nunc iam non est opus exquirere, qualis institisset postea, cum tantae pertinaciae facultatem accepit. Revera etenim ex abundantia cordis os loquitur, et quod intus ardet foris ebullit.

6. Tamen ex innumeris distractionibus, quas passim bachans edidit, cruentissimus heros, hoc unum posterorum memoriae commendemus, ut in Salvatoris ascribatur clementiam, qui dixit; *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Nam scelestissimus rex postquam universos mares et feminas, infantes etiam trucidavit, quin immo et postquam totam illam civitatem incendio iussit absumi, saeviens adhuc inexplebilis bellua, misit inquisitores per concava vallium, per defossa terrarum perque veprium densitates, ut eos, quos fugae subsidium liberarat, investigarent et ad se perferre studerent, accepturi exinde dignam persecutionis mercedem. At illi, utpote rapacissimi, cum ubique sollicite perquirerent inveniunt robustissimum Christi athletam sanctum Procopium, eiusdem urbis episcopum, latitantem cum aliquantis clericis, et nonnullis civibus, quos protinus cum ingenti tripudio vincientes ad dominum suum velociter pertraxerunt. Mox ille machinator calliditatis ita sanctissimum Procopium est allocutus. *O episcope, quia caput tuum multo salito bombyce abundat, idcirco placidissimus te adhortor, ut meis salutaribus monitis obedias et consulas tuae et istorum commoditati; sin autem, talem me confestim experieris, qualem ceteri concives tui. Volo enim, si legem meam feceris et te Israelitico ritu distinxeris, ut semper in conspectu meo assistas et sis mihi carior prae omnibus Agarenis*. Ad haec Domini antistes subrisit tantum, et nihil locutus est. Tunc rex iratus infremuit, et ait: *Ridesne, captive, ad haec? ridesne et non intelligis, ante quem stas?* Mox constantissimus Christi servus respondit: *Rideo plane, et bene rideo, quia ille te talia loqui stimulat, de quo afflatus es, daemon*. His sanguinarius heros auditis infremuit et furibundus ad lictores suos conversus. *Eia*, inquit, *quantocius aperite illum in pectore et cor ejus inde protrahite, ut arcanum mentis illius videamus et intelligamus*. Mirabilis autem Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate, faciens prodigia tantam tolerantiam huic suo praestitit antistiti, ut dum lictores imperata complerent, sicut aiunt hi qui viderunt, ille regem obiurgaret nefandun et suos concaptivos, ne formidarent, animaret, adeo prorsus, ut rex impudens strideret dentibus, ut caesum cor eius in os illius ad edendum fulciret, et sic demum iam palpitantem cum ceteris decollari iuberet. Nec solum ista rabidissimo cani sufficiunt, sed etiam.

(1) Tauromenium capta est ab Ibraîm 1 m. aug. a. 902. Cf. cit. *Bibl. Arab. Sic.* I, 394.

copioso igne accenso, tota illorum cadavera cremari praecepit, dicens. *Sic, sic consummabuntur omnes qui noluerunt meam voluntatem adimplere.*

7. Ecce nunc se occasio praebuit, ubi rectissime nostram debuissemus lugere miseriam, cuius ob culpam tantus tamque amarus efferbuit hostis. Sed quia martiribus istis congaudendum est, ideo illud repetemus, quod supra praelibavimus dixisse Dominum. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Vere inquam, tu, domine Iesu Christe, misericors et clemens operatus es in his famulis tuis, quos ante mundi constitutionem elegisti, ut essent sancti et immaculati in conspectu tuo. Vere tu operatus es in eis, qui praestitisti eis, ut non tantum crederent in te, verum etiam ut paterentur pro te. Quis enim dispensationis tuae potest laudare magnalia, quis potest admirari opera? Nihil ultra dicendum est, nisi quod tuus psalmista decantat: *Iustitia tua sicut montes, iudicia tua abyssus multa.* In his autem, quos dignanter glorificasti tua magnificatur iustitia. In his quoque, quos puniendos dereliquisti, humana deploratur miseria, quae tuis mandatis resultans, iudicium ipsa sibi assumit. Enimvero nullos nos hostis appeteret, nulla prorsus nos arma terrerent, si praecepta tua ad plenum servare studuissemus. Ergo quia proni sumus ad malum et nullis nostris meritis, sed tua tantum gratia liberamur, tandem de caelestibus declara, quibus signis quibusque prodigiis a tanto tamque nefando inimico salvemur! Cognoscat orbis totus, quia tua pro nobis dextera dimicans misericorditer eripuit nos ab illis ineffabilibus tyranni comminationibus. Non, inquam, omnipotentiae tuae fuisset hoc impossibile, qui totum orbem, velut statera, ponderas, sed ut respectus benignitatis tuae super famulos tuos stillare videretur et collaudaretur nomen tuum benedictum in saecula.

8. Igitur postquam haec omnia ita patrata fuerant, sicut praescripsimus, homo ille, paganitatis filius, immo crudelitatis exquisitor nihil ex his Dei iudicio, sed totum suis tribuens viribus tanta mentis elatione bachatus est, ut Italicarum legatis urbium, qui ad eum foederis causa venerant, loqui dedignaretur. Tamen post nonnullos dies per internuntium sic illis dicendo transmisit. *Vadant hinc, vadant ad suos et eis renuntient, quod ex me totius Hesperiae cura dependeat: et ego velut mihi placuerit, ita dispono ex incolis meis. Forsitan sperant, quod mihi reniti possit Graeculus aut Franculus. Utinam invenissem eos omnes in unum collectos et ostendissem illis robur, quaeque sit virtus bellorum! Sed cur eos demoror? Vadant tantum et certo certius teneant quia non solum illos, verum etiam et civitatem Petruli senis destruam. Hoc enim unum restat, ut Constantinopolim proficiscar et conteram eam in impetu fortitudinis meae.* Dixit, et illis revertentibus, ipse in Consentinas partes exercitum suum castrametaturus advexit, apocrisarii vero non impetrata pace repedantes, tantum terrorem omnibus suis incusserunt, ut certatim interruptos resarcirent muros, propugnacula disponerent et quaeque ex agris necessaria erant raptim convectarent in urbes.

9. Gregorius itaque consul Neapolitanus, his cognitis, multa super castello Luculli cogitans et super eius incolis, multa iniit consilia cum Stephano episcopo et ceteris potentibus, ut habitatoribus eius Neapolim transmigratis, oppidum illud everteretur. Cumque decrevissent, ut ad id perficiendum universus proficisceretur populus, Iohannes venerabilis abbas monasterii sancti Severini Parthenopae constructi, vir per omnia strenuus,

suis efflagitabat precibus, ut corpusculum eiusdem confessoris non alibi, nisi in suo collocaretur monasterio; quatenus congruenter appellatione et corpore decoratum amplissima esset civitatis honorificentia et salutifera patrum occursio. Ad haec praesul et consul respondentes dixerunt: *Si tibi, reverendissime pater, talis tantusque thesaurus coelitus fuerit proditus, quo pacto reniti audemus? Sin autem, procul dubio tenemus quod non sit ei gratum quoquo transferri et levari ex mausoleo, quod olim pro illius amore Barbaria illustris femina condidit.*

10. Mox idem abbas huiuscemodi responsionibus animatus tota devotione ad Deum conversus, deprecabatur ut affectum suum, prout eius esset voluntas, adimplere dignaretur. Cumque die noctuque taliter postularet, tandem quidam presbyter eius tali eum subiecta visione refocillavit: " Domine abba, somnium vidi hac nocte unde coniicere possum quod Deus omnipotens vestrum adimpleat desiderium, ut donet vobis sui corpusculum confessoris. Nam ista nocte nec pene vigilans, nec pene dormiens putabam me in ecclesia ipsius sancti, quae est in oppido, orare et circumdando psallere, et ecce quidam elegans clericus stans intra quintanas maioris altaris manuque ferulam tenens, mihi ut ad se pergerem, innuebat. At ego tamquam orationi insistens. *Modicum*, inquam, *modicum praestolare, domine, donec expleam istud quod coepi.* Mox ille ait: *Satis est veni.* Accedentem ergo me cominus et officiosissime salutans, exhilaratus sum valde roseo eius adspectu. Deinde cum uterque diu sileremus sic prior ille ait: *Cur tuus abbas tuique fratres tam me flagranter habere cupiunt, cum semper vobiscum fuerim?* Ad quem paucis ita responsum dedi supplex. *Vere, domine, vere te hactenus nobiscum fuisse non ambigimus, sed modo petimus, ut tuis concedas et dones famulis te peramplius possideri.* Tunc ille: *Certo certius*, inquit, *me hinc ad vos transiturum nullo modo titubetis: sed scire vos convenit quoniam a praeterito anno ad civitatem talem praedicationis gratia profectus ibi commansi, nunc autem, illis pereuntibus, quia ex toto meae praedicationi resistunt, repedavi ad vestra commeaturus.* Haec ille. At ego repente de strato me corripio et ovans vobis isthaec dicturus adveni. „

11. Abbate et monachis cunctis orationi incumbentibus, venit dies ruinosi decreti, in quo consul et optimates, nec non et populosae phalanges ad memorati oppidi destructionem accincti sunt. Quibus dictam iam atque praecipitem exigentibus operam, IV idus (a) septembris (1) praesul et clerus ad inquirendum saepedicti sancti corpus ierunt. Ubi autem in praefati confessoris basilicam ventum est, missarum primum solemnia libantes, inchoato demum psalterio fodere coeperunt. Cumque tumulum mirabili decore sub altari constructum aperuissent et vacuum conspexissent, longa consternatione diriguerunt. Tamen spe credula exhortatos, inane sepulcrum inventum eos ab indagatione non revocavit, sed altius suffo-

(a) *Ita ap.* BOLLAND. WAITZ *legit:* id. septembris. *In editione vero* CAIETANI *et apud* CARUSIUM: IV. id. octobris *adnotatur, atque* oppidum spatio quinque dierum solo aequatum *fuisse adiicitur.*

(1) Ego supra (p. 106) cl. viri DI MEO rationem secutus eversionem castri Lucullani, immo potius, reliquiarum S. Severini inventionem ad diem 13 m. octobris (tertio idus) adscripsi. At cautius fuisset rem inter mm. septembr. et oct. includere, quousque aliquis, si extat quod nescio, Iohannis Diaconi vetustus codex dubium tollat.

dientes, pervenerunt ad tumbam, in qua coelestis iacebat thesaurus. Hanc protinus reserantes sic universa membra suis compaginata viderunt articulis, ut lacrymoso torpentes stupore immensa Cunctipotentem admiratione laudarent.

12. Confestim pontifex impresso propter plebis subreptionem signaculi tutamine, alacerque regrediens memoratum abbatem nuncio laetificavit optato. Nox ruit interea, et ipse continuo abbas cum sua congregatione, cum devotione se pavimento prosternens, de concesso munere gratias Creatori reddidit amplas. Tunc surgens, celebratis prius matutinalibus hymnis, coeperunt Davidis cantica modulari Basilius et Petrus, oeconomi Ss. Sperati et Ofterni (1), donec alii acciti cominus adsunt. Mox albis indumentis amicti, pariter, ad sacrati corporis antrum descenderunt et in praeparato loculo pignora diligentius condunt et inchoante abbate: *Gloria haec est omnibus sanctis eius* omnes voce sonora tonabant. Sic laetantibus cunctis, in ipsa ecclesia a diluculo adusque sero melodiis indeficientibus est vigilatum.

13. Postero autem die pontifex et clerus, dux ut optimates passimque populus universae conditionis et aetatis matutino tempore properantes, se in occursum, cum dominicae crucis vexillis odoriferisque incensis in praemissi oppidi campo sanctis exequiis obviarunt, et certatim supplicem exhibentes venerationem, alternantibus choris latinis et graecis, ad monasterium saepe fati abbatis debito obsequio concinnatisque luminaribus, cineres sanctos deducunt. Quos praesul extemplo cum Domini praecursoris et Ss. Gervasii et Protasii reliquiis, quas cum eis collocatas repererant, officiosissime condidit in altari.

14. His itaque peractis, necdum sex dies effluxerant; et ecce visu formidabile et dictu mirabile prodigium, quod perspicue generalis multitudo prospexit, omnibus immensam horripilationem incussit. Astra namque toto passim caelo confixa iugem volarunt per noctem et militum ad instar in procinctu confligentium ultro citroque alterno sibimet obviabant illapsu. Mox vero tantae commotionis ostentum necnon et miranda variarum monstra formarum, quae in diversis regionibus credibilis videntium firmat assertio, sic omnium iam pavidos territarunt animos, ut precibus votivisque laetaniis ad Deum confugientes, propitia se virtute tutari inque melius exposcerent portenta converti. Cumque noctes atque dies uterque per talia timeret sexus, beatissimus Severinus cuidam per visionem iuvenculo visus: *Quousque*, ait, *horripilationem patimini, metu vesano fluctantes? Numquid non me spopondi vobis interesse? Numquid non dego vobiscum? Nolite pavore percelli, quia nusquam abibo!* Sic sanctus.

15. Sed quia populus partim comminatione tyranni, partim ingentibus formidolosus portentis nequaquam a continuis implorationibus recedebat, clementia Christi, quae cunctos

(1) In *Notitia ecclesiarum olim Neapoli extantium*, quam TUTINIUS e veteribus chartis collegit, ac MAZOCHIUS vulgavit (*De Ss. N. E. epp.* p. 326) adnotatur quaedam ecclesia *Ss. Sperati et Spernae in vico Severini*; qui vicus alibi *Sennarinus* dicitur, et in regione Furcillensi ponitur. (V. *Regest. Neapp.*) Non inverisimile est Iohannem Diaconum de ista ecclesia heic loqui voluisse; sed, hac coniectura admissa, aut *Sperna* in ipso Ioh. Diacono, aut *Osterna* in Tutinio legi debet. Ceterum huius sancti, quocumque dicendus sit nomine, nulla in martyrologiis et kalendariis mentio; ubi contra celebris est S. Sperati memoria, qui unus ex martyribus Scillitanis in Africa fuit, quorum *Acta proconsularia* RUINARTIN *Acta Martyr. sincera* f. 77 et ss. tradidit. Praeterea in *Katend. Neap. marm.* eiusdem etiam festum habetur ad d. 17 m. iulii sic: *Nat. S. Sperati*.

in se confidentes protegere novit, tandem incredibili fama cunctorum aures permulsit. Nam subito volat populosa per agmina rumor, interiisse regem (1), signaque illa stupenda necem ipsius portendisse. Tunc etsi dubia gestientes laetitia, intimis postulabant ex medullis, id verum ut foret caelestis concederet auctor. Eia nunc, bone Iesu, eia moestorum consolator, moestos tuos laetifica famellos! Veniat, veniat, oramus, certus nuntius, qui superbiae filium, desertorem ecclesiarum, sanctimonialium stupratorem, virginum violatorem, virorum sanctorum combustorem et omnium contemptorem, obiisse confirmet! Hic enim se contra Unigenitum tuum contraque templa sacrata nomini sancto tuo sic superbus erexit, ut penitus deneget te nomenque tuum a se digna referat clade contritum. Deice, deice eum, Domine, gladio virtutis tuae, quemadmodum Pharaonem demersisti, qui in curribus et equitibus suis confidebat, et sicut servos tuos, prout promiseras, liberasti, ita nunc, Domine, rex regum, clemens, pius ac misericors, salva nos de manu eius, quatenus eruti et liberati omni tempore sine timore mereamur laudare et benedicere nomen gloriae tuae sanctum, qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

16. Igitur haud multo post, cum quidam nostratium, qui multo tempore in ipsis pervagarat hostium tentoriis, repedasset, sciscitanti se Gregorio consuli taliter obitum insolentis exposuit regis. " Domine, inquit, cum protervus et impius ille ad expugnandam urbem Consentinam exercitum omnem studiosis destinasset successibus et nullo modo exinde ad suae dispositionis cupitum posset attingere, sed insuper filium suum cum valida pugnantium manu ibidem amitteret, consternatus animo, haud longius locari castra praecipiens, multa super eandem, multa super omnem terram hanc, maxime in Romanam urbem, verba iactabat. Qui dum magno curarum fluctuaret aestu in quadam ecclesia beati Michaelis archangeli tandem procubuit suaque dedit per membra quietem. Cui mox in ipso strato sine mora furenti quidam grandaeva imagine senex apparuit. Ad quem ille rabido haec addidit ore: *Vir*, inquit, *iniuste, coram me es ausus ingredi? Moriture vir*, *adhuc astas et te non proripis foras?* Sed senex in vesanum coniecit baculum, quem manu tenebat, et, cum eum in femore percussisset, ex oculis eius evanuit. „

17. " Tunc illi a somno evigilanti ingens pavor advenit; ac per tota castra direxit, ut si quem Latinorum invenissent, ad eum quantocius perferrent. Mox memet invenientes, properanter ad eum adduxerunt. Quem interrogans, ait: *Qualis quantusque sit Petrus senex, maturius edissere mihi.* Cui ego turbatis vocibus respondeo: *Domine, nescio, quem Petrum asseris.* At ille: *Romanum*, inquit, *nusquamne vidistis eum picturatum?* Statim animatus confidenter aio. *Domine, senex, grandaeva imagine, caput barbamque attonsus.* Protinusque ille: *Ipse me*, ait, *percussit. Nam cum membra thoro stravissem et cor meum varias raptum in curas multa super Hesperiae et Romanae praesertim urbis demolitione discurreret, subito mihi ille senex astans apparuit, et magna vi telum contorquens, latera mea transfodit.* Sic fatus, iam ab illo die nequaquam surrexit; sed cotidie ingravescente dolore, cuncta sua paucis diebus intestina emittens, stygialia regna petivit elysiumque illud lactis et mellis invenit, quem pro christiana distractione suis falsi-

(1) Accidit die 23|24 m. octobris a. 902. AMARI, *O. c.* II, 95 in not. et *Bibl. Arab. Sic.* I, p. 395.

dicus promiserat sponsor. Mox nepos eius, qui suffectus in tyrannide fuerat cum illo ingenti, quamquam discordi, exercitu ad propria remeans, multa ex eo naufragio amisit. „

18. Hactenus noster stylus minutatim, quae de horrendo rege necessaria videbantur strinxit. Nunc ad b. Severini miracula, quae in eadem ecclesia ante vel post collocationem ipsius patrata sunt, accingamur.

Iohannes igitur quidam, generosis parentibus ortus, cum post multam dapsilitatem, qua in saeculo floruit, monasticae conversationi toto se subdidisset affectu, languores inter plurimos, etiam cruralibus laborabat incommodis, ita nimirum, ut exinde sanies crebra profluens per decem menses nullo magisterio valeret abduci. Sed quia vir ille semper ex suis valetudinibus Deum glorificans s. Severini flagranter subsidia expetebat, nocte quadam soporatus, vidit eumdem Christi confessorem, quatuor comitantibus monachis, quasi suo resideret in lectulo. Quem cum ille tacito defixus lumina vultu conspiceret, haerens in eo paullatim coepit abolere dolores. Tum ubi sanctus mortalibus est ablatus ex oculis, monachus confestim evigilans, leviusque se habere persentiens, medenti Christo eiusque famulo gratiarum actiones plurimas agit; post paullulum tantam, sicut optaverat, gressuum est sospitatem adeptus, ut pedetentim ecclesiam ingredi, et sancti viri corpus quiret devotus adire.

19. Alius quoque presbyter cum nullis unquam collyriis valuisset lippida oculorum carere molestia, spe quantulacumque adipiscendae medelae temporibus est utrisque cauteriatus. Mox mirum in modum tanta profluxione cruor ex ipsis plagis manabat, ut nulla manus opificis, nulla virtus aromaticae obicis, ebullienti tabo compesceret. Hac ergo letali affluentia desperatus, sese ad memoratum sancti Severini oratorium credulus advectari praecepit; ibidemque recumbens, cum saepius sanguis efflueret, vidit, sicut nunc ipse testatur, in specie doctoriciae picturae, sed habili vigore nitentem eumdem cum discipulis sanctum adesse, suaque vulnera cataplasmate, quod manu attulerat, summatim ligare ac ulterius non comparuisse. Presbyter illico salvifica visitatione alleviatus, et in brevi incolumitate donatus medico medicinaeque, auctore Iesu, affatim gratificato hilariter ad propria repedavit.

20 Daemoniacus item, Petrus nomine, et ipse a parentibus suis ad basilicam eamdem perductus, una dierum, nequitia diaboli eum instigante, coram abbate carnalibus ludificabat illecebris. Quem ille, ut incestuosius titillari conspexit, et minaci redargutione tale quid prohibere nequivit, miserabilem ferula terque quaterque illum percussit. Mira Dei clementia protinus dexteram verberantis talis est comitata sanitas, ut beneficii memor in s. Severini sollemnitate cum annua semper devotione devotus occurreret.

21. Quaedam denique nobilissima mulier, sanctimoniali redimita professione, ad menses ferme decem exactos, cum frigore febrique laboraret, ad ipsam processit ecclesiam et in altario, in quo corpus viri Dei permanebat, missam sibi abbatem libare faciens et aquam sanctificatam hauriens recessit ad sua remeans et post quatuor dies cupitae salubritati redintegrata assiduis Deum sanctumque ipsius laudibus sublimavit.

22. Dum venerabilis pater et patrator monasterii ad completorii officium una cum fratribus laudes Domino redderet, lampas de candelabro in lithostrato concidens extincta

est. Hoc cum praefatus abbas vidisset, facta quadam hilaritate, cepit dicere: *Ubi est virtus tua, Severine beatissime.*

Talia sancte tibi famulanti commoda praestas?
Hoc lumen praebes, cui munia sancta facessunt?

Olim namque Helisaeo similis vas vacuum oleo redundare fecisti ac petentibus egenis ad faciem tribuisti cereosque extinctos accendisti, et incredulorum mentes illuminasti, nunc e contrario nobis tibi famulantibus et luminis claritatem et Deum abstulisti. Nonne si te minime dilexissem hanc tuam aulam sine lumine manere fecissem? Haec cum dixisset praecepit astantibns fragmenta colligere; euntes autem, mirabile dictu, invenerunt lampadem non solum illaesam, verum etiam tamquam umano ministerio olei liquore usque ad summum repletam. Mirari omnes coeperunt, omnes Deo omnipotenti gratias agere et b. Severino, qui tale miraculum patrare dignatus est. Tunc placuit omnibus, ut illum oleum ad infirmorum unctionem reservaretur, quod et factum est; ex quo multi postmodum infirmi peruncti, sunt ab eorum aegritudinibus sanati, laudantes et benedicentes nomen Domini nostri Iesu Christi.

23. Quidam vero puerulus valde a daemonio afficiebatur; nam et vocem penitus perdiderat et auditum. Hunc itaque parentes, cum tenerrime diligerent, ad oratorium b. Severini adduxerunt, et ante altare, ubi sacratissimum corpus illius requiescit, posuerunt. Ibi cum doloris amaritudine, nec tamen sine fidei devotione, illum deprecabantur et dicebant: *O magne amice Dei, o confessor per omnia venerande, subveni, succurre afflictioni nostrae celerius; quantum enim tua merita sint gloriosa apud maiestatem regis aeterni, non ignoramus, quantaque beneficia miseris praestitisti affatim declarata coruscant. Tu enim es ille confessor eximius, qui quondam superbientes monachos paterno moderamine corripiens, spiritui nequam tradidisti, et, cum voluisti, mirabilem curasti. Ergo posce, quesumus, Salvatorem Dominum, qui ut nostris merentibus malis digne hoc de nostra sobole patimur, tuis sacris meritis beatificari mereamur.* Mira Dei clementia, dum parentes illius talem prostrati orationem complerent, mox puerulus, qui terribiliter vexabatur, obdormuit viditque in somniis eumdem beatissimum Severinum supra se stantem et orantem, et post orationem benedictionis subsidia conferentem. Nec mora; in se reversus, quid vidisset statim exposuit, et ex illa hora sanus et alacer omnibus diebus vitae suae permansit.

24. Monialis quaedam nobilibus orta parentibus optimisque praedita moribus occulto Dei iudicio energumena effecta adeo torquebatur, ut cruorem saepe evomeret. Huius parentes b. Severini virtute cognita ad illius tumulum deferunt et preces cum gemitu effundunt. Nec frustra; libera enim illico a daemonis vexatione effecta et pristinae incolumitati restituta, laeta cum parentibus in die translationis vota persolvit.

25. Quae omnia tam Neapolitani, quam finitimarum urbium cives videntes quotquot infirmos habebant, ad b. Severini corpus deferebant sanosque referebant domum. Hisque mota nobilis Neapolitana matrona, cuius puerulus, Andreas nomine, a daemone acriter vexabatur, ita ut numquam quiesceret, sed stridoribus et horrendis motibus quassaretur, die quo b. Severini e Lucullano corporis translatio celebrata est, ad tumulum sistit,

noctemque ibi manens post missarum sollemnia sacrosancto Christi corpore refecta, daemon abscessit et gratias Deo et b. Severino agens illius gesta praedicabat.

26. Quaedam mulier ob capitis morbum oculis capta ad tumbam pervolat, ardentesque ac summa fide preces effundit; lumen recipit, et pro eo sancti laudum praedicatrix effecta alios ad sancti opem implorandam alliciebat, qui eiusdem sancti beneficiis postea fruebantur.

27. Clericus Neapolitanus febri correptus, nequicquam medicis opitulantibus, omne patrimonium effuderat. Audiens sancti benignitatem, parentem suum increpat instigatque, ut iuxta apostoli verba sacerdotes advocet, et oleo se perungi curet, et deferatur ad sancti tumulum, ut sicut alii lumen et salutem meruerunt, ita etiam ipse morbo liberetur. Advolat pater ad Nonas? abbatem adit, filii mandata exponit, qui respondit: *Magna est fides filii tui*; *in nomine Iesu Christi et meritis b. Severini illius consilium non omittamus.* Statim presbyterum cum aqua benedicta et oleo aliorum aegrorum allegat, oleo perungit, et aquam propinat. Illico sanitatem pristinam recuperavit. Et paullo post refectis viribus ad basilicam sancti se confert, et vota et officia devota mente persolvit.

28. Hic cum tantum beneficium non desineret aliis declarare ilustris femina, quae unicam filiam ita manibus destitutam habebat, ut ad os admovere nullo pacto posset, ad templum se confert; patri monasterii illam offert, filiam per sancti merita adiuvet, rogat, solitumque praebeat oratione auxilium. Huius pater cognita fide petit, an credit posse filiam per sancti preces sanari: *Credo*, respondit illa, *etiamsi mortuam detulissem.* Admiratus fidem pater, ante altare deponi filiam iubet, celebrataque pro illa missa, aegra convaluit. Surgensque clamabat: *Scitote b. Severini meritis me esse curatam*; narransque cunctis recuperatam sanitatem sanctique virtutem, fama ad curialis cuiusdam aures pervenit; cuius puer famulus sensum perdiderat et intellectum, ita ut veluti epilepticus huc illuc oberraret non loquens. Huius amentiam non ferens dominus et de meritis sancti Severini plurimum confidens ad illius monasterium duxit, patrem coenobii rogans, ut oleo perungeret lampadis, quae ad ipsius tumbam nocte dieque ardebat. Cui annuens ille ad sanam restitutus est mentem puer, nec tanti immemor beneficii laetabundus sedulo cum verbo et luminaribus gratias Christo referebat.

6. *Acta translationis sancti Sosii auctore Iohanne Diacono.*

(Ex editione *Bollandiana* cum cod. CHIOCCARELLII collata)

1. Prologus. Post nonnulla tyrocinii mei opuscula, quibus aliquantis per iuvenilem animum caritatis exercuisse videbar imperio, nullius fore disponebam intentionis, nisi ut magis hebetarer (a) desidia, quam fomenta lividae stomachationis alicui pro talibus subministrarem experimentis. Didiceram (b) quippe et satis didiceram, qualiter bilis ignita linguae facu-

(a) *Ita in cod.* CHIOCCARELLII; *in editis:* hebetaret.

(b) *In cod.* CHIOCCARELLII *et apud* SURIUM: didiceras, *ut et antea:* subministrares; *sed perperam*, *uti recte observat* STILTING.

Iam torrens continuos ureret dentes. Huic ergo decreto cum inclinatus animo adhaesissem, inter plurimorum sodalium coepi etiam et domini Iohannis venerabilis sancti Severini abbatis, quem umquam refellere nefas existimaveram, detrectare implorationes, adeo scilicet, ut ad id, quod de sancto Sossio fieri postulabat, multipharia evadens obliquitate diversus, modulum excusationis nullatenus inhiberem. Quod ubi vir strenuissimus animadvertit, non est passus ultra dissimulationis funiculum prolongari, sed per idoneos pervectores (a) domno Stephano suggessit episcopo, quatenus eius amplitudinis interventu obtineret, quod adipisci sua impetratione nequibat.

2. Extemplo me pontificalis accersitum sublimitas taliter increpando accepit. *Exciditne tibi, diacone, qualis obedientiae sit fructus? Exciditne Samuelis iusta indignatio dicentis: Melius est obedire quam sacrificare. Cur ergo surda praeteris aure, quod a Iohanne abbate totiens posceris? An ignoras, quantas utilitates talium narrationum scripta convectent? Si enim in eis totius christianitatis emolumenta percipiuntur, quare tu tua quaerens ostendis te colaphis non esse disciplinatum apostolicis?* Sic praesul. Et praesuli sic summissa voce respondi: *Si vestrae prius discretionis lance pensatur, quo potissime nostra vergat accusatio, iustissime castigamur, sin alias, quare tantis frangimur* (b) *increpationibus? Habet, inquam, habet affatim vestri compertum* (c) *acumen ingenii, quomodo plurimae martyrum passiones ex historiis et annalibus sunt decerptae, in quibus commendabatur seriatim quicquid gentilis illa perpetrabat examinatio. At nos, quibus nulla talium facultas suppeditat, quo exequi pacto cogimur, unde rectissime favorabili denotemur mendacio et inevitabile pseudoepigraphi discrimen incurramus.* Hanc praesul ille apologiam tali protinus auctoritate conclusit: *Procul hinc, procul, si placet, totius objectionis ambago recedat. Est enim exinde quaedam scriptura, lepida, ut reor, digestione contexta, quam me olim vidisse recordor. Et quidem quoniam longi temporis meta relabitur, idcirco cunctando assero, utrum necne sancti Ianuarii gestis, cum quo fortissimus Christi athleta immortalem percurrit agonem, aliqua sit ex parte diversa. Tamen haec, qualicumque stilo prolata constet, sumenda est a te, et, sicuti certum est tuos fecisse majores, quaeque sunt superflua, reseca, necessaria subroga, inepta abiice. Et una cum his, quae de inventione corporis eius sunt, fide tua, qui interfuisti, in civilem redige compositionem, quatinus pro tanti laboris compensatione municipatu tandem martyriali, Christo largiente, perfrui merearis.*

3. Ad haec ergo nihil ultra respondere praesumens, coactus inchoavi, quod spontaneus recusabam. Sed quia in memoratis scriptis, infatuato quamvis sale pertinctis, nulla parentum ipsius, nec pontificis saltem, qui eum redimitione levitali dicaverat, mentio inerat, et conquerentes ex hoc viros etiam non spernendae gravitatis perspeximus, ideo summatim commemorare libuit, ut nec ego sim in antea obnoxius, nec illius temporis pertinaciter incusentur scriptores. Quoniam multus accidere potuit eventus, aut latibuli scilicet aut mortis, necnon et ignorantiae vel aliud quid verisimile, unde iusta possit oriri ex-

(a) *Ita ap.* CHIOCCARELLIUM. *In editis:* proventores, *vel* perventores.

(b) *In cod.* CHIOCCARELLII: fatigamur redargutionibus.

(c) *In cod.* CHIOCCARELLII: nostri competens.

cusatio, quod silenter praetermissi fuerunt. Tamen quomodocumque acciderit, quia nulla valet modo coniectura, censeri constat me credulitate media nihil ambiguum in istis posuisse narrationibus. De caetero nunc agendum est, venerabilis abba, ut nuper promissis orationibus sic meam iuves inertiam, quatinus sit Deo acceptum et hominibus gratum huius nostri laboris conamen . . . .
. . . .

24. Post eversionem igitur Lucullani oppidi, sicut in alio constat libello (1) expressum, cum memoratus abbas corpus sancti Severini meruisset adipisci, coepit sese omnibus praeparare impensis, ut ad honorem eius, opitulante Deo, basilicam camerato posset aedificare labore: ac per hoc dum ubique sollicitus investigaret, ut tanto operi competentem valeret inveniri materiem, ad Misenate direxit castellum; nam sexaginta evolutos iam pene per annos ab Hismahelitis erat demolitum oppidum illud, et ad solum usque prostratum. Monachi vero, qui ad hoc transmissi fuerant, dum humana curiositate, quae more solito stimulat semper ignota scrutari, diversa per loca subissent, ad contemplandam ipsius episcopii fabricam processerunt. Inde cum ecclesiam sancti Sossii fuissent ingressi et sub illo ingenti lustrassent singula templo, tres litteras prope obliteratas ex eiusdem sancti vocabulo conspexerunt. Quarum scemate protinus exhilarati: *Eamus*, inquiunt, *eamus et domino abbati talia nunciare non remoremur.* Qui e vestigio regredientes, et cuncta, quae fecerant secundum regularem institutionem recensentes, adiecerunt. *Si tua, pater honorande, voluntas est, possumus sanctum reperire Sossium. Vidimus enim in ipso pariete, cui altare subjacet ipsum, tres apices quasi latitantes, qui nostris pro certo mentibus indiderunt, quod si quilibet lector idoneus affuisset, incunctanter ad rei veritatem pertigissemus.*

Horum itaque assertiones tacito abbas ipse corde revolvens, compescere prius eos honesta studuit gravitate. Dein quia illi quodam instinctu magis ac magis talia repetebant, insuper et promptis affirmabant attestationibus, consensit tandem: sed quia non fore canonicum aestimavit absque pontificali licentia, cuius et iuris erat, illuc transmittere, per Auxilium (2), Domini sacerdotem, meae indolis praeceptorem, supplicando direxit domino Stephano episcopo, quatenus si divina largitate donatus munere tanto tamque praeclaro fuisset, permissu eius in suo monasterio collocaretur.

25. Tunc praesul pio suspirans affectu: *Annuat*, inquit, *Dominus precibus servorum suorum, et aperiat illis thesaurnm misericordiae suae: quia multi fuerunt, prorsus multi, qui se ad illud inveniendum omni studio accinxerunt, sed occulto Dei judicio numquam exinde ad effectum pertingere potuerunt. Nam Sichardus princeps Longobardorum post innumera mala, quibus urbes nostratium afflixit, etiam ad hoc prorupit*

(1) Scil. de translatione s. Severini.

(2) In editis et in cod. CHIOCCARELLII *per auxilium Domini* etc. legitur; quod nullam, ni fallor, heic rationem aut significationem habet. Quamobrem ego ex coniectura mihi ab ipsius sermonis contextu suppeditata locum aliquanto obscurum, ut supra, restitui, et ita intelligo, ut *Auxilius* habeatur nomen proprium illius sacerdotis, qui ab Iohanne abbate ad Stephanum episcopum pro permissu implorando missus fuit. Quae coniectura, si accipienda est, novam nec spernendam nobis de Iohanne Diacono notitiam confert, eum scilicet Auxilii presbyteri, (V. infra) qui Stephani ep. amicus et defensor fuit, discipulum fuisse.

ut sepulchra suffoderet, et sanctorum ex eis corpora sublevaret. Sed martyrem hunc, licet alium pro alio reperisset, et nomini ejus ecclesiam consecrasset, nequaquam invenire potuit. Postmodum quoque dominus Athanasius episcopus sanctae memoriae, germanus meus, summa probitate, hujus margaritae investigator extitit: sed nec ipsi collatum fuit. Nunc autem si divinae voluntatis est, ut illis pandatur, quis est tam demens qui contraire supernae dispensationi nitatur? Talibus confestim eulogiis animatus abbas ipse accersivit me Iohannem sancti Ianuarii diaconum et Aligernum primicerium et Petrum subdiaconum; et facta nobis praeceptione iniunxit, ut cum Iohanne cognomento Maiorino praeposito suo et Athanasio illustri monacho Misenum proficiscentes, nostro discerneretur arbitrio si quid acceptabile tanta monachorum insinuasset assertio.

26. Nos quidem tanto viro haud segniter obsecundantes, altera die iam inclinata ad vesperum, naviculam (a) ascendimus, et Puteolos annavimus (b), ibique parva quiete corpora procurantes, simili nos somnio de inventione martyris laetificaverunt Athanasius monachus et Petrus suddiaconus. Sed quia multos errare somnia fecerunt, idcirco nec penitus detraximus, nec accomodavimus fidem; tamen e vestigio surreximus, et ante lucem ad illud sancti Sosii properavimus templum, ubi dum ex more matutinales decantassemus hymnos, et velut homines diu ad tantarum enormitatem camerarum obstupesceremus, inventores litterarum tandem vocavimus, et nobis apices ipsos monstrari praecipimus. Quibus examussim perpensis, et fratrum simplicitate considerata, non subsannando, sed compatiendo diximus: *Haec, inquam, fratres, tria grammata vestram potius declarant intelligentiam, quam aliquid emolumenti conferant; si enim evidenter cognoscere vultis quid haec innuisset exaratio, versus fuit olim hujus abolitae imaginis desuper stantis.* Mox omnium diriguit animus, et quanta prius laetitia gestierat, tanta subito maestitia retrahebatur, ita dumtaxat ut memoratus praepositus commotus adversus ipsos monachos, diceret: *Oh utinam numquam vestra loquacitas audita fuisset, ecce homines isti tantam fatigationem pro charitate fraternitatis arripientes, vacuos sese hinc discedere timent: nam ceperant fodere circum altare quod illis ostenderam, sed nihil inveniebant, nisi sepulturas inanes.*

27. At ego interim unam contemplabar fenestram et tacitus admirabar non solum situm eius, qui in tanta mole tam tenuis videbatur expressus: sed antiquorum maxime industriam, quae in condendis corporibus, immo in omni artificio tanta calluit astutia, ut difficilius posterorum animadversioni pateret. Dum haec autem, mecum ipse revolverem, subito quadam inspiratione perculsus, Aligerno primicerio et Athanasio monacho, qui mihi dextrorsum assistebant, dixi: *Si quid veri mens mea conjicere potest, plus haec fenestra deceptionis quam lucis habere videtur.* Et illi: *Quo,* inquiunt, *modo?* Quibus ego: *Si ad integrum lustrare quivissem qualiter locata consistat, statim propalatum fuerat* (c) *quomodo cunctos quaesitores martyris hujus valde fefellit.* Sic fatus, una cum ipsis

(a) *Ita apud* Aa. Ss. BOLLANDI. *In cod.* CHIOCCARELLII *et ap.* Falconium*:* sagenam.

(b) *In cod.* CHIOCC.: ivimus.

(c) *Sic omnes pro:* fuisset.

extemplo foras egredientes, certatim per dumos et vepres aditum temptabamus: succreverat enim illic horribilis saltus, quem densi complerant undique sentes. Horum ergo lacerationibus cum foedissime vulnerati debilitaremur, Athanasius, plenae devotionis monachus quamvis laniatus, tandem prorupit, et me prae gaudio terque quaterque nominatim exclamans, se cominus applicuisse vociferavit. Tunc nos alacriter in eamdem regredientes ecclesiam, innixumque illum super eamdem fenestram conspicientes, sciscitati sumus quo curtis vergeret illa, quali themate piscina surgeret ipsa? Cumque ille consultius ad singula respondisset, latomis confestim accitis; *Eia agite*, inquam, *praecipitate moras, et altare hoc ad demoliendum totis insurgite viribus. Nulla cunctemini reverentia; quoniam melius est ut nostris honorifice nunc evellatur manibus, quam postea Sarracenorum vel sacrilegorum perfidia contemptibiliter diripiatur, si fuerit integrum in tot ruinis relictum. Et spero equidem in Deo meo, quod hodie totius fatigationis et lassitudinis immemores, pariter de bonis Domini gestiamus.*

28. Mox illi velut si coelesti oraculo exhortati fuissent, propere corripiunt trullas, et ovanter nostra iussa facessunt. Cito ergo citius altari destructo, apparuit musiva, quae sub ea latebat, et effigies sancti Sosii titulata litterulis et angelicis coronata manibus, cuius habilis nitor ita omnes illiciebat, ut Iohannes praepositus illam ex ipso pariete nonnisi immutilatam evellere, et secum exinde integram perferre desideraret. Sed quia omnis ista intentio sub uno coementarii est ictu frustrata, conversus ad transfodiendum ipsum parietem una nobiscum fremere coepit aviditate tota. Nam visa illa praerogativa inventionis effigie, sic omnium incaluerat animus, ut esset videre, quasi alter alterum niteretur excludere, dum unusquisque singulariter suum ostentare fervoris studebat affectum. Sub hac nempe laudabili altercatione, largius exciso pariete, reperimus inextricabilem ad instar specuum machinam, quae cunctum nobis auferebat prospectum. Erant namque quatuor sepulchra inania, super invicem posita, et duo hinc inde subiecta, sed sibimet uno mechanicae artis glutino copulata, ad quorum mirabilem concatenationem exprimendam facundissimus, ut reor, etiam torpuerat (a), si ab inferis emersisset, Homerus. Sed quid potest contra benignam Dei largitatem humana valere sagacitas cum scriptura proclamet: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum?* Celeriter ergo contritis et istis, tantae iocunditatis odor, ac si cupressi videlicet efflaverit ab intimis, et non solum ipsa die nos inexplebiliter, sed etiam pene ad medium mensem satiaret omnes illuc accedentes: et mirum in modum quanto plus naribus odor ille ambrosius attrahebatur, tanto delectabilius hauriebatur. Huius itaque suavitatis manante fragrantia, quid nisi, quod supra in Domino confisus spoponderam, protinus abolita est omnis gravitudo laboris, fugit omne fastidium ambiguitatis; et succedente laetitia, curiosissimis oculis latebrarum penetralia considerabamus.

29. Sed quia sub illis cavernis varie retundebantur acies intuentium, allatum est lumen; et evidenter introspicientes, cum vidissemus arcuatam tumbam ad instar basilicae brevioris expressam, perculsus sum illico relatione clientum domini Athanasi maioris e

(a) *Sic in omnibus.*

piscopi, qui quemdam presbyterum aetate provectum, et Misenatis excidii superstitem, eidem praesuli suggerentem audierunt, quod sanctus Sosius (sicut praedecessorum suorum continuata traditione didicerat) in ecclesiola super se reconditus esset. Ad hanc ergo cominus accedentes, corpusque sanctissimum intuentes, non mihi si linguae centum fuissent oraque centum et ferrea vox, exprimere potuissem quanto gaudio gestissemus. Revera enim pro ingenti laetitia ubertim etiam lacrymas fudimus, et debitas omnipotenti Deo gratias consona voce persolventes, misimus ex consulto circumquaque, ut omnes accurrerent et essent non solum ineffabilis nostrae epulationis participes, verum etiam et tantorum Christi magnalium testes. Interea nos coram ipso mausoleo, divisis chorulis, hymnos davidicos concinentes, mirabamur tam celerem, tamque frequentem populi concursum. Affluebant enim plurimi non tantum ex adiacentibus castellis, sed etiam ex illis, qui pro fovendis corporibus ad ipsas venerant thermas; quoniam fama, mirabile dictu, praevenerat iam nuncios nostros, et omnium penetrarat ad aures.

30. Horum siquidem cum tota die sustinuissemus adventum, et eadem nocte illic excubassemus, delectabile somnium, imo sicut postea docuit exitus, veritatis indicium vidi. Nam cum vigiliis curisque confectus eminus procubuissem, et, ut matutinalibus horis assolet plerumque fieri, ancipiti fuissem sopore correptus, duos ex eiusdem tumuli aditis conspexi prodire iuvenculos, crine nigerrimos, oculis sidereos, vultu perspicuos, habitu niveos, et, ut breviter dicam, tota iucunditate angelicos, quorum pulchritudo sic me attonitum reddidit, ut nequirem interrogare qui essent. Tamen cum ipsi ad me studerent quasi pedetentim accedere, ne videlicet gressus allidерent in lapidibus ibidem congestis, et ego quodam praestolarer affectu cum eis impartiri sermonem, Iohannes praepositus insolenter exclamans, me e gravissimo somno excussit. Contra quem graviter commotus dixi: *Non tibi unquam, fervide frater, relinquatur inultum, qui tua me improbitate tanto bono repente privasti.* Et, exposita illis visione, mihi pertaesum et ceteris; ipsi quoque praeposito miseranda confusio ingeminabatur; adeo quippe, ut ora vicissim replicantes, vario coniicere studeremus assensu, quid tanta visio innuisset. Aestimantibus autem sic aliis, et aliis aliter, ecce Iohannes Cumanus episcopus cum omnibus suis et ipse accitus affuit, qui diligenter martyrialia membra perlustrans, et ea omnia adhuc compage solida obstupescens: *Vere,* ait, *olim David sanctorum incorruptionem attendens cecinit: Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex eis non conteretur.* Et conversus ad populum exclamavit: *Nulla, fratres, intersit dubitatio, nulla cunctationis vestigia cujuslibet in corde remaneant; quia hic est profecto Sosius levita et martyr, cujus caput quondam pro Christo abscissum, cervice tenus illi modo locatum, et destrum paulisper ad humerum inclinatum luce clarius contemplamur.* Dixit, et missarum solemniis ibidem celebratis, una nobiscum alternatim coram locello psallentibus, usque ad mare descendit.

31. Revertente autem eo et universo populo, nos ratem ascendimus, et cum ingenti tripudio coepimus tranquillissimum remigare per aequor, ubi nobis accidit haud silendum miraculum. Nam cum litus Averni tuto cursu praeterissemus, et oris iam Puteolanis successissemus, subito nimbosus turbo assurgens, toto in nos stridore totaque intentione fremere videbatur. Mox conturbatis monachis et valde fluctuantibus animo: *Nolite, fratres,*

aiebam, *nolite frustra metuere; si enim iste sanctus ad ea vult loca subire gloriosus, ex quibus aliquando fortis propugnator evasit, non fortuito, sed quodam superno nutu credamus hanc nobis ingruisse procellam*, *et ideo nec obniti contra*, *nec tendere fas est*: *sin alias et magis ac magis crebrescit, nihil est aliud, nisi sedet* (a) *huic, ut post sexcentos et quindecim annos*, *ex quo ad superos migrasse creditur*, *marinis abluatur lymphis. Quod, si praevidero ego, ante omnes, cui cominus assidet, tamdiu caput locelli hujus istis imprimo undis, quousque aut bene lotus ex eis emergat; aut istos trementes*, *velit*, *nolit*, *praestet componere fluctus.* Mirandis plus miranda succedunt; vix haec edideram et tanta est consequuta tranquillitas, ut iam pacatum per fretum litori scapham appulissemus, obstupescentes nimirum virtutem martyris etiam in verborum facetiis efficacem.

32. Refectis itaque celeriter in ipsa puppi, quae necessaria erant, ire perreximus. Sed quia propter innumerabilem diversae conditionis et aetatis occursum eodem die Neapolim attingere nequivimus, Lucullanum sumus ingressi castellum, quamquam eversum, et posito locello in ecclesia, ubi prius sanctus requieverat Severinus, copiosas ascaetriarum et insignium foeminarum catervas obviam habuimus. Tunc nihilominus et Iohannes abbas nuntio nostro excitus, cum omnibus monachis, quos invitaverat, advenit; et gratiarum actione in Deum celebrata, per totam noctem unanimes graecam latinamque psalmodiam sonoris vocibus concreparunt. Mane igitur facto, Stephanus episcopus et Gregorius consul cum omni populo sanctis occurrerunt exequiis, et pro inexplebili gaudio praeceperunt nobis cuncta sibi suggerere, quae de inventione ipsius fuerunt. Quibus cum omnia seriatim, sicut praescripta sunt, insinuassemus, quin etiam et congrue subiunxissemus qualiter amplitudo corporis eius secundum staturam aequiorem, ad quam metiri et comparari potuit, venia digna, quinque pedum et sex digitorum prolixa fuisset, protinus idem antistes miro succensus amore, inquit: *Felix ille, quem et in hoc saeculo ad expugnandam ethnicorum perfidiam robustissimum Christus formavit, et nunc in illo triumphantium grege inter primos primum coronat athletam.* Haec et his similia cum longi sermonis affatu protraxissemus, et insatiabilis audientium devotio eadem iterum iterumque repeti concupisceret, deductum est sanctissimum corpus cum omni gloria in monasterium diffamati abbatis, et nec multo post per manus praelibati antistitis reconditum est in altario ecclesiae sancti prius Severini vocabulo dedicatae, ubi omnibus se petentibus innumera praestare beneficia non desinit, ex quibus tria tantummodo istis commendamus litterulis, caetera, quia multa sunt et incomprehensibilia, fervore potius celebrentur.

33. Quaedam denique puella nobilium famula, miserabilibus articulorum coarctata doloribus, cum ad huius sancti ecclesiam perlata fuisset, et lita membratim ex oleo lucernae, coram ipso altari indeficienter ardentis: revecta est domum, ibique post aliquantulos dies tantam est consecuta sanitatem, ut illam martyris interventu fuisse salvatam, nemo fidelium ambigat.

34. Filius denique puer, cum propter horribilem capitis dolorem saepius crassum vomeret

(a) *In edit. Falconii*: nisi se det huic, *et forte melius.*

ore cruorem, et nullam medicinali artificio posset adipisci medelam ; ductus et iam seminecis a parentibus, et coram ipso altari proiectus. Quorum fidem et eiulatum custos ecclesiae, vir celerrimae compassionis, ut vidit, confestim pueruli frontem et tempora ex memoratae lampadis oleo perunxit, atque ita, ut allatus fuerat, moribundum iacere permisit. Mox mirum in modum coeperant ex auribus eius vermiculi prodire quamplurimi, et, velut si quodam stimulo agerentur, praecipites in terram defluere, quibus ad unum explosis, laudabile dictu, redintegratus est sensim puer vigori pristino, et quem genitores ante paululum moriturum lugebant, repente gaudebant incolumem, magnificantes Deum, qui per martyrem suum tanta beneficia praestat indignis.

35. Quidam praeterea nomine Stephanus quotidiano languore correptus, ad hoc ipsa diuturnitate pervenerat, ut iam desperari ab omnibus coepisset. Hic ergo cum quadam nocte humanae legis angore contritus, simul et invaletudine gravatus, nimium tristis recumberet, videt, quasi per somnium, quemdam iuvenem omni decore nitentem, seque placidissime sciscitantem qualiter esset. Cui cum ille mortis terrore perculsus respondisset : *Male prorsus et in tantum male; ut ex hac infirmitate nullo modo credam evadere*, protinus audivit: *Constans esto, et veni ad me.* Tunc ille sollicitus inquisivit, dicens : *Tu quis es domine, qui iubes me venire ad te?* Cumque ex ore leniter respondentis Sosium intellexisset, expergefactus, diu multum de visione haesitavit, tandem advocatae uxori suae cum omnia recensuisset, coepit illa viriliter eum exhortari : *Proficiscere, quia ipse est procul dubio sanctus Sosius, quem pro salute omnium in hac terra coelestis Dominus condonavit.* His monitis animatus homo venit et spe credulus tamdiu perseveravit quousque sanitatem reciperet secundum veridicam, quam in somno sponsionem acceperat. Cuius beneficii memor, voti compos, semper occurrit, et in virtute martyris Christum collaudat totius salutis authorem.

6. *Libellus miraculorum S. Agnelli abbatis*

(Ex codd. (1) Neapolitanis)

Prologus de vita et obitu b. Agnelli. Inter cetera etc. Explicit Prologus
1. Igitur vir Domini etc. . . . . . . (2).

. . . .

Fuit quedam puella in vico, qui dicitur Centuria (3), nomine Anna, que languorum valitudine oppressa, ita omne corporis officium perdiderat, ut quasi cadaver sine anima

(1) De codd. Neapp., in quibus libellus iste habetur, iam supra p. 22 egi. Heic tantum lectores monitos velim me in eo typis iterum edendo lectionem cod. VIII, B, 47 (A) secutum fuisse, et, ubi ipse defuit (caret enim aliquo miraculo et insuper folio uno) codicem VIII, B. 8 (B) adhibuisse; aliis scilicet VIII, B. 7 (C) et IX, C. 33 (D) praeterea non omnino neglectis.

(2) Cum ea, quae Petrus de vita b. Agnelli scitu digna tradit, supra *l. c.* retulerim, reliquum, quod in prologo et cap. I legitur, ac alia quaedam in sequentibus capitibus, quae ad historiam nostram prorsus inutilia sunt, et solummodo declamatorium atque poeticum auctoris ingenium demonstrant, ego heic et deinceps, ne fastidium legentibus afferam, passim reseco.

(3) Vicus hic in docc. appellatur *Centura*. Cf. dipl. Sichardi princ. Beneventani, a. 833 ap. *Chron. Vulturn.* in R. I. S. I, 2, c. 386 et infra in *Regest. Neap.* Extabat in Liburia sive in territorio Liburiano; at post a. 1310 excidit. Nunc vix loci nomen superest. V. MASTROMINICO, *Ricerche sull'antico vico Fenicolense*, p. 68.

esse videretur. Quippe cotidiano sanguinis vomitu, nec comedere aliquid, nec bibere valens ad exitum propinquavit. Huic denique in extremo fine vite iam posite apparuit beatus Agnellus in speciem monachi, et ait: *Veni ad me Neapolim, et ego tibi salutis curam praebebo. Sed ne in dubium ex hoc venias, et incerta ex hac promissione existas, scito prenoscens quoniam consanguineum tuum illum, qui captivus a Sarracenis detinetur in civitate Bari, ego de vinculis eruo, et ad tuum solamen, ut te perducere ad me valeat, celerius reduco.* Mira Dei potentia! In hoc eodem tempore apparuit ipse sanctus eidem parenti eius in vinculis posito, cui dum in visione loqueretur, subito vincula eius dirrupta sunt, et omne subsidium itineris per tres continuos dies exhibens, duxit illum ad agnitum locum praecepitque ei dicens: *Noli, o fili, diligere mundum; neque ea que in mundo sunt. Sed expeditus omni carnali vinculo sub omni castitate Domini precepta custodi; conciteque revertens ad domum tuam languentem puellam consanguineam tuam inde assume; et ad me Neapolim deferre festina. Ego enim sum Agnellus:* et his dictis non comparuit. Attonitus autem homo ille et multa secum pertractans, dum cognovit quod non humana, sed divina fuisset illa apparitio, vigilanti studio preceptis sancti paruit, veniensque ad domum suam (a) eamdemque puellam vehiculo impositam ad eius ecclesiam continuo adduxit. Que, dum ante illius tumulum semiviva iaceret, apparuit ei beatus Agnellus confortavitque eam, et ait: *Forti animo esto, ne timeas, in proximo est ut a Deo cureris.* Erat autem illic quedam illustris femina, nomine Maria, doloris passione fatigata, cui eam commendavit dicens: *Scito quia de ista infirmitate hodie te curabo; puellam vero in crastina die curabo. Amodo etenim et usque ad anni presentis integrum spatium ab ista passione minime fatigaberis, postea vero ex hac infirmitate morieris;* quod ita factum est. Sequenti vero die dominico apparuit eidem puelle sanctus Agnellus, iam non dormienti, sed clare vigilanti, virgulamque, quam manu gestabat, ei porrigens dixit: *In nomine Iesu Christi domini nostri surge.* Que cum surgere nequaquam valeret, eamdem virgulam misit inter plantas illius et curvos digitos, quos infirmitatis magnitudo attraxerat, extendens sanavit. Omnes vero, qui (b) aderant, clamores puelle audiebant: quid vero audierit vel quid viderit (c) minime cognoscebant. Postea vero interrogata, omnia per ordinem pandit. Preterea precepit ei, ut sancte conversationis habitum acciperet, et in eo permanendo Domino deserviret. Que, dum cuncta perageret sicut monuerat sanctus, et domino Deo in sanctimoniali habitu famulari cepisset, inimicus boni operis diabolus illius obedientiae invidens, per germanam suam eam a sancto proposito revocare callida machinatione conatus est; sed dextera celestis auxilii super eam vigilans, quoniam non dormitavit, neque obdormiet qui custodit Israel, eam de faucibus illius celerius traxit. Nam veniens germana eiusdem puelle et eam multis blanditiis invitans, multisque seductionibus blandiens, volebat eam ad genitale solum secum afferre. Que dum instigata Satane telis redire anxiaret, mox, ut sermo egressus est de ore illius, statim priorem incurrit aegritudinem. Et cum iaceret anxia et nesciret quid ageret, apparuit ei beatus Agnellus et

(a) *In codd.* C. *et* D. *desunt verba*: veniensque ad domum suam.

(b) *In cod.* A. *ex errore deest:* qui

(c) *In cod.* A. *male:* audierint.

talibus eam verbis arguere cepit: *Hec est*, inquid, *gratia ad benefactorem tuum, quomodo tam cito mei oblita es, et acceptam Christi gratiam dimittere cogitasti, qui te de tantis periculis eruit? Heu fuge mundanum lucrum, fuge gaudia mortis et celestia semper dilige, ne deterius tibi aliquid contingat.* Hec ubi dicta dedit secularem habitum, quo induta erat a capite usque ad pedes, abscidit; que cum rogaret ne illum scinderet, comminans ait: *Ergo ad priorem valetudinem redire cupis?* Mane autem facto quid viderit, quidve audiverit cum testimonio pallii abscissi omnibus innotescebat, ac per hoc diligenter instructa, didicit in Dei servitio cum sanctimoniali habitu fideliter famulari. Ex illo etenim tempore, quo per seriem huius revelationis merita sanctitatis eius glorificata sunt, non solum ex Parthenope vel vicinis civitatibus, verum etiam ex longinquis regionibus fideles populi variis languoribus venientes oppressi ad eius sacratissimum corpus, opem salutis, illo intercedente, a Domino celerius accipere meruerunt.

3. Huius denique sancti virtutem audiens quedam paralitica civis Neapolitana, que annis multis iacuerat oppressa valitudine et ita nimietate languoris manibus ac pedibus irretita erat, ut neque de strato surgere, nec manum ad os ducere valeret, parentum manibus advecta ad eius basilicam venit. Hec, dum ibi iaceret et salutem a Domino per sancti Agnelli merita postularet, apparuit ei beatus Agnellus, et quasi adgaudens faceta quadam hilaritate ita eam affatus est: *En reddetur huic civitati participatio sacri corporis, et sanguinis domini nostri Iesu Christi.* Eo etenim tempore Neapolitanus populus excommunicatus erat a Romano pontifice scilicet ab octavo Iohanne, pro eo quod post obitum Athanasii senioris episcopi, Sergius, dux iunior, fedus cum Agarenis inierat (1), et adiecit: *Tu quoque tale gaudium afflicte civitati nunciare festina.* Que cum paralitica requisisset: *et michi*, inquiens, *quid prodest, et quid facere debeo, ut salva esse possim*, ait: *Si enim anime et corporis invenire cupis salutem, renuncia huic seculo, et Domino incipe famulari, qui est animarum et corporum custos. Sed ne de tunica sollicita sis, accede ad sanctimonialem feminam, postula ab ea quoniam ipsa eam tibi prebebit. Ego autem sequenti nocte veniam, ut et salutem tibi tribuam, et sancte conversationis vestem te induam, quatenus a modo iam non seculi, sed Christi famula existas.* Hec locutus abscessit. Leta vero effecta de gaudio femina promissionis tunica consequuta, promissionem beati Agnelli anxia expectabat. Sequenti vero nocte dum sollicita exinde vigilaret, ecce adest sanctus, sollicitus, gestans auream virgam calicemque sacratum et quasi Christi sanguine fartum, accedensque ad eam dixit: *Putasne implesti quod tibi precepi?* Que cum diceret: *Etiam, domine, nam et tunicam accepi et vestiri eam desidero.* Ait ad illam: *Apprehende hanc virgam, et propriis incipe incedere plantis.* Cumque se hoc non posse implere penitus negaret, apprehendit eam, et digitos manum ac pedum eius attrahens stare fecit, vestemque prephatam illam induit et quasi sacro corpore et sanguine eam muniens, dixit: *Ecce sana facta es, et sacro indumento munita in hoc sanctimoniali habitu semper Domino famulare et eius precepta indesinenter custodi.* Et his dictis ter illi sancte crucis signum

(1) A. scil. 877. V. supra p. 98.

imprimens, abscessit. Visus est autem eidem puelle exire fumus de naribus, et audivit vocem dicentem in visione: *Vicit me Agnellus.* De quo unde nemo dubitat adversarii vocem fuisse, de quo scriptum est: *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit querens, quem devoret,* qui neminem vult salvum esse christianorum, ut opus Domini perficere possit. Cumque se femina, que pene mortua iacuerat, sanam videret, et tunicam a sancto se vestitam adspiceret, pre nimio gaudio clamare cepit ac dicere: *Currite, currite, et videte magnalia, que super me facere dignatus est Christus per famulum suum Agnellum.*

4. Currentes autem sacerdotes loci ipsius, et ceteri qui aderant, ut viderent eam erectam et sanam; et, quod est mirabile, sancti Dei manibus vestitam, gavisi sunt vehementer laudantes et benedicentes dominum Iesum Christum, qui est gloriosus in sanctis, mirabilis in maiestate, faciens prodigia. Sed ne alicui hoc incredibile videatur, quod a sancto induta sit, meminerit Abbacuc prophetam, de Iudea in Babilonem ab angelo corporaliter cum prandio advectum se, et rursum cum Danihelem pavisset in Iudeam reductum. Et beati Petri catenas in carcere angelus absolvit, quod se invisum videre putabat. Omnia enim quecumque voluit Dominus fecit in celo, et in terra, in mari et in abissis. Hinc Salvator in evangelio dicit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Videntes autem populi tantam virtutem per Dei famulum in paralitica celebratam, omnes, qui habebant infirmos, ducebant illos ad sacratissimum corpus eius et sanabantur.

5. Inter quos quidam vir nobilis, nomine Iohannes, civis Neapolitanus, habebat servulum valde a demonio oppressum: adeo ut nemo ei proprius accedere auderet, nam continuo eum horribiliter dentibus laniabat. Fremebat enim cot idie, et spumabat, vociferabat, et torvo aspectu aspicientes sequebatur; interdum artus proprios dentibus laniabat. Hunc denique prefatus dominus suus cum retinere nullo modo iam valeret, manus pedesque illius ferreis nexibus irretivit, et nimium credulus de meritis beati Agnelli ad eius tumulum eum perduxit. Cumque illic iaceret, venit dominici diei festivitas, et, cum missarum officia perficerentur, magnis cepit vocibus clamare dicens: *Currite, currite, et michi misero quam cito subvenire curate.* Moti autem his clamoribus sacerdotes loci ipsius venerunt, et interrogantes eum quare ita eos vociferando clamaret: *Territus,* ait, *nimio pavore vos advenire nimis desideravi. Video etenim ante fores huius ecclesie teterrimum, et immanem draconem, qui aperto ore me deglutire inhianter nititur.* Cum autem cognovissent autem sacerdotes tremore et pallore vultus illius, quod hoc non insana mente proferret, ut solitus erat, sed veraciter satane transformationem cerneret, pro eo dominum Iesum Christum suppliciter rogare ceperunt. Illis autem orantibus, obdormivit; qui dum post modicum expergefactus interrogaretur, si adverse partis adhuc aliquid videret: *Deo gratias,* ait; *ante vestras orationes stare draco* (a) *non potuit, nunc cognosco, nunc video quanta sit misericordia omnipotentis Dei, et beati Agnelli gloriosa merita. Iam letus morior. Benedictus Dominus qui non amovit deprecationes vestras et misericordiam suam a me.* Sic itaque a potestate diabolice fraudis ereptus per merita beati Agnelli

(a) *Hanc vocem ex codd.* B, *et* C, *suppleo.*

magnam videntibus et audientibus devotionem in sua sanitate patravit. Hoc etenim mirabile videbatur in huius sancti Dei virtute curationis, quod et illi, qui non merebantur divino iudicio sanari, innotescebat, et, ne se desperarent, immo gauderent, quod Deus illos visitaret, plenius in revelatione instruebat, ac per hoc bono solamine refecti quasi sani et incolumes leti recedebant. Et hoc qualiter actum sit in multis, vitantes fastidium, in uno seriatim ostendamus.

6. Fuit quidem monachus nomine Iohannes, civis romanus, qui a Roma, fama sancti Agnelli invitante, adveniens magnis gratiarum virtutibus opulentus in eius ecclesia Domino serviebat. Et quoniam toto corpore horribiliter vulneribus erat repletus, visitante illo Domino, qui dicit: *Ego quos amo, arguo et castigo*, dum beatum Agnellum cotidie flagitaret, ut per illius merita sanitatem reciperet, hec visio illi apparuit. Stabat enim sanctus Agnellus super altare sancte Dei genitricis Marie veste indutus fulgida, quasi missarum solempnia celebrans. Stabant autem et quatuor agni nive candidiores iuxta quattuor cornua altaris, quasi obsequium sancto prebentes. Talia cum vidisset monachus cepit clamare plorando et dicere: *O sancte Dei verissime, quare michi non communicas quatenus per hec sacrosancta misteria salvari possim.* Talia clamitanti prebuit sanctus nummos decem; qui cum illos respueret dicens: *Non quaero nummos, Domine mi, nam michi quid prosunt, sed sanitatem volo:* Responsum ab eo accepit; *Accipe patienter et cognosce misterii veritatem. Quot enim sunt nummi, tot erunt utique dies, in quibus veniam, et quid agere debeas plenissime tibi insinuabo.*

7. Hoc audito prephatus monachus placide acquievit. Expergefactus autem retulit omnia seriatim eiusdem ecclesie sacerdotibus. Qui dixerunt ei: *Crede in Domino, frater, crede, ne dubites. Hec visio non sine causa apparuit, et usque ad verum finem te, Deo revelante, perducet. Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet: hominis est enim preparare, et Domini dirigere gressus. Ergo sollicitus expecta tempus, quod per nummorum numerum promissum est tibi.* Quid plura? decem diebus expletis adfuit sanctus Agnellus, expansisque manibus orabat in loco, ubi vultus imaginis Dei genitricis Marie videbatur esse depicta (a). Quo viso cucurrit et tenuit pedes eius dicens: *Hic moriar, sancte, ante pedes tuos; iam non recedam, iam te non dimittam, quousque pollicitam promissionem mihi compleas.* Qui dixit ei: *Expecta paululum et quod Dominus ostenderit modo videbis.* Et hec dicens cepit pro eo specialiter rogare Iesu Christi domini matrem. Que statim, eodem monacho audiente, tale illi responsum dedit: *Scias quia ille, pro quo postulas, in hoc seculo non sanabitur.* Cumque hoc audisset, conversus ad monachum dixit: *Vidisti, fili, et audisti, quod domino Deo placet pacienter sustine . . . . Noli contristari, quin potius gaude, quoniam quidem per hoc dimittentur tibi a Domino peccata tua; vade autem et in hac bona conversatione, quam cepisti agere, famulare domino Deo in ecclesia beati Bartholomei apostoli, que sita est iuxta basilicam beati Iohannis Bap-*

(a) *Ita in cod.* A, *et* B, *in cod.* C, depictus.

tiste (1). *Non enim ibi multum temporis periclitaveris de hac tribulatione infirmitatis, sed cito ad gaudia sempiterna migrabis. Sed ne in dubium venias, expleto anno presenti ex hac infirmitatis amaritudine morieris, et vite perpetue dulcedinem percipies.* Letus autem effectus famulus Dei de ammirabili visione et dulcissima promissione statim ad ecclesiam beati Bartholomei perrexit, ibique per continuum annum in sancta conversacione permansit. Quo expleto, sicut Dei sanctus predixit, quievit in Domino. Et vere in Domino, neque enim de illo dubitare possumus, dum flagella Dei libenter sustinuit, et omnia, que illi sancta visio predixerat, per ordinem completa vidimus.

8. Interea quedam illustris femina de civitate sancte Agathe valde a demonio torquebatur; que cum per multa sanctorum loca portata fuisset nullam meruit sanitatem, scilicet Deo non permittente, ut merita famuli sui Agnelli in ea ostenderet. Tandem audientes parentes eius quod vir Domini multos a tali hoste sanaret, affectu amoris illius ducti, ferreis eam nexibus constringentes ad tumulum eius adduxerunt; qui venientes, ceperunt cum gemitu clamare et dicere: *O sancte et gloriose confessor Christi Agnelle, magno amore nominis tui moti cum magna fiducia venimus ad te, subveni, et succurre nostre tribulationi, iam cognovimus tuam virtutem per multorum fidelium salutem, propterea festinavimus venire ad tuum corpus* . . . .
Talia cum lacrimis dum repeterent, ecce apparuit in sequenti nocte prefate mulieri, quam spiritus nequam torquebat, sanctus Agnellus et ait: *Audivit Dominus gemitus parentum tuorum viditque lacrimas eorum, idcirco misertus est tui, nam crastina die ad*

(1) Ex hoc Petri subdiaconi testimonio discimus ecclesiam S. Bartholomaei, de qua in pluribus documentis aevi posterioris mentio, iam olim saeculo X. iuxta basilicam S. Iohannis maioris extitisse. Ibi postea saec. XII. quaedam congregatio constituta fuit sub iure patronatus monasterii S. Petri ad Castellum, cui deinde monasterium S. Sebastiani successit. Instrumentum fundationis ex summario, quod in *Notamentis* instrumentorum S. Sebastiani descriptum invenio, sic se habet: " Die 15 iulii ind. XI (a. 1164) Regnante d. n. Guilielmo Siciliae et Italiae magnifico rege a. 13 et eius dominationis civitatis Neapolis a. 11. Iohannes humilis presbyter et Primicerius congregationis et fraternitatis Salvatoris nostri Iesu Christi Insulae maris, quod nunc congregatum est in monasterio et ecclesia beatissimi Petri Christi apostoli de intus destructo castro Lucculano et Sergius presbyter qui nominatur de Fasani (*sequuntur alia sex nomina presbyterorum*). Iterum primicerius ipsius congregationis et fraternitatis et Iohannes qui nominatur Petalaru, et Iohannes qui nominatur Coccula. . . . , . (*sequuntur alia nomina 31 laicorum*) omnes confratres dictae congregationis nomine fratrum omnium et sororum dictae congregationis conveniunt cum d. Iohanne ven. abbate dicti monasterii domini, et Salvatoris nostri Iesu Christi Insulae maris, quod nunc congregatum est in dicto monasterio beatissimi Petri Christi apostoli de intus in distructo castro Lucculano; qui fratres promittunt construere, aedificare et erigere dictam congregationem et fraternitatem cum Dei adiutorio intus illum hortum de terra, qui fuit ipsius monasterii; positum intus hanc civitatem Neapolis iuxta vicum, qui descendit da curte, et ecclesia S. Iohannis catholicae maioris ad plateam Medie; in quo hortu est constituta ecclesia vocabulo beatissimi Bartholomaei Christi apostoli cum cellis et habitationibus; qui hortus fuit commutatus cum dicta congregatione et in escambium datus pro quadam domu et quadam ecclesia vocabulo S. Venere . . . . . posita intus ipso distructo castro Lucculano una cum cellis et griptis. Et promittunt dicti fratres non recipere sacerdotem vel clericum aut laicum in dicta congregatione absque voluntate dicti monasterii et creatio primicerii reservatur electioni dicti monasterii, etc. Actum per Iohannem Curialem. N. 667, olim signatum CCLX. „—Ecclesia deinceps in documentis vocatur S. Bartholomaei *de strictula prope ecclesiam S. Iohannis maioris*, et vicus appellatur *Strictula S. Iohannis maioris*. Memoratur praeterea in *Actis visitationis* cappellarum ab archiepiscopo Annibale de Capua a. 1583 et ab archiepiscopo Iacobo Cantelmi a. 1692, peractae. Denique saeculo superiori ex concessione veteris sodalitatis ibi alia congregatio instituta fuit sub invocatione S. Hieronymi ad caecorum religiosam instructionem addicta; unde ecclesia *S. Girolamo dei ciechi* nunc appellatur: vicus vero *Calata di S. Cosmo e Damiano*, itemque ex parte: *S. Girolamo dei ciechi.*

propria sana et hilaris reverteris; tantum cave et esto sollicita in observatione mandatorum Domini, ne consentias peccato et iniquitatibus seculi, ne tibi aliquid deterius contingat. Evigilans autem a somno humilis et leta surrexit; nichil mali, aut inepti, sicut prius, loquebatur, aut motu corporis torquebatur. Talem cum illam parentes eius aspicerent, ceperunt illam interrogare, quomodo ex valitudine haberet. Que cum omnia per ordinem, sicut a sancto audierat, referret, de tristitia in gaudium conversi glorificabant Dominum et dicebant: *Benedictum sit nomen tuum Deus Israel. . . . . . Ecce quod optavimus vidimus, quod petivimus, intercedente beato Agnello famulo tuo, percepimus quoniam exclusisti a nobis inimicum persequentem nos.* Et hec dicentes nimium confisi de sancti promissione, scilicet quod perfecte sana esset, ad propria sunt reversi gaudentes et exultantes et gloriam Domini annunciantes.

9. Athanasius itaque iunior episcopus, qui huius civitatis Parthenopensis episcopatum simul et ducatum tenuit, nimio torquebatur dolore, ex ea scilicet valitudine, que dolor ilii nominatur. Cum cognovisset autem, utpote vir altioris ingenii (1), quod Dei gratia tanta beneficia per sanctum Agnellum ostenderet, et alia visu, alia auditu cognosceret, ad eius ecclesiam confidens de Domini pietate humiliter perrexit. Cumque illic tristis nimio dolore iaceret et dum gemitibus exoraret, quatinus meritis et intercessione beati Agnelli a tanto sanaretur dolore, apparuit eidem sanctus et medicinale ferramentum manu tenens, quod ab incisione venarum, que grece (a) flebothemus *(sic)* dicitur, percussit eum in parte ateris, quo dolore torquebatur, et ait: *Athanasi surge et scito quod, Deo opitulante, ab isto dolore salvus effectus sis.* Statimque (b) pre ictu ferientis exurgens, cepit laudare et benedicere nomen Domini. Mane autem facto cuncta, que viderat, retulit; diligenterque animadvertens quod visitatione sancti Agnelli visitatus esset, rogavit presbyterum ipsius loci rectorem, ut pro eo dominicam hostiam immolaret; quo facto, cunctis videntibus et mirantibus, non parvum lapidem simul cum sanguine fudit, unde magis ac magis glorificavit Dominum, quia quod sanctus in revelatione promisit (c), experimento cognovit. Sanus autem effectus, letus inde reversus est memorque beneficii altare illius holoserico pallio operuit, annisque singulis in eius festivitate humiliter ad eius properabat ecclesiam.

10. Et (d) hoc ad laudem virtutis Dei non est pretermittendum, quod in quadam femina nomine Euphimia, que a patris cognomento Vulcana dicebatur, beatus Agnellus operari dignatus est. Hec igitur mulier in suo capite valida infirmitate percussa, pessimo sedule torquebatur dolore; qui paulatim accrescens ita attriverat caput eius, ut nec comedere aliquid, nec utiliter loqui valeret. Unde parentes eius cum viro illius tristes effecti ad salutiferas thermas, deinde ad optimos eam deportaverunt medicos. Que cum nullam

(a) *Ita in cod.* A. *et* C; *rectius vero in cod.* B. *et* D. *legitur:* quod ab incisione venarum, quae grece fleve (*sic*) nominantur, latine flevathomus (*sic*) dicitur.

(b) *Adiicitur in cod.* B: ille.

(c) *In cod.* B. promiserat.

(d) *In codd.* A. *et* C. *haec* § *deest. Ego illam ex cod.* B. *transcripsi. Extat etiam in coa.* D. *et in Veteri Officio.*

(1) Eadem verba de Athanasio II. loquens Petrus in additione ad *Chron. epp. Neapp.* utitur. V. supra p. 221.

medelam reciperet, desperati omnes de illius salute, in sola Dei misericordia confidentes, quid ultra facerent, minime sciebant. Igitur in tali tribulatione illis positis, apparuit sanctus Agnellus uterine germane sue, que in monasterio beati Gaudiosi sub sorore sua abbatissa nomine Maria, Domino deserviebat, et quasi visitandi gratia, de sorore illius eam interrogans, ita eam affatus est: *Numquid convaluit de infirmitate germana tua?* Cui cum illa diceret: *Nequaquam; quia omnis medicina pro salute dolorem afferre videtur.* Ait illi: *Et si ita est, quare hoc vicino medico non intimasti?* Hoc, mane facto, cum parentibus retulisset: *Nonne*, inquiunt, *iste vicinus medicus non est alius nisi confessor Domini Agnellus? Bene nobis contigit quod hactenus per multa nec tamen utilia fatigati sumus, quare ebitudo mentis cecidit super nos, ut tale auxilium oblivisceremur*; cognitaque illius visione celeriter eam ad eius tumulum detulerunt. Eadem vero nocte apparuit ei sanctus Agnellus et quasi pectinem ei offerens, ait: *Surge et more solito compone caput tuum, ecce sana es; iam noli plorare, sed magis exulta et glorifica dominum Iesum Christum.* Cum vero aurora finem dedisset, et hoc seriatim prefate germane sue referret, in eadem ipsa narratione cepit alando (1) aperire os; cui cum soror eius diceret: *Quid est quod agis? quare lacerando os insolite aperis? Volo*, ait, *continere ora, sed nequeo: et quod michi gratissimum et suave esse videtur, cum os aperio, sentio exinde dolorem, qui me torquet, leniter exire.* At illa: *Credo equidem, quod virtus Dei adsit, et suffragio beati Agnelli ab isto languore in proximo cureris*; et ita factum est. Nam sicut scriptum est: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.* Ipso etenim die capite sub tumulo imposito, magno flagrantie odore refecta a capitis dolore sanata est, et domino Iesu Christo et beato Agnello gratias agens que tristis advenerat, leta cum parentibus reversa est.

11. Quodam vero tempore cum nefandissima gens Agarenorum Caietam civitatem callide comprehendere voluissent, cives apprehensis armis ad loca opportuna cucurrerunt, per que illos ascendere minabantur. Unus autem ex illis, nomine Iohannes, cum incaute ad murum curreret, in acutissimo (a) clavo pedem perforavit; qui quamvis clavum exinde traheret, tamen quia altius perforaverat et nullo medicamine mederi poterat, pes intumeret et sanie computrescens, idem Iohannes nocte ac die pre dolore nimio sidera quatiebatur. Cumque esset penitus de sanitate desperatus et ultro mortem exposceret, adstitit ei beatus Agnellus in visione atque ita eum consolari cepit: *Ecce desperatus de salute, omnes medicos reliquisti, nec immerito; quoniam te adiuvare nequibant. Perge autem Neapolim et illic invenies medicum, qui tibi sanitatem celerius prestabit.* Cui cum diceret: *Nescio illum, domine, nam centum milibus abest ab hac civitate Neapolis. Vade*, ait sanctus, *vade in pace, nichil esites; cum ad portum perveneris Neapolitanum, ego tibi viam ostendo*, Letus autem effectus de visione narravit per ordinem cuncta propinquis. Illi autem hec audientes, dixerunt ei; *Curre velociter, nec moram facias, quoniam iste est sanctus*

(a) *Male in cod.* A. cautissimo.

(1) *Alare*, vox Neapolitanae dialectus, quae *oscitari*, *os diducere* significat; italice *sbadigliare*.

Agnellus, cuius corpusculum Neapolim recubans, maximam infirmis sanitatem prestare non cessat. Navigans itaque predictus Iohannes pervenit ad Neapolitanum portum ibique notum invenit virum, qui eum ad aulam beati Agnelli perduxit. Ibique prostratus, nec de promissione esitans *(sic)*, oratione facta, cito sanitatem recepit. Pro beneficio autem argenteam non parvam patenam offerens, letus ad suam reversus est civitatem. — Neque silendum est quod in quadam sanctimoniali femina, nomine Anna, per sancti Agnelli merita Dei gratia operari dignata est. Hec igitur in monasterio sancti Gaudiosi summa humilitate atque obedientia Domino serviebat; adeo ut predicta abbatissa nomine Maria, que valde supra Dei famulas vigilabat, quando aliquas res pro utilitate monasterii exigebat, nullam aliam nisi eam foras dirigebat. Hec inter talia bonarum virtutum unum reprehensibile habere videbatur, quod indiscreta hilaritate interdum non sine risu loqui poterat. Quam cum sepissime corrigerent prudentes, et ei dicerent : *Vide quia non modice in risu delinquis*, ... Illa vero humiliter confitebatur dicens : *Et ego delictum meum cognosco, sed credite michi, invita hoc ago, et in magno michi stimulo hoc imputo; cotidie vero Dominum exoro, ut tale facinus a me repellat.* Unde datur intelligi quoniam non ex vitio illi hoc inerat, sed ne de bono opere non extolleretur ; sicut beatus Gregorius papa romanus de beato Isaac in libris Dialogorum plenissime narrat. Hec igitur sedule Dominum rogando , ut a tali stimulo eriperetur , tandem exaudita , paterna ea Dominus correptione visitans, os illius non modicis vulneribus obstruxit totamque illam in merorem et tristiciam convertit, ut gaudiis perpetuis faceret esse consortem. Sed quia doloris magnitudine nec loqui recte, nec mandere aliquid valebat, adiit beati Agnelli tumulum, ut solita virtus illam a tali periculo liberaret. Talibus igitur dictis ingressa ecclesiam cepit rogare Dominum dicens : *Gratias tibi ago, domine Deus , quoniam cum invocarem te exaudire me dignatus es , et de hylaritate immoderata in tristiciam me convertisti. Sed quia clemens et misericors es, et nosti humanam fragilitatem, iam miserere michi et libera me per famuli tui Agnelli merita. Te quoque, beate Agnelle , deprecor.* . . . . . Exaudita autem et a dolore oris sanata glorificans Dominum leta perrexit ad monasterium.

12. Quidam vero vir, genere Amalfitanus (1), puerulum filium habebat, quia valde a maligno spiritu vexabatur. Qui ex eo dum expectaret consolationem, per multa videlicet loca sanctorum sepius eum portando, nec impetrare aliquid valeret ; audiens quod tanta beneficia Dominus per famulum suum Agnellum prestaret, inito consilio, prefatum puerulum ad eius sacratissimum corpus suppliciter detulerunt. Venientes autem, et suas afflictiones, et vexationes (a) pueri omnibus ostendebant. Videbatur enim terribili vexatione et stridore horribiliter torqueri, horis momentisque omnibus, nocte ac die id peragens nullam requiem habebat. Parentes vero illius hoc videntes, ardentes (b) super filii affectum, in terra prosternebantur ingemiscentes et dicentes : *O magne amice Domini beate Agnelle, cum*

(a) *In cod.* B. *legitur:* suam afflictionem vesanie pueri.

(b) *Vox:* ardentes *deest in cod.* B.

(1) In cod. A. heic folium deest a medio verbo: *Amalfitanus* usque ad verba: *tristis et humilis* infra in §. 15, p. 317.

magna fiducia venimus ad tuum corpus, quoniam magna sunt tua merita apud Dominum, quesumus ut cito nobis succurras solita pietate; . . . . . . Prestante Domino per famulum suum Agnellum demon statim de puerulo exivit, nichilque mali ulterius patiens, ab iniquo ereptus est possessore. Revertentes autem ad suam civitatem, tam suis quam exteris quanta et qualia Salvator mundi fecerat cum magna cordis exultatione narrabant.

13. Dum Stephanus Ferrarius die quadam ad balneum vellet ire in clavo, qui ex regia domus sue preminebat, cum incaute pergeret, poplitem graviter perforavit. Qui laceratus et claudus effectus die noctuque nimiis doloribus afficiebatur; attamen de sanitatis remedio admodum sollicitus, ne facultatem ambulandi perderet, tradidit se curationibus medicorum, sperans aliquo modo recipere sanitatem. Sed quanto magis medicaminibus utebatur, tanto magis deterior fiebat. Per multum vero temporis dum in nimia afflictione iaceret omnemque facultatem suam penitus consumeret, desperatus ex medicorum salute, rogavit eos, ut altius pedem eius secarent, ac putredinem, qua afficiebatur eicerent. Huic in tali desperatione posito apparuit beatus Agnellus in visione noctis, et quasi visitans eum talia consolando cepit affari: *Stephane frater, sanet te Dominus Iesus Christus; numquid convaluisti de pessima infirmitate, que te hactenus acrius afflixit?* Cognito autem eger quod visitatio Dei adesset, cepit suppliciter respondere dicens: *O domine meus, quare de salutis commoditate requiris, cum iam michi vita in fastidium venerit et mortem potius exoptem, quam talem vivere vitam? Nam crastina die a medicis sum precidendus, exoptans, ut cum vulneris incisione miseram finiam vitam.* Cui sanctus: *Scito prenoscens quia ex hac infirmitate, nec precideris, nec morieris; quapropter salutaribus monitis patienter aurem accomoda, et contestare ex mea iussione medicos, ut te incidere nullatenus presumant. Tu autem dirige ad ecclesiam meam, ego enim sum Agnellus, et ex oleo, quo infirmi uti solent, tuum pedem ungi festina, confidens in virtute Dei omnipotentis, quod celerius optatam recipies sanitatem.* Expergefactus autem eger a somno letus ex visione effectus est, eo quod plurimos infirmitate oppressos a sancto Agnello per visionem esse salvatos et audierat et viderat. Cumque, sicut sanctus dixerat, peregisset, optatam citius meruit recipere sospitatem. Qui Deo et beato Agnello gratias referens ad miraculorum illius gloriam commoda salutis sue per omnia predicando plurimos invitabat.

14. Interea mulier quedam Parthenope valde a demonio oppressa tenebatur. Cognoscentes autem parentes eius beati Agnelli virtutem ad eius ecclesiam eam suppliciter portaverunt. Cumque ante illius sacratissimum tumulum iaceret ac multa inepta multaque inutilia, utpote iniquo possessore operante, loqueretur, apparuit ei noctu sanctus Agnellus, percussitque eam in maxilla et ait: *Improbe sessor, abi: iam desine prava profari. Hoc iam plasma Dei tu non retinebis, inique, sed Domino Christo persolvet vota salutis.* His sancti Agnelli comminationibus Satan perterritus, ut signum daret quod in virtute eius divinitus (a) expelleretur, acrius illam vexare cepit, nec mora tota in mansuetu-

(a) *In cod.* C.: invitus.

dinem esultationis (a) conversa est. Cumque a parentibus interrogaretur qualiter sana fuisset effecta, hec cuncta per ordinem gratulanti voce pandebat, factumque est, ut, que aliorum manibus contrita et tristis advenerat, adiuvante gratia Christi, per merita beati Agnelli leta et alacer ad propria suis gressibus remearet, benedicendo et collaudando nomen domini Iesu Christi.

15. Dum beatissimi Agnelli preclara et gloriosa miracula longe lateque clarescerent et plurimi sanitate per eius merita consecuti Dominum glorificarent, erat quidam Iohannes huius sancte Neapolitane sedis diaconus, qui obstinato animo incredulus existebat, fidemque miraculis minime dabat. Insuper etiam plurimos indiscreta hilaritate subsannabat dicens: *Si aliquid incommoditatis patimini, properate quanto citius ad tumulum beati Agnelli, quoniam quidem ipse vobis sanitatem mirabiliter prebebit.* Cumque hoc iterum atque iterum ageret paterna eum Dominus ex hoc visitatione corripiens, ita aures illius obstruxit, ut audire penitus nihil valeret. Hic itaque cum valde exinde per multum temporis angustiaretur, et unde hoc illi evenisset inquireret, subito illi in memoriam venit subsannatio, quam quibusdam pro miraculis a sancto Agnello patratis inferre solitus erat. Qua in re animadvertens se non modicum deliquisse, mox errata penitendo delere studens semed ipsum increpabat, dicens: *Bene michi contigit infelici. Ego enim sum ille qui plurimos irridebam agendo: Munera ferte citi, devota mente praecesque, Agnellus sanctus pia vobis commoda prestat.* Et ingemiscens: *Heu mihi quid faciam, auditus quo pristinus adsit? Consilium praebe, Salvator, magna potestas, Plasmator hominum, ex nichilo qui cuncta parasti.* Haec ubi dicta dedit mox, quasi consilium consecutns esset, ait: *Ad beati Agnelli tumulum properabo, ibique prostratus iacebo, ut quod errando hilaris incredulusque commisi, tristis et humilis delere valeam*

. . . .

Statimque ad eius tumulum accedens suppliciter precabatur, dicens: *Gratias tibi ago. Domine Deus omnipotens, quoniam tu castigasti me propter delicta mea, et quia precepta tua audire contempsi, nec inclinavi aures meas ad virtutem miraculorum, que per sanctum Agnellum operari dignatus es, ideo auditum michi penitus abstulisti. Nunc autem quia cognovi delictum meum et ad tuam clementiam confugi, peto suppliciter, ut manum misericordie tue michi porrigas* . . . .

. . . . *Te autem, beatissime Agnelle, obsecro, ut pro me Dominum rogare digneris; quatenus per tua sancta merita vigorem capitis recipere merear, de cuius virtute, ut insolens, hactenus incredulus extiti. Nam spondeo, promitto, ut de tua gloria ulterius non dubitem, tandem posce Deum, sanctissime, posce precando.* Mira Dei potentia! dum ante tumulum sancti dolore nimio fatigatus iaceret, continuo saluti restitutus, sospes et alacer inde surrexit; factumque est, ut et vigorem capitis reciperet, et incredulitatem mentis amitteret. Cognitaque illius per suam sanitatem virtute, ad referendas illi gratiarum actiones ad eius ecclesiam ex tunc sedulus veniebat, et vota de-

(a) *In cod.* B.: in mansuetudine et exultatione.

votissime persolvebat. — Febronia denique abbatissa monasterii sancti Samone (1), lateris dolore afflicta, ad sanitatem percipiendam ad eius ecclesiam perrexit, in qua repperit duos infirmos, unum cecum et alterum claudum. Cumque illic nocturno tempore iaceret et dominum Iesum Christum exoraret, quatenus per suum famulum Agnellum clementissime sanaretur, vidit per soporem eumdem sanctum advenientem, et ipsos infirmos placide visitantem. Cumque pervenisset ad cecum, ait: *Non sine causa miser perdidisti commoda lucis, nam quia cupiditate seductus es et ovem pauperrime vidue furtim abstulisti, ideo te Dominus paterna visitacione lumine privavit. Sed quia humanum est peccare et christianum est misericordiam postulare, vade et dignum pretium pro ea restitue et tunc praestante Deo claritatem visionis cito percipies.* Ad claudum vero: *Quia tu*, inquiens, *alienum hortum furando dissipasti, et que alius cum labore plantabat, tu fraudolenter tollebas, idcirco pedes, qui in fraude currebant, merito Dominus percussit, ut et illud, quod nequiter tulisti, reddas, et amplius ad furandum nullo modo properes. Hoc quia ita est*, *vade cito*, *direpta restitue*, *penitentiam age, et post hec venies et, opitulante Dei misericordia, propriis gressibus a me sanus ibis.* Cumque predicta Febronia quasi vigilans talia cerneret, cepit intra se cogitare et dicere: *O utinam sanctus Domini me visitet iste. Et demonstret michi si possum sana redire. An debitum mortis solvam cruciata dolore.* Cumque secum talia volveret, conversus sanctus dixit ad eam: *Scito prenoscens quia, fide tua operante, a dolore isto sanaberis modo, sed expleto presentis anni curriculo ex hac ipsa infirmitate mortis debita solves.* Hoc visa famula Christi cum a somno evigilasset cuncta per ordinem sacerdotibus ecclesie narravit; hec audientes famuli Domini nimis admirati dixerunt: *Non dubitamus enim quod Christi gratia sancta Non possit sancto facinus monstrare malorum. Cui merito tribuit tot millia signa patrare. Tamen . . . . accedamus ad infirmos et ab eis eorum delicta cognoscamus.* Cumque interrogati a Dei famula per ordinem fuissent, recognoscentes, que gesserant propriis vocibus ea fatebantur, qui omnia, sicut Deus (a) ammonuerat, facientes, et claudus gressum et cecus lumen, operante Dei gratia per famulum suum Agnellum, mirabiliter receperunt.

16. Est namque languor pessimus, quem medici greco eloquio tetanum atque opistotonum nominant; hic cum aliquos invaserit ex occasione alicuius vulneris pre ariditate nimia atque contractione nervorum totum corpus illius in modum cordarum extendit et insensibilem facit. Ora ita obstruit, ut neque cibum, neque potum sumere queat, adeo ut fame sitique plerosque occidat. Hoc morbo quidam Helias medicus attritus, cum cognovisset ex sue artis documento institutione quod nullo modo evadere posset per aliquam curationem, cepit contristari vehementer, utpote morti propinquus, et se suamque hereditatem disponere. Talia eo patrante ceperunt illi parentes et vicini dicere: *Quare de*

(a) *In aliis codd.* sanctus *et, ni fallor, melius.*

(1) Forte monasterium hoc S. Samonae idem erat ac illud sub titulo *Ss. Samonae, Guritae et Abibii reg. Nidi*, de quo mentio in *Notitia veterum ecclesiarum* a Mazochio edita in libro: *De Ss. Neapp. epp.* p. 326. et in instrumum Aa. 1022, et 1025. Cf. infra *Regest. Neap.* Rogerio autem rege tantummodo ecclesia memoratur. Cf. CHIARITO, *O. c.* p. 231.

salute desperas? cur domum tuam tuosque in dispersionem ponere tractas? Redi ad cor tuum, et quia consilia aliis prebere solitus eras consilium nostrum ne respuas. . . . . Quibus ille: *poteram et ego similia vobis loqui si anima vestra esset, sicut anima mea, et anima vestra talibus esset irretita doloribus, qualibus anima mea cruciatur nocte dieque, unde et verba mea nimio dolore sunt plena et dura auribus vestris esse videntur. Hoc equidem egeram si medicinae inscius essem; medicina enim falli non potest, praeter si eam Dei potentia ad suam correxit gloriam.* Et illi: *Si ita est, ut asseris, convertere ad Deum tuum.* . . . . *ad beati Agnelli tumulum propera.* . . . . *Hec*, inquiens, *faciam, nec diffido de grata salute, credo equidem quoniam quidem si ad ejus basilicam vivus intrare potuero sine salutis ope inde non me permitteret exire*; quod et factum est. Mox etenim, ut in eius ecclesiam intravit et ante illius tumulum orare cepit, statim sensit per Dei potentiam, quantum valeret fidelis devotio, quantumque sanctorum apud Deum sancta precatio. (1)

17. Alius quoque puer nobili ortus prosapia, nomine Adelferius, de castello Abellino, insania capitis nimis afficiebatur, huc illucque vagans nec recte loqui valebat. Hic quoque cum diutius tali languore vexaretur, ullius medicine fomentis adiuvaretur; tandem parentes eius tale non ferentes opprobrium et obvexationis dolorem et civium confusionem, audientes quod beati Agnelli merita plurimos attritos sanarent, ad illius ecclesiam eum festinantes duxerunt, gemitibus et lacrimis Domini potenciam flagitantes, ut per sancti sui deprecationem suam clementiam super infirmum ostenderet. Quadam nocte apparuit illi sanctus Agnellus, et quasi visitans eum his verbis alloqui cepit: *Quare solum proprium delinquens huc properasti? quid tibi vis fieri? devotus dicito, queso.* Puer autem exterritus nimii fulgoris illius magnitudine quis esset aut quid responderet penitus ignorabat. Tandem in se reversus animadvertens ubi iaceret et quid postulando deposceret, beatum Agnellum adesse comperiens, respondit dicens: *Quare solum proprium dimisi, domine, tu bene nosti. Quod peto valde sapis, celestis regis amice* . . . . Talibus indictis cepit Christi confessor illum consolatoria voce commonere: *Confide*, inquiens, *fili, valet Dei gratia tibi praebere salutem, tantum memor esto servando eius precepta, ut sanus maneas*.... Evigilans autem a somno. . . . . . puer. . . . . . accepit quod credidit, quod optavit adeptus est. Perfecte namque redditus sanitati. . . . alacer ad suam reversus est patriam.

18. Quidam vero vir nomine Pascalis dolore nimio viscerum acrius torquebatur. . . . comperiens quod beati Agnelli potentia multum apud Deum valeret . . . . . . ad eius confugit ecclesiam . . . . . . orans ut a tanto cruciatu... eriperetur. Inter hec . . . . . prostravit se ante tumulum, ubi sacratissimum corpus illius requiescit. . . . Cuius sancto munere vir iste Pascalis munitus . . . . . cunctam adeptus est sanitatem.

19. Melliflua namque Christi confessoris Agnelli virtute invitatus quidam vir, nomine Leo, devotus advenit; non sursum aspicere, non recto corpore incedere valens. . . . . Perveniens autem ad eius sacratissimum corpus, obsecrabat cum lacrimis Dominum . . . .

(1) Huc usque procedit *Vetus Officium*. Quae sequuntur in codd. Mss. tantum habentnr.

Cum enim talem precem lacrimando ad Dominum funderat . . . . apparuit illi in somnis beatus Agnellus . . . . ad pristinam sanitatem corroboratus est...

20. Igitur beatissimo Agnello per Dei potentiam multis oppressis male languoribus opem ferendo salutis . . . In Apulie (a) partibus erat quidam vir natione grecus, nomine Leo, aput Regium civitatem. . . . cui nimia paralisis mediam partem corporis abstulerat. . . . Quadam nocte apparuit ei beatus Agnellus confortans eum et dicens: *Confide, fili, in proximo est ut a Domino cureris...;* Cumque ab infirmo sciscitaretur quis esset.... ait: *Ego sum Agnellus, famulus Domini....* Exurgens autem a somno cepit interrogare matrem dicens: *Quis est sanctus Domini qui nominatur Agnellus, et in qua urbe corpus eius quiescit...* Ad quem mater... *beati Agnelli corpus in Parthenope urbe quiescit, olim namque illic commorans, omnia bene recolo, et civitatem quoque et eius sanctam memoriam... properemus ad eius ecclesiam, confido equidem in Domino....* Navigantes autem venerunt Neapolim, inde ad eius ecclesiam pervenerunt. Cumque in ea iacerent, eadem nocte apparuit ei beatus Agnellus... et infirmo illi consolationis solamina dedit... Altera namque die... sanus cum matre Domini potentiam collaudabat. — Puella quedam de territorio Nolano, immundo spiritu oppressa. . . . . cum diutius... cruciaretur... quadam nocte apparuit illi quedam virgo pulcerrima... quam non dubitamus Dei genitricem fuisse, in cuius aula sacrata sancti corpus requiescit. Astitit igitur super eam... dicens... *Agnelli tumulum quantocius propera, illic desideratam consequeris sanitatem.* Mane autem facto... ad beati confessoris aulam eandem inergumenam portaverunt deprecantes Dominum... nocte illic excubantes, ecce astitit super eam beatus Agnellus in visione... Inter hec... inimicus christiani nominis penitus ab ea expulsus est... Salvata itaque de seva peste puella... ad propria remearunt. — Eo etenim tempore, quo sanitas reddita est prephate puelle erat quidam vir, nomine Andreas, in loco qui dicitur Antonianum (1), maligni hostis nexibus horride irretitus adeo, ut quascumque apprehendere posset acrius dentibus laniaret. Talia parentes cum coniuge non tolerantes, alligantes illum manibus et pedibus, ad Dei amici tumulum perducere studuerunt, flagitantes Domini misericordiam.... Illuc quoque orationis gratia et nos cum ceteris fratribus euntes, vidimus eum nexibus astrictum, torvo aspectu et minantibus oculis solo prostratum. Ad quem cum timeremus propius accedere propter illius nimiam sevitiam, ex longinquo illum audientes, talia monita curavimus ministrare: *Quare nimis sevis? beluarum more miselle; Corrige stulticiam, hominem quoque te esse memento, ora devotus celestis regis amicum Agnellum sanctum...* Talibus indictis homo cepit reddere verbum: *Qui sis agnosco, quod faris prorsus animadverto, Petrus quoque vocaris nathineo* (2) *redimitus honore... Obsecro, pro me misero Dominum deposcere stude. Credo fidem satis sancti huius precibus posse sanari.* Talia cum diceret ex tunc, divina operante Dei clementia, sevitiam perdidit, iniqua pestis exclusa est, vigorem adeptus est. Erectus ergo in virtutum culmine sana mente et suis gressibus cum suis letantibus ad propria remeavit...

(a) *In cod.* D. *absolute legitur*: Item in Italie partibus cum vir etc.

(1) Alibi *Antinianum*, Cf. *Regest. Neap.* Nunc *Antignano*. (2) H. e. *hypodiaconico*. Cf. MAZOCHII, *De Ss. Neap.epp.* p.375.

21. Mulier quedam oppressa languore, multis ac variis cruciabatur doloribus et quia erat Deum timens et pregnans, non tantum per se affligebatur, quantum pro suo pignore, ne ille in utero collideretur et eterne dampnationi traderetur, non regenerato baptismatis sacri. Unde Deum poscens quod postulavit... adepta est, sed enixa filium in ipso partu inebriata languore, magis magisque debilis effecta est...... Hec igitur cum desperata esset a medicis... parentes eius ad beati confessoris ecclesiam devotissime portaverunt, vociferantes cum lacrimis et dicentes.... *Iesu Christe domine adesto supplicationibus nostris et per merita huius confessoris tui hanc helisam (sic) erige... tu... enim erigis elisos.* Mira Dei potentia... Mox etenim ut illam ante illius tumulum prostraverunt et solito more..... oleo perunxerunt, omnis valitudo cessavit et pristine incolumitati ammodum restituta est. Leta igitur et hilaris effecta... non cessavit precari dicens: *Benedicta sit gloria tua, Domine...., qui in te credit non morietur, qui tibi deservit semper sancta gaudia consequetur* (1).

22. Igitur dum b. Agnelli virtus et miraculorum longe lateque mirabile redoleret et omnes supplici devotione ad eius ecclesiam devenirent, erat illo in tempore quedam matrona, nomine Blattu, de civitate Amalphie, que valide infirmitatis incursu diutissime quatiebatur... adeo ut epilecticos imitari videretur. Interea... dum obdormiret, vidit per soporem quemdam commonentem se, ut ad b. Viti martyris corpus, quod in eadem civitate positum erat, celerius properaret. Cumque hec viro suo et parentibus indicaret recordati sunt miraculorum, que aliquando fecerat b. martyr in germana ipsius urbis episcopi, eamque illuc devotissime portare curaverunt. Sed sanctus Domini martyr noluit... Inter hec autem apparuit illi beatus Agnellus cum praefato martyre ac dixit ei: *Multa gravia sustinuisti... tandem aliquando misertus est tibi... Dominus. Ego sum Agnellus, perge mature Parthenopem ad aulam nomini meo dicatam; quandoquidem illic te oportet accipere sanitatem.* Illi autem hec audientes... consuluerunt urbis sue pontificem... At ille rem gestam prudenti animo examinans ait... *ite quantocyus, ite securi... Deus, qui omnium exauditor est, ipse misit angelum suum, ut vos de immani periculo eripiat.* Talibus monitis instructi ad beati Agnelli corpus devoto animo properarunt. Cumque illam ante tumulum ponerent... mirantibus cunctis in se reversa puella ore proprio, quod dura clauserat valetudo, cepit laudare nomen Domini I. C. Votis igitur hylares Domino persolutis, cum letitia ad propria reversi sunt annunciantes omnibus magnalia Domini.

23. Huius quoque sanctissimi viri ac venerandi patris Agnelli miraculorum virtutes animadvertens ego Petrus sancte Parthenopensis ecclesie ypodiaconus, cum valida oculorum incommoditate depressus essem multaque sanctorum limina adiendo nullam medelam assequi valerem, tanquam indignans animo erexi me contra me ac dicere cepi: *Quare miser lumen cupiendo clarius erras? Cur tenebris pulsis non cernis commoda Christi? Convertere itaque ad illius auxilium, qui fecit celum et terram, qui fecit luminaria magna, qui est phos ec photos, hoc est lumen de lumine, et ipse tibi solito pro merito*

(1) Huc usque codd. A. et C. Quae sequuntur partim ex cod. D. (nam cod. B. heic folio uno caret) et partim ex ipso cod. B., qui aliud in eodem Petro actum miraculum addit (n. 23), eruo.

beati Agnelli donabit cernere clare. Tali denique exoracione roboratus ilico illius venerabile adii mausoleum, ac deinde prostratus cum precibus flagitare cepi eius virtutem dicens: *O nimium felix medicus venerande tonantis, Sedule qui multis beneficia grata ministras. Qui pietate tua afflictorum corda serenas. Tu michi solamen placidum, tu confer opime; Quo tua facta libens mundi per climata cantem, Et nomen Christi benedicam tempus in omne.* Hoc quoque devotus gessi tota mente precando. Continuo sensi de luminis peste ? vigorem... Hoc quoque beneficio Christi confessoris gratissime consecuto, salutari omnium Domino grates immensas retuli. Cuius rei non immemor illius sacram memoriam sepius visitare studui. Insuper etiam pro modulo inertis ingenii sanctarum illius virtutum miracula prosa atque versibus illustrare curavi. Ad honorem Domini nostri etc. per omnia secula seculorum. Amen (1).

8. *Libellus miraculorum S. Agrippini.*

(Ex cod. Corsiniano, et editione MAZOCHII).

Fratres dilectissimi, divinis ac sanctis etiam monitionibus praebere debemus consensum, quibus hortamur sanctorum merita virtutesque Christianorum auribus non celare, dicente Salomone: *Sapientiam sanctorum narrent populi, et laudes eorum nunciet ecclesia.* Nam tantum puto esse culpae sanctorum beneficia reticere, quantum precii est eorum gloriosas narrare potentias. Unde presentis me compulit festivitatis amor beati Agrippini episcopi et confessoris patrocinia atque sanitates, que, diversis licet temporibus, suis contulerit famulis ad se venientibus, ad gloriam nominis Dei et eiusdem beatissimi Agrippini laudem referre, ut et fidelium devotas mentes maior ad occurrendum desiderii ardor accendat, et beati Agrippini preclara merita, seu legentibus, sive longe positis audientibus innotescant. Quia scriptum est: *Opera Dei revelare, et confiteri honorificum est.* Et ideo, carissimi, plena nos oportet laetitia gratulari, et in eius triumphis ac solemnitate gaudere, deprecantes, ut nobis Dominus, per eius venerandam intercessionem ac festivitatem, et salutem concedere dignetur et pacem. Quis enim ignorat per hunc beatissimum Agrippinum et beatum ac sanctum martyrem Ianuarium Neapolitanam urbem ab insidiis inimicorum saepissime liberatam? Que ita esse per revelationem diversorum ac relationem cognovimus, quod unus ex his sanctis ad custodiam civitatis, alius ad disperdenda consilia hostium fraudesque vigilare manifestissime comprobantur. Ut actenus memorata civitas eorum sit munita patrociniis ac defensione protecta, recteque cognoscamus aut intelligamus quod scriptum est: *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam.* Unde oportet sine intermissione eorum sancta limina frequentibus occursionibus exorare; quatenus mereamur eorum, sicut semper, protectione vallari atque custodiri. Et, ut hec que dixi, ita esse credatis, evidentissimis documentis vobis satisfacere non morabor.

(1) Sequitur in ipso cod. B, carmen:
" Laudem, Christe, tibi persolvat terra polusque
Angelicusque chorus depromat cantica digna *etc.*
ut in UGHELLIO, *O. c.* VI, 51, usque ad versum qui desinit: "sanctoque nidore." Cetera, quae in cod. Corsiniano habentur, unde Ughellius, in hoc desiderantur. Carmen vero, cum, quod prosa dixerat, versibus repetat, ego heic praetermitto.

1. Albinus quidam in eadem civitate Neapolitana commanens, diabolico incitatus spiritu, dum pro tradictione praedicte civitatis ad nefandissimam Longobardorum gentempe rgeret, ut eisdem tempus memorati sceleris constitueret, in itinere positus, vidit beatissimum martirem Ianuarium terribiliter comminantem sibi, atque interdicentem, ut ab incepto opere revocare mentem gressumque debuisset; qui statim, amens effectus perdensque virtutem, nec ultra progrediens, tentus a militibus et Neapolim perductus, hec ipsa, que retuli ore proprio cunctis audientibus enarravit, sicut et puplica monumenta (1) testantur. Ex hoc factum est, ut sepedicta civitas sanctorum Ianuarii atque Agrippini gratia operante ab imminenti excidio sit erepta. De sanitatibus autem ab eis mirifica virtute factis, nulla ad referendum poterit esse lingua sufficiens; paucis tamen ex pluribus propter festivitatis diem fastidiumque legentibus utile iudicavimus narrare, que intentis auribus et sincero corde vos audire necesse est, et fidem dictis adhibere; neque me nisi experta arbitremini posuisse.

2. Gaudiosus enim quidam de partibus Avelline civitatis, dum nimiis esset oppressus egritudinibus atque miseriis, ut vulgo dicitur, ad ultimum sideratus factus, nusquam valebat progredi. Qui, audita fama de mirabilibus beati Agrippini, eius liminibus ab aliis deportatus per quinque continuos menses adherens et orans, sanissimus redditus pedibus suis ad memorata, unde venerat, loca regressus est, et incolumis usque ad extremum vite sue tempus permansit.

3. Alius etiam Lucius nomine nimia vi infirmitatis cecus effectus, beati Agrippini confessionibus perseverans, ibique diutius excubans, visum eius intercessione recepit, apertisque oculis, quod nox ceca clauserat, pietatis intuitu per merita beati Agrippini Dominus perduxit ad lucem.

4. Nam et aliquis miles de Misenate castello adductus, seminecis ac sine gressu, cui ambulandi facultas ablata fuerat, ad eiusdem beatissimi Agrippini confessionis cubiculum (2) iactatus, ilico virtutem auctore Deo ei concedente, pristine redditus sospitati, alacer ad sua rediens, in Dei laudibus exultavit.

5. Nec non et claudus quidam hec audiens nimio desiderio ad eius festinabat limina sancta perduci. Qui ecclesiam ab aliis advectus occurrit: nam ita membrorum fragilitate torpebat, ut nullatenus posset vel sursum erigi atque respicere. Hic ergo fiducialiter cepit cum lacrymis ad sepulchrum beatissimi Agrippini deflere; postulans sibi speciali medicamine subveniri. Quod et factum est, enim summe sanitati, eodem beato Agrippino operante, redditus, pedibus suis ambulans et gaudens ac Deum benedicens, mirabatur se ab aliis adductum, propriis viribus reversum; regi celorum gratias referens, qui eum ideo pribaverat bonis, ut ostenderet servis suis quanta sint sancti gloria adepti; ut neminem a se tristem, si tamen fideliter speraverit, patiantur abire, ut impleatur scriptura que dicit: *Quis speravit in Domino, et confusus est, permansit in mandatis eius, et derelictus est?*

6. His ergo gestis, mulier aliqua nomine Passara in supradicta civitate Neapolitana habi-

(1) Regesta Mazochius intelligit, quae in S. Agrippini basilica servata fuisse putat; quod Waitz, nescio cur, in dubium vocat.

(2) Ecclesia scil. extramurana. V. supra p. 159.

tans regione Herculense, (1) peccatis faventibus, auditum gressumque perdiderat, sed nec loqui poterat, neque cibum omnino capere. Hec namque (a) semimortua dum a fidelibus parentibus ad beati fuisset Agrippini tumulum perducta, ibique diebus octo hebdomade maioris sancte festivitatis paschalis indubitanter permanens, die sancto sabbati ita est, beato Agrippino miserante, salvata, ut intelligamus atque credamus eam ab inferni porta in die resurrectionis domini nostri Iesu Christi revocatam. Huic vite de mortis confinio restituta, mox ad civitatem sana remeans, omnibus suis affinibus atque vicinis paschalia gaudia duplicavit.

7. Sed et puerulus quidam dum in memorata civitate cum parentibus suis esset, sic letalibus est oppressus infirmitatibus atque molestiis, ut nulla in eo pars membrorum sana remansisset, neque vite in eo signa aliqua viderentur. Is ergo dum a parentibus suis ad beati Agrippini honorabilem memoriam fuisset perductus atque iactatus, ita est eius meritis sublevatus, atque sanitati redditus, tamquam si nichil mali umquam habuisset. Incolomis factus plures postea viveret annos. Quantis itaque solatio fuerit quantosque curaverit dinumerare quis poterit? Sufficere autem credidi ista dixisse de multis. Ab ipsis temporibus atque diebus, quibus hec mirabilia acta gestave sunt, locus ipse per industriam cuiusdam servi Dei, cuius nomen Deus scit, (b) in notitiam perductus est, atque, ut fuit, in melius exornatus. Et licet semper eius beatissimi Agrippini gloriosissima fama nota esset, tamen ex hoc populi devotio ampliata, magnum sibi conventum hominum auxit, duplicavitque devotionis fidem atque occursionem. Gloriosus ergo Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestatibus, faciens prodigia, excitans perditos ad salutem, et infirmos ac desperatos vite restituens; qui etiam sancti, concedente eis Domino, omnibus ad se festinantibus celesti medicina subveniuntur, ut iuste illis ab universis in Dei laudibus gratiarum preconia referantur, optantibus maiora sibi ab (c) eis, ac pretiosiora tribui beneficia, que et supplicantibus sibi prestare non cessant usque in presentem diem.

8. Neque enim hoc silendum est, quod quidam nomine Paulus, habitator civitatis Neapolitane, dum fecisset muri cercitam per gradus, ut ad propria remearet, descendens, labente pede eius distortis (d) nervis cum magno tumore secessit, qui in eius coxa defluxerat. Et dum seminecis in suo ospitio tolleretur, per multa spacia temporis lectulo miser decumbens angebatur doloribus, et pene iam suam pauperculam? spe subventionis sibi medicis prorogasse (e) et quantum fuerat pauper effectus, tantum eius infirmitatis nutrimenta dolorum stridita?

(a) *In cod. Corsin. heic lacuna est, ubi* namque *ex cod. Neap. et ex Vet Offic. suppleri debet.*

(b) *Verba*: cuius nomen Deus scit: *desunt in cod. Corsin.*

(c) *In cod. Corsin :* ab esse.

(d) *Cod. Neap. et Vet Offic.:* in torturam in nerbis.

(e) *Haec usque ad periodi finem in codd. corrupta. Aliquanto meliora habes in Vet. Offic. ubi sic*: suam paupertatem spe subventionis medicis praerogaverat; et quantum fuerat pauper effectus, tantum eius infirmitatis flammarum nutrimenta, dolorum stridores grassabantur.

(1) Herculensem seu Herculanensem regionem in antiquis Neapolitanae urbis marmoribus celebrem, eandem ac Furcillensem, quae appellatio adhuc durat, esse tum ex huius ipsius *Libelli* §. 9, tum etiam ex chartis ac scriptoribus patriis optime evincitur.

crassabantur. Et dum nulla fuisset concurrendi fiducia, spes unica tandem ad venerabile corpus beati Agrippini confessoris domini nostri Iesu Christi, (pene iam mortua membra *cod. Cors.)* a suis parentibus est deductus, ibique in lacrimis et ieiuniis per multum tempus orabat. Affuit solita Dei concursio nocte intempesta quadam, dum ipse Paulus iam palpitantia membra, spiritus parvus in ipso remanserat, vocis sonitum audit: ilico prospiciens, vidit quendam iuvenem stola candida prefulgentem in ipso introitu regie dicentem beato Agrippino: *ecce venit frater tuus, venit frater tuus*: et post pusillum facto silentio, denuo vox emissa est: *ecce venit frater tuus Acutius*, cui beatus Agrippinus, venire professus est: *ecce venio.* Hoc peractum sancti Dei *(sic)* invicem sibi occurrere conspexit et honorantes se, mox enim clamans Paulus cum lacrimis extendens manus suas et dixit: *sancte Dei martir Acuti, salvum me fac.* Cuius sanctus martir non dedignatus est iam cinolenta membra manu sancta palpare statimque morbus, qui in ipso irruerat, in coxa diruptus est, et pristine salutis formam recepit. Collaudans enim, et glorificans incessabiliter Deum qui ammirabilis est in sanctis suis.

9. (a) Ad augmentum quoque meritorum illius et domini Iesu Christi gloriam illud etiam referre condecet, quod, quamvis sanctus et religiosus, carnis tamen onere pregravatus per divinam gratiam mirabiliter operari meruit. Quodam itaque tempore dum divina misteria in sancta sede persolvisset, atque ad suos consanguineos visitandi gratia pergeret, in regionem videlicet Herculensem, plateam Furcillensem, ex qua idem originem nativitatis sumserat; in qua etiam ecclesiam ad honorem nominis (1) eius actenus perseverat, quedam paralitica ante ianuam domus sue iacebat multis annorum curriculis fatigata, que nullo medicorum solamine poterat liberari. Cumque diuturnis periculis ureretur, sollicitante illam domino Iesu Christo, qui eam per famulum suum Agrippinum sanare disponebat, hec in mente illius, sicut ipsa postea letabunda professa est, religiosa exorta est cogitatio: "Nonne dominus noster Iesus Christus pro salute generis humani de celis adveniens, carnem assumere, crucifigi et mori, descendere ad inferas et resurgere dignatus est; ac deinde in celum ascendens iterum venire ad iudicandum vivos ac mortuos, et reddere sanctis suis premia sempiterna credendum est? Si hoc ita est, et vere, quia ita est; sicut sancta et universalis Ecclesia confitetur, et ipse promittere dignatus est, dicens: *Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis;* quare diu tacens, fatigor, quare muta sileo et non suppliciter obsecro illum, qui ut posceretur, ipse consilium dedit, dicens: *Invoca me in die tribulationis tue eripiam te, et magnificabis me.* Si hoc verum est, et veritas neminem fallit, deprecor illius misericordiam, ut me tantis afflictionibus aut dignanter eripiat, aut certe si digna non sum, veniam delictis tribuat, et desuper terram auferat me." Talia secum volvens, atque in fiduciam Domini salvatoris mentem corroborans, cum lacrimis invocare illum, et dicere: *O domine Iesu Christe creator animarum et corporum infirman-*

(a) *In cod. Neap. haec.* § *postposita est, in* Vet. Offic. *omissa.*

(1) De hac ecclesia in regione Furcillensi, in angulo viae, quae *S. Agostino alla Zecca* dicitur, posita, supra p. 159 mentionem feci.

tium restaurator, et merentium consolator, respice de celo, et vide et visita me miseram ad te clamantem et de tua misericordia nimium presumentem. De te namque tuus propheta canit, dicens: erigit elisos, Dominus solvit compeditos. Hec ubi dixit, respiciens cominus, vidit beatum Agrippinum, dignum Dei pontificem, venientem, cepitque illum fletibus compellare, ac dicere: *Obsecro, sancte pater, per celi gaudia dantem, subsiste paulisper: et gemebunde lacrimas intuere.* Attonitus ad ista beatus pontifex, cepit suadere et consolationis solamina ministrare, ut quod vellet seriatim insinuaret. Tunc illa: *Diuturno*, inquiens, *languore quassata, Dominum deprecari cepi, quo me aut de presenti periculo eruere aut morti concite traderet. Inter hec autem te dominum meum cernendo, ita sum animata, quasi ipsum cernerem Salvatorem; nec etenim interim me talis cogitatio fefellit; ipse nimirum dixit:* qui vos recipit, me recipit, et qui vos spernit, me spernit. *Tu, venerande pater, per ipsum Dominum te adiuro, ne amplius me sinas in hac calamitate morari, sed per merita sancta tua invoca Dominum, et libera animam meam.* Attentus autem Christi famulus elevans in celum oculos, tendensque ad sidera palmas his verbis cepit exorare Tonantem :

" O Deus omnipotens hominum plasmator opime. Totius mundi clemens salvator et auctor, Non mea respicias delicta, sed anxia corda Huius contritae mulieris, et annue munus, Sentiat unde tuam sanctam per cuncta medelam, Quo possit semper supplex tibi reddere laudem ".

Hec cum orasset beatus pontifex, conversus ad paraliticam, dixit: *Si tu me humillimum, et delicti pondere pressum, eam quam dixisti fiduciam flagitasti, ille Deus omnipotens, qui te compunxit talia fari, ipse tibi salutis opem conferat ad laudem et gloriam nominis sui, qui est benedictus in secula.* Hec ubi dicta dedit, divino munere sanctus apprehendit manum paralitice, et dixit: *In nomine sancte, et individue Trinitatis surge.* Mira Dei potentia, mira et ineffabilis: et sicut propheta canit, magnitudinis eius nón est finis. Ad istam vocem statim sana et alacer surrexit, et quasi nichil mali perpessa fuisset, admirantibus cunctis Deo laudem dicere cepit.

10. Inter cetera autem miraculorum magnalia, que dominus noster Iesus Christus per beatum et gloriosum confessorem suum Agrippinum, huius nostre civitatis Parthenopensis patronum et antistitem, patrare dignatus est, que vestra iam precordia spirituali iucunditate letificaverunt, et hoc ad honorem et gloriam nominis sui, eiusdemque pontificis reverentiam, et vestre fraternitatis gaudium, qui devote ad eius sollemnitatem convenistis, pandere et clarificare congruum duximus, quod suis meritis in quodam viro, nomine Mauro, mirabiliter operatus est. Hic namque vir temporibus beate recordationis domini Pauli primi, sanctissimi et senioris huius sedis episcopi, sive summi opificis protectione, ne in anime periculum incurreret, sicut ipse Dominus per prophetam asserit: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis et sepiam eam maceria*; et per beatum Ioannem in Apocalipsi: *Ego, quos amo, arguo et castigo*: seu quod amplius manifestum est, ut virtus curationis beati Agrippini ostenderetur in illo, paterna illum Dominus visitatione corrigens, decidit in valetudinem corporis, que greco vocabulo paralisis nominatur, adeo pregravatus, ut gressibus propriis moveri nullatenus posset. Nam necessitate

aliqua cogente, dum pergere urgeretur, pessilos in manibus gestans per terram se veluti reptile pertrahebat: erat enim visu deformis, morti simillimus ac toto corpore dissipatus. Hic nimirum multis curatis medicaminibus deterior fiebat. Sola domini Iesu Christi spes firma remanserat. Interea dum talibus periculis ureretur, et sedule Dominum exinde flagitaret: quia ut scriptum est: *quis speravit in Domino et confusus est? permansit in mandatis eius, et derelictus est?* accidit ut beati Ianuarii preclara sollemnitas adveniret, ad cuius venerabile corpus, dum multos occurrere cerneret, illius fretus auxilio, aliorum vectus manibus, illuc deportatus est. Cumque ad illius sacratissimum tumulum pervenisset, cepit cum lacrimis eius exorare suffragium, dicens: " Non ignoro, beate martir, quantum valeant apud Deum tua merita gloriosa. Non dubito, imo fiducialiter credo; quoniam quidem tu es ille, qui pro Christi amore fudisti sanguinem tuum. Ergo beate nimis deposcens obsecro Christum, Quo mihi succurrens dissolvat vincula seva, Que me conquassant; nocteque dieque fatigant, Non me diutius permittas talia ferre, O alme pater patriae, qui cunctis commoda prestas. Per Dominum exoro, per celi gaudia dantem, Qui tibi concessit celorum gaudia sancta. „

Hec ubi dicta dedit, ante sacrum tumulum recubans sopore depressus vidit beatissimum martirem Ianuarium preclara voce se vociferantem sibique talia proferentem: " Cur me sic pulsas lacrimis hic nocte dieque? Cur non ad modicum requiescis fracte periclis? Nescis quod dubiis non dantur clara quietis. Ne sis infidus, quod suggero, perfice constans. Accipe consilium si queris pergere sanus. Pone diu flere et sume solamina mentis „.

Cumque inquireret quis esset et quod ageret, ut salvus existere posset, talia illi placide prestavit monita sanctus. " Ego sum, inquit, Ianuarius, Sed scito prenoscens, quod non sanaveris istic, Nec meis meritis capies hic clara quietis. Ad tumulum pergens Agrippini fratris amandi, Illuc percipies, quod queris, crede fidelis; Ille salutis opem prebebit dante tonante, Cui est donatum a Christo tibi ferre vigorem „.

Expergefactus a somno homo ille miserrimus, martiris consilio animatus, et spe fidei roboratus, sancti ac beatissimi Agrippini tumulum adiit, et his coepit vocibus compellere: *O magne meritis Agrippine, o sancte sacerdos magnus amice Dei, te quaeso, te postulo, tu michi per Christum sanitatis commoda praebe, qui te sanctis meritis ad tantum provexit honorem. Non sum jam dubius, fidenter ista expecto; sanctus martir enim Ianuarius hec mihi leta promisit. Exurge ergo in auxilium michi, quoniam hinc nisi sanus exeo, donante gratia Christi per vestri meriti donum.* Hec interim agebantur, cum beati Ianuarii, ut prediximus, gloriosa celebraretur sollemnitas. Tunc prefatus pontifex domnus Paulus cum omni clero atque magnatibus, cum hymnis et laudibus, ad ecclesiam processit ex more, sacraque misteria exultantes agere ceperunt. Dum hec agerentur, subito a parte oratorii beati Agrippini magna cum stridoribus vox resonuit, e cuius vocis inopinate admiratione magna ex parte plebis factus est concursus atque occursus. Descendentes vero ad eius tumulum, invenerunt hominem, quem ante adtractum viderant, et toto corpore alligatum, solutis genibus erectum stantem, ipsumque altare amplexu tenentem et osculantem, magnaque cordis alacritate Dominum collau-

dantem et beato Agrippino grates innumeras referentem. Accedentes vero ad eum, ut quondam peractum est de illo ceco nato, quem dominus Iesus Christus illuminare dignatus est, pre admiratione sospitatis in scrupulum titubationis inciderunt, nec ipsum, qui erat, credentes, eum ceperunt sciscitare dicentes: *Tu ne es ille miser religatus nexibus atris; Qui horridus, adtractus iacuisti finibus istis?* Quibus ille: *Quare ex hoc dubitatis, carissimi; cur hebitudo mentis texit praecordia vestra. Numquid me luctuantem et proclamantem in doloribus non sepius conspexistis, solamenque michi tribuistis? Latere quomodo valeo tanta diuturnitate provisus? Miserante enim Deo, semper qui commoda prestat, meritisque liberatoris mei domni Agrippini, iam valetudine tetra fugata, melius me vigere profiteor, quam nuper cum sanus essem.* Hec audientes omnes, et potentiam domini Iesu Christi mirantes flere pre gaudio ceperunt, dicentes: *Gloria Christe, tibi, famulis qui tanta ministras; Qui tam mira facis gloria Christe tibi.*

Igitur cum moneretur sue sospitatis referre efficaciam, cepit hilariter profiteri dicens: *Cum nimiis doloribus quassarentur viscera mea, adsportari me feci ad beati martiris Ianuarii corpus, ibique precando illum, cum me monuisset ad sui sodalis Agrippini basilicam properare, parui preceptis eius, et huc deportatus sum, quem sepius deprecando, quando placuit domino Iesu Christo, in hac videlicet sancta festivitate prefati martiris, non dormienti, sed clare vigilanti apparuit michi veneranda claritate et pontificali stola ornatus dominus meus Agrippinus, stansque super me faceta hilaritate consolationis gratiam ministrabat. Interea, cum de tali visione animatus gauderem, audivi voces interius quorumdam se invicem salutantium et venerantium, ex quibus unus eadem claritate et habitu, qua beatus Agrippinus fulgebat, adveniens, quem non dubito beatum fuisse Ianuarium; et simul iuncti caritatis oscula sibi praebentes propriis se salutavere nominibus. Nec mora, unus me capite, alter pedibus apprehendentes et trahentes, distendere ceperunt, sicque Deo miserante ecce a periculo pessime valetudinis ereptus, glorifico dominum Iesum Christum et beato Agrippino laudes immensas refero.* Inter hec autem et ut fidem effectibus adstrueret, cruenta genua ostendens, nervosque discopertos preruptis pellibus ait; *Si verbis non creditis saltem operibus credite, et videte non cicatrices, sed cruenta indicia et considerate, si vidit unquam talia quisquam, vel audivit similia.* Hec letabundo corde referens, stabat ante sacrum altarium oleo perfusus candele, que luminis claritatem beati Agrippini basilice ministrabat. Nam dum se animadverteret sospitem, pre gaudio erectus oleum super caput suum fudit, nec tamen candela quassata est. Et hoc si diligenter consideramus, non sine iudicio percepte misericordie actum est: Nam grece heleos, latine misericordia nuncupatur, ut, salvo quod de domino Iesu Christo dictum esse creditur, recte de illo propheta diceret: *Uncxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis pre participibus tuis.* Sic miserante Deo vir ille, sanitate percepta, glorificando dominum Iesum Christum, et beato Agrippino gratias referendo letus et alacer ad propria remeavit. Hec nos, fratres carissimi, audientes et intelligentes, non inaniter illa percipiamus, sed cum affectu pie admirationis acquiramus utilitatem anime per effectum sancte conversationis. Nichil

etenim prodest auditio cum labore, nisi adsit fructus boni operis cum Dei timore. Hinc beatus apostolus anime languentis (*sic*) prebendo medicinam, cum vidisset quosdam promptos ad audiendum et tardos ad faciendum commonuit dicens: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores iustificabuntur*. Similiter et Iacobus: *Estote factores verbi*, *et non auditores tantum*, *fallentes vosmetipsos*. Proinde si iustificari cupimus, si a peccatorum nexibus liberari, cum in aliquibus infirmitatibus preoccupati fuerimus, fiducialiter sanctorum patrocinia imploramus. Credentes per omnia illorum nos suffragiis erui non solum ab incommoditate corporum, sed etiam, quod melius et salubrius est, a nexibus animorum, annuente illo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

9. *Miracula S. Eupli levitae et martyris*

(Ex cod. Neap. (1) cum editione CAIETANI collato)

1. Igitur dum beatissimi Eupli levite Christi et martiris praeclara gloriosaque miracula cunctis innotescerent, tempore quo Iohannes consul Neapolitanae urbis (2) anno tertio regni sui consulatum regebat, veniens mulier quaedam ad aecclesiam (*sic*) praefati martyris, habens in manibus suis elephanciae morbos infirmitatis. Ibique peractis multis diebus in oratione persistens, obnixe sancto se commendans, ut ei ferre salutis auxilium perenni suffragio Deus dignaretur, eratque totam habens in Domino fiduciam, dicens: *tibique me ipsam*, *sancte Dei*, *commendo et me indignam adiuves*, *quatenus*, *sicut per tuas sacras orationes multi a diabulo oppressi liberati sunt*; *ita nempe me cures a calamitatibus flagris ? ut ego misera Deum per te benedicere valeam*, *qui cuncta patravit*. Quas enim, ipsas (*ipsa?*) manus loris astrictas (*et*) ad pectus vulneratas tenebat volens extendere, sicut semper faciebat, huc atque illuc, cunctis nobis videntibus, daemon acrius eam vexabat; sicque factum est, ut omnes, qui adherant, tremefacti vociferabant dicentes: *Sancte Euple*, *levita et serve Dei*, *licet absens adesto huic miserrimae tuae ancillae quatenus*, *sicut omnes a suis semper infirmitatibus eruisti sicque curare ab hac infirmitate eam digneris*. Et mulier illa pessimis vexata stimulis sic clamans ait: *Michi miserrimae fer auxilium*, *sancte Euple*, (*qui*) *milia claudorum morborumque passim commoda donasti*. *Tu quicquid vulgi incolumis ministrans abire fecisti*, *invalidas debilesque manus* (3). *Egris ex tumulo condonat commoda sanctus levita Euplus medicusque almus*. Quadam vero nocte, dum die dominica (4) antequam nocturnus celebraretur, adest in somnis ei sanctus apprehenditque eam per dextram levamque manum et sic exorsus est fari: *Eia*, *mulier*, *alleva quidem tuam manum extendens ? Signaculum imprime fronti*. Postquam

(1) Miracula in cod. hoc *Passionem S. Eupli*, qui a. 304 pro Christo martyrium subiit, excipiunt. Textum vero, sive ex librarii oscitantia, sive etiam ex auctoris ipsius inscitia, ita saepe corruptum et mendis foedatum est, ut sensum aliquem ex pluribus locis lector vix aut omnino elicere nequeat.

(2) Quisnam ex ducibus, qui Iohannis nomen habuere et saec. X, XI ac XII Neapolitanis praefuerunt, is fuerit, ex his quae auctor habet, praefiniri non potest.

(3) Mendose. CAIETANI rem, more suo, in rectiorem atque elegantiorem formam reducens scribit: " subsidium a sancto viro exposcens, neque fas esse vociferans, reliquis omnibus incolumi valetudine ab eo templo recedentibus, se solam derelictam ac depositam ibidem iacere ".

(4) Dominicum diem praecunte. CAIET.

illa surrexit a somno, perterrita ac perculsa pavore tetendit ad sidera palmas : *Domine omnipotens, magne et mirabilis , qui es gloriosus in sanctis tuis , faciens in celo et in terra mirabilia; tu enim fecisti celum et terram et quicquid celi ambitu continetur; Dominus universorum tu es.* Talibus orabat dictis talibusque subsequebatur vocibus. His ita gestis igitur, et more celebratis matutinalibus horis atque expleta modulis psalmodia, iam hora diei prima clarescente et (*cum?*) eam presbiter illius loci custos intuitus esset, sic ait: *Hilarem te cerno, mulier, puto sana estimaris.* Et illa voce pavitanti sic ait: *Domine mi, adiuvata adnotatque* (1) *salvata sum.* Et ille eam interrogavit: *Quomodo sana facta es ?* Et illa: *Apparuit michi quidam iuvenis pulcro aspectu apprehenditque meum dextrum brachium talibusque dicebat: denique baiulare tuum brachium, o mulier, et sanctae crucis vexillum tuae imprime fronti.* Et ille custos: *Quale signum habebat qui....* (2). At ille: *In largissimis vestimentis michi apparuit et ad collum eius orarium pendebat.* Tunc iterum ille ait: *Sanctus tibi apparuit Euplius laevita.* Et eam alloquitur dicens: *Desine seculo servire, mulier, ne tibi aliquid deterius contingat* ; *sed magis Deo cum totis viribus placere stude , qui te incolumen restituit.* Et illa ait: *Absit a me, domine mi, ut ego illecebris coniungar.* Et ille: *Vade in pace et Dominus sit tecum;* et illa respondit: *Amen.* Et valefaciens presbitero perrexit illesa in domum suam glorificans Dominum. Videntes autem omnes magnificabant Dominum, qui tantas virtutes in sanctis suis mirabiliter operare dignatus est ad laudem et gloriam nominis sui, qui vivit et regnat in secula seculorum Amen.

2. Nec ? pretereundum est... unum de multis reticere miraculum. Fuit mulier nomine Fasana de vico, qui dicitur Villanova (3) a daemonio fortiter vexata nimiumque fatigata; veniens Neapolim, nesciens pergebat per plateas et vicos praephate civitatis, spumans et multum discurrens percutiebat se acrius, eo quod ei diabolus praebebat...(4). Videntes autem eam viri religiosi in ecclesiam beatissimi levite martiris Christi Eupli deducere conabantur. Cumque pervenissent ad praedictam ecclesiam, clausas eiusdem ianuas invenerunt, quia ibi custos et presbiter non erat. Ceperunt intra se cogitare dicentes: *Quid de ea facimus*, dixeruntque: *sive per fenestras aut per tegulas intus eam submittamus.* Et ecce quidam indicantes (*sic*) eis, quia unus senior sacerdos commendatas haberet huius ecclesiae claves, quas inventas patefacta ianua eam intus introduxerunt, et post paululum adveniens quidam sacerdos, quem illi cominus aspicientes, rogare ceperunt dicentes: *Venerande sacerdos, festinus veni, commendare* (5) *et sancto levitae martyrique Euplo.* Tunc intrantes in ecclesia Dominum oraverunt pro ea, sicuti soliti erant facere semper, et intervallo facto quasi unius hore *(et)* concione facta de praesbitero illius loci custode, ubi ductus vel quo loco perrexisset, quod tantas moras faceret, dixeruntque: *Neapolitanus praesul ire praecepit, secum asportans; sed credimus quia hodie venturus est.* Denique turbati de muliere, quam plurimum daemon vexabat, tunc eam relaxantes ligatis manibus et pedibus intus praephatam ecclesiam Dei martyris unusquisque in propria sunt reversi.

(1) Ita in cod. Forte: *a Domino atque* etc. legendum est.

(2) Heic in cod. quaedam verba penitus deleta legi nequeunt.

(3) Pagus in regione Pausylipensi, de quo in *Regest. Neap.*

(4) Et heic aliquod verbum legere non potui.

(5) Quiddam in membrana obsolevit; forte: *hanc mulierem* .

Quadam vero hora veniens quidam presbiter orationis officiantissime ei praebebat obsequium; mox illa, quasi humi prostrata, mugitus ad eius pedes emittens morsu eum, ut canis, appetiit vulneratumque abire fecit. *Eu*, inquid, *me*, clamabat presbiter dicens: *nimis vulneratus sum a daemone, qui istam invasit, sit ille maledictus a domino Ihesu Christo qui eum in abyssum mittet, hanc incolumemque restituat.* Alius quidam presbiter monachus, nomine Laurentius, in praephata martiris ecclesia veniens amore visitacionis eam visendam dixitque ei: *Fasana, salvet te dominus Ihesus Christus.* At illa torvo aspectu, furenti voce, sic ad eum locuta est: *Ablavie ?* (1) *vecors, quando te videre volui tum ad me venire noluisti, nunc autem videre te minime possum.* Tunc ille sacerdos sic ad eam increpans ait: *Inique, obmutesce, pestifer, desine iam per os divini plasmatis talia profari.* Denique fusis per eam ad Dominum precibus deprecabat dicens: ut ille qui omnia sua gubernatione dispensat et ordinat quomodo et qualia vult ilico ? ei sanitatem tribuere dignaretur, quatenus per intercessionem beati martiris Christi Eupli levite multipharios languores habentes in illam ? a Deo recipere mereantur. Ita et nunc emictere dignaretur suam potentiam suamque clementiam de sanctuario suo supra multa sua ? per suffragia martiris, ne de ea hostis antiquus gloriari valeat, qui circumiens querit quem devoret, qui et religatam suo tenet pestifero laqueo (2). Tunc illa apprehendit illum quasi luctans; denique sumens ille flagellum percussit eam dixitque: *Exi ab ea Satana quia imperat tibi Christus, qua te in Genesareth videns mulierem habentem* (3) *daemonia increpans dixit*: Exite ab ea, *qui statim in momento exierunt dicentes*: Domine mitte nos in gregem porcorum, *ubi cum illis* (4) *in mare precipitati sunt, at mulier illesa remansit.* Quid plura ? Denique in ecclesia uno mense praefata mulier nimium a daemone vexata commorabatur. Consummatisque predictis diebus media nocte veniens quidam iuvenis fulgido aspectu cuius *(cum)* vestimentorum flagrantia sub voce preconia eam alloquens sic ait: *Surge denique, Fasana, surge*, inquid, *dic te esse sanatam;* et illa surrexit adorans iuvenem fulgentem aspectu. *Cur ita ad Euplum venisti ?* clamabat daemon dicens ad eam, *ille me a te exire fecit* ; *si postea te invadere potuero, iam a te non exibo.* Cui sanctus: *Obmutesce et talia praefari ultra non audebis, sed vade*; *dominus Ihesus Christus religet te in abissum.* Et mulier salva facta est ex illa hora. Que oracione facta commendans se sancto (et) presbitero locullum *(loci illius ?)*, magnificans Deum, et liberatorem dominum nostrum Ihesum Christum, qui vivit et regnat cum patre Deus per cuncta seculorum secula. Amen.

10. *Libellus miraculorum S. Ephebi.*

(Ex editione UGHELLII)

Sciendum namque est, Fratres carissimi, quod sancti Deo placentes, et pro eius nomine legitime decertantes, gemino aeterni regis munere adornantur, cum legitimi cer-

(1) Quid istud sit nescio.

(2) Haec omnia CAIETANI, utpote inepta, ac omnino superflua, omittit.

(3) CAIETANI brevius, ac quidem melius; " qui de Genazarena muliere tuos collegas in porcorum gregem expulit, "

(4) Et heic etiam aliqua evanuere.

taminis de coelesti gazophylacio obtinent bravium, et propter crebra virtutum miracula a christicolis attentius nobilitantur. De quorum collegio hic sanctissimus Christi confessor Euphebius post multa annorum curricula, ex quo carne mortali exutus ad coelestia regna migravit, apud Parthenopenses, quibus pontificali dignitate redimitus praefuit, Christo sibi conducente, pluribus effulsit miraculis. Quae, quia tam mira sunt, ut subsequens sermo depingit, nullo modo reticenda censemus : sed ad laudem imperatoris ipsius, cuius manere consecutus est, ut et in coelo arcem teneat sanctitatis, et in terris miracula faciat ex virtute multorum auribus fideli relatione commodum duximus enarrare.

2. Enim vero cum quidam presbyter extra Neapolitana moenia, in ipsius nomine conditam ecclesiam frequentaret, et illic quotidie sacra missarum sollemnia exhiberet, contigit, ut Agarenorum impetus improvise adveniens, quia intrinsecus non poterat, extrinsecus vicina quaeque vastaret. Quod praedictus audiens presbyter : *Nullus*, inquit, *me terror ab obsequio mei patris et domini poterit cohibere; interritus abibo*, *et missarum sollemnia, si dignus sum, solito more perficiam. Verumtamen illius virtutis efficaciam hoc volo probare indicio, si me sedulo obsequentem, inter iniquorum hostium gladios et tela poterit custodire.* Et haec dicens insertam baculo sportulam ecclesiasticis refertam monilibus collotenus gestans, intrepidus iter arripuit. Ad ecclesiam vero veniens, priusquam ingrederetur, breve distichon in hunc modum carmen composuit.

" Praesul amande, tui sim tutus numine templi ;
En tibi devotus solitus paro reddere laudes ".

Et haec dicens, casula indutus, missarum sollemnia solito constantior inchoavit. Nec dum prece finita, Agarenorum manus illius sacri templi aedificia undique circumstat. Verum omnipotens Deus, ob meritum sanctissimi praesulis Euphebii, tanta eos coecitate percussit, ut per ecclesiae aditum introspicerent, et sacra mysteria celebrantem presbyterum non viderent. Illis itaque forinsecus vacantibus, presbyter missarum sollemnia consummavit. Expletis vero missarum sollemniis vocem praedictus presbyter de coelo audivit dicentem sibi: *Ne formides, ne paveas, constanter proprium arripe baculum et quoscumque obvios habueris, intrepidus percute. Ego enim eos, te aliquo modo feriente, prosternam.* Quo firmatus oraculo, baculum, ut sibi fuerat iussum, arripiens extra ecclesiae ianuam audacter exivit; et quos ante foras ecclesiae reperit ictu baculi ferientis extinxit. Dehinc recto tramite contra civitatis moenia proficiscens, quoscumque hostium obvios habuit eiusdem virgae tactu delevit; ceteri vero videntes corpora suorum sine telorum percussionibus strata, terroris nimietate fugati, ad classes redeunt, ac mucronibus raptim retinacula truncantes navium, velis remisque, prout poterant, marina sulcantes aequora, ad propria ire moribundi festinant. Mira dei clementia ! mira et incomprehensibilis, quod totius civitatis populus gladiis et telis armatus non posset praesumere, unius inermis presbyteri baculus, ipso adiuvante, alios in terram stravit, alios in fugam vertit.

Praedictus vero presbyter ad civitatem rediens, suos concives ad currendum, et inusitata videnda miracula hortans, aiebat :

" Currite Christicolae celeres, properate securi, Nullus in urbe metus, voce liberante

divina ; Hoc baculo plures iam credite morte peremtos; Ast alii furtim fugiendo per aequora currunt „.

Cumque populus civitatis de inaudito miraculo titubaret, nec presbytero talia referenti credulitatis adsensum praeberet : *Ite*, inquit presbyter, *et per iter, quo redii, usque ad ecclesiam properate, ut dum quae dixi vera probaveritis, non mihi, sed conditori omnium Christo domino, imo et sanctissimo confessori Euphebio, munera persolvite laudis, cuius munere fretus, alios hostium extinxi, alios in fugam verti.* Cumque incredibilis multitudo per verbum presbyteri ad hoc spectaculum curreret, et plurimorum corpora per viam, sicut presbyter dixerat, extincta videret, volucri cursu ad civitatem rediens omnipotenti Domino et sancto Euphebio illius dilectissimo confessori laudes referebat.

3. Alio quoque tempore quidam Parthenopensium presbyter praedicti sacerdotis exemplum cupiens imitari, praedicti sanctissimi Euphebii ecclesiam, quam praediximus, assidue frequentabat. Cumque ex more cum suo discipulo solita missarum sollemnia celebraturus pergeret : *Curre puer*, inquit, *ecclesiae ianuam aperi, et ea quae opus sunt ad missarum sollemnia festinus praepara : ego enim te subsequens proficiscor.* Tunc puer praeceptis magistri obediens cucurrit, ad ecclesiam venit, clavem de sinu suo protulit. Sed priusquam aperiret, per ianuae aspiciens rimas, mirabile dictu ! vidit ante sanctum altare reverendum sacerdotem pontificalibus infulis redimitum, missarum sollemnia celebrantem, iuxta quem per totam ecclesiam tantus erat aromatum fumus, ut etiam per fenestras et cavernas ecclesiae illius nimietas exhalaret. Tum territus puer, ut invenerat, obseratam ianuam relinquens, retro reversus magistro suo obvians : *Revertere*, inquit, *nam quendam reverendissimum vestitum pontificali dignitate, ante altare stantem, et sacra mysteria celebrantem, per ianuae rimas priusquam aperirem conspexi. Sed miror unde illi aditus introeundi patuerit, cum ianua seris et clave apud nos retenta firmata sit nec aliunde aditus pateat, unde intrare potuerit.* Tunc presbyter, ut rei veritatem cognosceret, ad ecclesiam cum discipulo festinus accessit, aperiensque ecclesiae ianuam, neminem vidit, fumum tantum et odorem aromatum naribus sensit et conspexit oculis. Qua de re obstupefactus presbyter inquit: *Nunc cognosco, beatissime pater Euphebi, quia tu custos, tu rector tui templi existis. Non miror, si post mortalis sarcinam carnis positam tui officii fungeris dignitate; quia multos tui ordinis scimus, quibus voluissent, post mortem carnis apparuisse, et se in carni effigie adhuc in hoc saeculo viventibus exhibuisse. Deinceps in tuo obsequio ardentior fiam; credens, quia non mediocriter diligis, qui in hoc templo sancto tuo corporaliter serviunt, quod tu spiritualiter frequentare non desinis.*

4. Nec multo post quidam clarissimus vir apud Parthenopenses dives et admodum religiosus, huius sanctissimi Euphebii festum continuo venerabatur obsequio : eiusque patrocinio fidens, quodcumque de suis operibus disponebat, ac si in corpore viveret, eius arbitrio committebat. Cumque hoc diutius moliretur, contigit ut quidam de longinquis partibus veniens valde sibi notus et compater, ab eo auxilium implorans aiebat: *O strenuissime vir, nosti me tibi spiritualiter consanguineitate coniunctum? Nihil est quod in me possis aliquo modo dubitare. Navi fracta, amissis mercibus, de saevientis*

naufragio pelagi nudus evasi. Nunc te precor, carissime, ut misericordiae viscere mihi subvenias, miseroque naufrago saltem vel quinquaginta commodes solidos: quibus in redeundi utilitate propria expensis, possim ad patriam remeare. Et ille: *Quem*, inquit, *mihi fideiussorem ponis, si tibi, quos postulas praestavero solidos?* At naufragus: *Deum*, inquit, *tibi fideiussorem pono, quia non a me accipies malum pro bono, sed statim ut in patriam rediero, aut per me, aut per meum nuntium in constituto termino recipies solidos.* Praedictus autem Parthenopensis vir ait: *Non licet, frater, nec tibi Deum vadem ponere nec mihi recipere. Mei patroni, ac domini praesulis ecclesiam adeamus; ipsum mihi mediatorem constitue, ut si tu de meis negligenter tractaveris solidis, ipse, quem totius nostrae domus custodem et tutorem credo, mihi quae nostra sunt reddat.* Et haec dicens naufragum ad sanctissimi patris Euphebii ecclesiam duxit. Tunc is, qui solidos postulabat, ac si eum in corpore viventem attenderet, clara voce ait: *O sanctissime Euphebi, in tua fide de manu huius creditoris accipio solidos, ea ratione, ut si in condicto termino illi, quae sua sunt non restituero, tu, cui apud Deum omnia possibilia sunt, de meis manibus creditum aurum requires.* Tunc creditor verbis naufragi credulus effectus, aurum de sinu protulit, et petenti naufrago quinquaginta largitus est solidos. Quibus acceptis, et in mercibus sibi utilibus expensis ad propria remeavit, sed transacto termino amicitiae creditoris oblitus, solidos dirigere distulit.

Cumque diu post condictum terminum ipse creditor expectaret, et nullo modo eos redire conspiceret, uxor illius feminea indignatione virum deridebat, dicens: *Vade et parietibus templi Dei fideiussoris praestitos quaere solidos, nam aurum, quod tu fraudolento naufrago commisisti, non accipies in aeternum.* Tunc vir eius ad ecclesiam veniens sancto praesuli conquerebatur dicens: *Itane in me agis, sanctissime pater? Eane fide te mediatorem suscepi, ut de meis solidis negligenter tractares? Num quidnam de meis facultatibus tua festa non colui, et tibi famulantes, prout potui, non honoravi? Quod si deinceps de tuo obsequio negligens fuero, non mihi sed tibi imputabitur culpa, qui nostris propriis consentire damnis cognosceris.* Et haec dicens ab ecclesia valde indignans abibat.

Eadem vero nocte idem sanctissimus praesul praedicti naufragi adiit patriam, eique comminanter in somniis apparuit: *Cur*, inquiens, *modicae fidei, me fideiussorem tuo creditori dedisti? Cur in condicto termino tibi creditos solidos non misisti? Vade celer, et tuo creditori, cui me vadem promisisti, sine mora dirige solidos. Quod si me spreto hoc facere amplius distuleris, coelestem deprecor regem et hoc quod mihi creditum fuit, et omnis tua possessio quantocitius diripiatur.* Cui praedictus naufragus: *Cur*, inquit, *me tam asperis verbis obiurgas, sanctissime Pater? Numquid per tam tempestuosum et procellosum et perturbatum mare, Neapolim solidos dirigere potero?* Cui sanctus: *Tolle*, inquit, *aliquod lignum et in modum capsae, ubi solidos claudas, studiose effodito, et desuper optime solidatum cooperculum apta, et postea tibi creditos solidos cum cartula, quae tuum et illius nomen et numerum solidorum contineat, intromitte: ego enim quocumque modo, quousque ad Neapolitanum portum perveniant, et solidis et ligno per saevientis maris procellas gubernator existam.* Quo audito naufragus lecto exiliens, iuxta

quod sibi in somniis visum fuerat, lignum optime praeparavit, atque in eodem in modum capsae locum concavum fecit; atque intromissis cum cartula solidis, lignum in mare iactavit. Mira Dei clementia! Inter tot procellas et turbinos praedictum lignum cum solidis, sanctissimo praesule invisibiliter gubernante, Neapoli cum pluribus aliis lignis, quae tempestas impulerat, applicuit portum. Cumque populus civitatis catervatim ad ea colligenda ad maris oram concurreret, mirabile dictu! cetera ligna manibus hominum se velut sponte praebebant, cum vero quis lignum, in quo solidi conditi erant, compraehendere vellet, ac si illud aliquis forti nisu impelleret, contra undas pelagi fugiebat. Interea praedictus praesul S. Euphebius, praedictum in somnis admonens: *Vade*, inquit, *ad litus maris et lignum, quod ad te velut sponte venerit, in siccum trahe, quo intrinsecus perscrutato, naufrago creditos reperies solidos et ne mihi amplius calumniam inferre praesumas.* Tunc expergefactus creditor, ad mare concitus properans, praedictum lignum, velut illud impelleret aliquis ad eius vestigia venit. Quo accepto, et intrinsecus perscrutato, sicut sanctus dixerat, invenit, et numerum solidorum et cartulam utrorumque nomina continentem. Quibus acceptis omnipotenti Deo et S. Euphebio gratias referebat (1).

(1) Heic MAZOCHII admonitionem, quam doctus et pius vir ad *Libellum miraculorum S. Agrippini* adnotavit, repetere iuvat.

ADMONITIO

" Monendus est porro lector, ne haec miracula (sicuti et Agnelliana, et Athanasiana etc.) ad criticae severioris amussim exigat, in quibus summa simplicitas, cum solida pietate iuncta, est potius exosculanda; in quibus cavetur semper, ne beneficia a sanctis Dei famulis, sed potius a Christo sunt expectanda, deprecantibus sanctis. Idque perpetuum est. Ceterum, sicubi in visis aut alicubi aliquid forte paullo absonum occurrit, id aequi bonique ducendum moneo. "

11. *Kalendarium Neapolitanum marmoreum.* See now H. Delehaye in Analecta Bollandiana LVII (1939), 5-64.

✠ **Mihi avtem nimis honorati svnt amici tvi Ds. (1), nimis confortatvs est p rincipatvs eorvm. Dinvmerabo eos et svper arena mvltiplicabvntvr.**

M. Ianvarivs, d. XXXI.

I.	Circvcisio Dni. Dp. s. Basili.
II.	Dep. Silvestri Pp.
III.	Nat. s. Gordii Mr.
IIII.	Nat. s. Mitrophani Pat. Con.
V.	Nat. s. Epiphani Pat. Con.
VI.	Epvphania
VII.	Pas. s. Ivliani et Basil.
VIII.	Dep. s. Severini
VIIII.	Dp. s. Agnelli Epi.
X.	Dp. s. Iohannis Chrim.
XI.	Nat. s. Theodosii Monachi
XII.	Nat. s. Marciniani et Theodore.
XIII.	Nat. s. Potiti
XIIII.	Nat. s. Felici Nolani
XV.	Nat. s. Elpidii Epi.
XVI.	Nat. s. Galatiani
XVII.	Nat. s. Antoni Mon.
XVIII.	Nat. s. Athanasii Epi.
XVIIII.	Nat. s. Pavli Heremite
XX.	S. Evfim. Sevastiani
XXI.	Nat. s. Agne
XXII.	S. Anastasii et Vin.
XXIII.	S. Agathangelv
XXIIII.	Nat. s. Philoni
XXV.	Dep. s. Gregorii Theo.
XXVI.	S. Xenophon. Mon.
XXVII.	Nat. s. Iohannis Chr.
XXVIII.	S. Efrem
XXVIIII.	Nat. s. Ignati
XXX.	Dep. s. Peregrini
XXXI.	Pas. s. Firi (*sic*) et Iohis.

(1) Lineolas ad syllabarum compendia denotanda pluribus verbis appositas heic et deinceps praetermitto. Lector ex se compendia ipsa facile exsolvere poterit.

M. Febrvarivs, d. XXVIII.

I.	Nat. s. Trifonis.
II.	Pvrif. sce. Marie - Svmeo.
III.	Nat. s. Blassi.
IIII.	Nat. s. Clavdii Mon.
V.	P. s. Agathe
VI.	Nat. s. Favsta
VII.	P. s. Satvrnni *(sic)*
VIII.	Dp. Victoris Epi.
VIIII.	P. s. Nicifori
X.	Nat. s. Scolastice
XI.	Nat. s. Castrensis
XII.	D. qvo electvs est s. Petrvs Pap.
XIII.	Nat. s. Timothei Patr.
XIIII.	Nat. s. Balentni *(sic)*
XV.	Nat. s. Pantaleonis
XVI.	Nat. s. Ivlianes
XVII.	Dp. Pavli Epi. Ivnioris.
XVIII.	Nat. s. Pimenii.
XVIIII.	Dp. Qvodvvlt. Di. Epi.
XX.	S. Cindinv
XXI.	Dp. Ursi epi. nri.
XXII.	Nat. s. Thecle
XXIII.	P. s. Policarpi Epi.
XXIIII.	Inventio cap. s. Io. Bap.
XXV.	S. Theodosii Epi.
XXVI.	Nat. s. Porfirii
XXVII.	Nat. s. Hierontii
XXVIII.	Nat. s. Marcelli Epi. de Svria

M. Martivs, d. XXXI.

I.	Nat. s. Sofronii Mon.
II.	Nat. s. Adriani et Natalee
III.	Dp. s. Pavli. Epi. nri. majoris
IIII.	Nat. s. Marci Abb.
V.	Nat. s. Ierasimi
VI.	P. s. Basili Epi. Cerson.
VII.	Nat. Arcadii Epi.
VIII.	
VIIII.	Pa. s. Qvadraginta
X.	Nat. s. Poplii Epi. Mar.
XI.	Nat. s. Pioni Mar.
XII.	De. s. Gregorii Pape.
XIII.	P. s. Cristine.
XIIII.	
XV.	Nat. s. Nicodemv
XVI.	Nat. s. Montani Mar.
XVII.	P. Onisimi Epi.
XVIII.	Nat. s. Cvrilli Epi. Hierv.
XVIIII.	Nat. s. Chrisanthi et Darie
XX.	Dp. s. Calvi Epi. nri.
XXI.	Dp. s. Benedicti Ab.
XXII.	Nat. s. Thome Pat.
XXIII.	P. s. Castvli Mar.
XXIIII.	Nat. s. Octo.
XXV.	Annvntiatio dni. Ihu.
XXVI.	Nat. s. Sabini
XXVII.	P. s. Isacii
XXVIII.	Dp. Etvchii Epi.
XXVIIII.	Dp. Redvcis Epi.
XXX.	Nat. s. Menandri.
XXXI.	Nat. s. Ilvcerii Mar.

M. Aprilis, d. XXX.

I.	P. s. Callinici Mar.
II.	Nat. s. Policarpi
III.	Dp. s. Iohannis Epi. nri.
IIII.	P. s. Theodvlv Mar.
V.	P. s. Thermi Mar.
VI.	Nat. s. Evtichii Patr.
VII.	P. s. Rvfini Mar.
VIII.	Dp. Celestini *(sic)* Pp. Rom.
VIIII.	Dp. Mariae Aegvptiae.
X.	P. s. Terentini et Africani.
XI.	Dp. s. Stephani Epi. nri.
XII.	P. s. Gerontii Mar.
XIII.	Translatio beati Ianva.
XIIII.	Nat. s. Tibvrtii et Valerian.
XV.	P. s. Theodori Mar.
XVI.	P. s. Leonidi Mar.
XVII.	Nat. s. Agapiti Pp. Rom.
XVIII.	Nat. s. Elevtherii
XVIIII.	Nat. s. Philippi Epi. Mar.
XX.	Nat. s. Papnvtii Mon.
XXI.	Nat. s. Maximi Epi. Con.
XXII.	P. s. Gai Pp. Romis.
XXIII.	Nat. s. Georgii Mar.
XXIIII.	P. s. Innocentii Pp. R.
XXV.	P. s. Marci Evan.
XXVI.	P. s. Basilei Ep.
XXVII.	P. s. Irini Mar.
XXVIII.	Nat. s. Vitalis
XXVIIII.	Dp. s. Severi Epi. nri.
XXX.	Dp. Pomponii Epi. nri.

M. Maivs, d. XXXI.

I. Nat. s. Iacobi, et Philippi.
II. Nat. s. Athanasii Patri.
III. Inventio s. Crucis.
IIII. P. s. Afrodisii et cgregatio eivs.
V. Nat. s. Ananie Apli.
VI. Nat. s. Mathei Apli.
VII. Nat. s. Samvhelis Prophete
VIII. Appar. s. Angeli.
VIIII. Nat. s. Cristofori et Esaie Prop.
X. Dep. Evstathi Epi. nri.
XI. Nat. s. Ilarionis Mon.
XII. Nat. s. Epiphanii Epi.
XIII. Nat. s. Polibii Epi.
XIIII. Nat. s. Bonifatii Mar.
XV. Nat. s. Zachrie *(sic)* Prophe.
XVI. Nat. s. Restitvte
XVII. Nat. s. Marci Evng. *(sic)*
XVIII. Nat. s. Epafroditi Epi.
XVIIII. P. s. Patricii Mar.
XX. P. s. Thallalei Mar.
XXI. Memoria Constantini Imp.
XXII. P. s. Basilisci.
XXIII. Dep. s. Ephebi Epi.
XXIIII. Nat. s. Svmeoni
XXV. Nat. Iacobi Apli.
XXVI. P. Ivde Apli.
XXVII. P. s. Anastasie
XXVIII. P. s. Criscentii Mar.
XXVIIII. P. s. Theodosie Mar.
XXX. Nat. s. Isaaciv Mon.
XXXI. P. s. Cristine Mar.

M. Ivnivs, d. XXX.

I P. s. Ivstini Phil.
II. P. s. Erasmi, Mar. et Petri
III. P. s. Lvcianv.
IIII. Nat. s. Mitrophani Epi.
V. P. s. Zinaida.
VI. Nat. s. Anthimi Epi.
VII. Nat. s. Cvrilli Epi.
VIII. Nat. s. Alexandri Epi.
VIIII. P. s. Nicasii
X. Nat. s. Barnabe Apoli.
XI. Dp. Maximi et Antonini.
XII. P. s. Zinoni.
XIII. P. s. Acilina.
XIIII. Dp. Fortvnati Epi. nri.
XV. Dp. Maronis Epi. nri et S. Viti.
XVI. P. s. Athinogeni
XVII. Nat. s. Nicandri
XVIII. Nat. s. Marci et Marcellia.
XVIIII. P. s. Gervasii et Prota.
XX. P. s. Asincriti Mar.
XXI. P. s. Rvfi Mar.
XXII. Dp. s. Pavlini Epi.
XXIII. P. s. Aristoclei
XXIIII. Nat. s. Iohannis Bap.
XXV. P. s. Febronie
XXVI. P. s. Iohis. et Pavli
XXVII. P. s. Irini
XXVIII. Nat. s. Leonis Pp.
XXVIIII. Nat. s. Petri Apli.
XXX. Nat. s. Pavli Apli.

M. Ivlivs d. XXXI.

I. Nat. Svmonis et Iude Ap.
II. Nat. Processi et Marcvni.
III. Pas. Thome Apos.
IIII. Nat. s. Donati Epi.
V. S. Archangeli Mic.
VI. S. Pollicarpvs
VII. S. Cvrillv Epi. Alex.
VIII. S. Pancratii Epi.
VIIII. Pas. Rvfine et Sec.
X. Nat. Iasoni et Mavri
XI. Nat. sce. Evfimie
XII. Nat. Gavdiosi et Reli.
XIII. Nat. sce. Miroppis
XIIII. Nat. sci. Theodori
XV. Nat. Cvrici et Ilitte
XVI. Sci Antiochi
XVII. Nat. sci Sperati
XVIII. Nat. s. Marcelli
XVIIII. Nat. sci Mavrici
XX. Nat. sci Felicis Nol.
XXI. S. Simeon Salv.
XXII. S. Acapii Mar.
XXIII. Nat. sci Apollenarii
XXIIII. Nat. s. Cristopho.
XXV. Nat. s. Evprax. e *(sic)* Anne
XXVI. Dp. Leontii Epi.
XXVII. Nat. s. Pantaleon.
XXVIII. Nat. s. Nazari
XXVIIII. S. Felicis et Sim.
XXX. Nat. s. Abdon et Senne.
XXXI. Nat. Germani Episc.

M. Avgvstv d. XXXI.

I. Pas. Macchab. et sce. Eeli. *(sic)*
II. Nat. s. Stephani Epi.
III. Dep. Aspren Epi.
IIII. S. Patri Svnodi in Ephesv
V. Pas. s. Evsignii
VI. Transfig. Dni nri. Ih. Xp.
VII. Dep. s. Dometi Confes.
VIII. Pas. s. Donati et Cvriaci.
VIIII. Nat. s. Constantini Pat.
X. Nat. Pas. sci Lavrenti
XI. Nat. sci Tibvrtii
XII. Nat. s. Evpli Mar.
XIII. Nat. Pas. sci Vppoliti
XIIII. Nat. sci Evsebii Conf.
XV. Adsvmptio s. Marie.
XVI. Dep. Cosme Epi.
XVII. Nat. s. Septe de Ephesv
XVIII. Sci Acapiti
XVIIII. S. Andreas Milex *(sic)*
XX. Nat. s. Taddei Apos.
XXI. Dep. s. Chrvsanti
XXII. Nat. Pas. sce Thecle
XXIII. Dep. s. Pavli Epi.
XXIIII. Nat. Titv Epi. Critis
XXV. Nat. Pas. s. Barthol. Ap.
XXVI. Pas. s. Adriani et Natal.
XXVII. Nat. sci Rvfi Mar.
XXVIII. Dep. s. Avgvstini
XXVIIII. Pas. s. Ioh. Bap.
XXX. Pas. s. Felicis Epi.
XXXI. Nat. Alexandri.

M. September d. XXX.

I. Nat. s. Prisci et s. Adivtori
II. Pas. s. Mama
III. Nat. s Vitaliani
IIII. P. s. Alexandri.
V. P. s. Thvthail-Provi.
VI. P. sce Cristine
VII. P. Festi et Desiderii
VIII. Nativitas s. Marie +
VIIII. S. Ioachi. et Anne
X. Pas. s. Simonis Apos.
XI. Nat. Proti et Iacinthi
XII. P. Avtonomv Ep. M.
XIII. Nat. sci Niceta
XIIII. P. s. Cipr. et Exal. sce Crvcis
XV.
XVI. Nat. sce Eveimie
XVII. Nat. s. Simonis Fr. Dni.
XVIII. P. Thome Apos.
XVIIII. Nat. s. Ianvarii
XX. P. s. Evstathii Plac. voca.
XXI. P. Isaac. Epi. Cvprv.
XXII. P. s. Eoca *(sic)* et Prisci
XXIII. C. s. Ioh. Bap. et s. Sossi.
XXIIII. Pas. s. Thecle
XXV. Pas. s. Romani
XXVI. Adsv̄pt. s. Ioha. Eva.
XXVII. Pas. s. Cosm. Damia.
XXVIII. Pa. s. Ripsimi Gaini.
XXVIIII. Ded. s. Archa. Mici.
XXX. S. Ieron. et s. Gregor. Epi. de Armeni

M. Octvber d. XXXI.

I. Dep. Adeodati Epi. et S. Aretha.
II. Nat. s. Dionvsii Epi.
III. Nat. s. Dometi et s. Dionvsii Epi.
IIII. P. s. Theotegnvs
V. Nat. s. Pelagia
VI. Nat. s. Renati in Svrr.
VII. Nat. s. Marcelli et s. Sergii et Bach.
VIII. P. s. Arthemonas.
IX. Nat. Abrae Patriarche
X. P. s. Evlampii et Evlampia
XI. Nat. sce Zinai
XII. P. s. Florentii
XIII. P. s. Pavli, et Carpi.
XIIII. P. Gervasi et Protasi Fortvnate
XV. P. s. Savini
XVI. P. s. Longini
XVII. P. s. Ignati Epi.
XVIII. Nat. s. Lvca ev̄. et s. Evtice et Acvtii
XVIIII.
XX. Nat. s. Cornelii
XXI. Nat. s. Hilariv
XXII. P. s. Cosm. et Damia.
XXIII. Memorie s. Zacharie
XXIIII. P. s. Aretha
XXV. P. s. Grisanti et Daria
XXVI. Nat. s. Dimitri
XXVII. Dep. Gavdiosi Epi.
XXVIII. P. s. Diomidii
XXVIIII. Nat. s. Barnaba Apo.
XXX. Nat. s. Max. et s. Marcia.
XXXI. Nat. s. mr̄. Eraclii Epimachi.

M. Nobemb. d. XXX.

I.	Nat. s. Cesarii
II.	P. s. Acindinv - Pigasivm
III.	Nat. s. Ambrosii
IIII.	P. s. Theodoti
V.	Nat. s. Methodii
VI.	P. s. Pavli. Epi. Const.
VII.	P. s. Trigintatres
VIII.	P. s. Coronati
VIIII.	Nat. s. Agrippini
X.	Nat. s. Theodosii Imper.
XI.	Nat. s Menne et Martini
XII.	P. s. Arsacii-Victoris
XIII.	Dep. s. Iohan. Chris.
XIIII.	Nat. s. Philippi Apos.
XV.	S. Iacobi Ap. et Samo.
XVI.	S. Mathei Evan.
XVII.	Dep. Gregorii Thavm̄r.
XVIII.	Natale s. Calvi Ep.
XVIIII.	Nat. s. Philothei
XX.	P. s. Dasii et Procli.
XXI.	Dep. s. Macarii
XXII.	Nat. s. Cecilie
XXIII.	Nat. s. Clementis
XXIIII.	Nat. s. Chrisogoni
XXV.	P. s. Petri Pap. de Alexa.
XXVI.	Nat. s. Sila Apos.
XXVII.	P. s. Iacobi de Persi.
XXVIII.	Nat. Elissei Prophe.
XXVIIII.	Nat. s. Satvrnini.
XXX.	Nat. s. Andree Apos.

M. December d. XXXI.

I.	Dedic. Basil. Stephan.
II.	P. s. Greg. Epi.
III.	P. Gregorii de Arme.
IIII.	Nat. s. Barbare
V.	Dep. s, Sabe
VI.	Nat. s. Nicolai
VII.	Dep. Ambrosii Epi.
VIII.	S. Martvrii
VIIII.	Cc̄eptio s. Anne Marie vir.
X.	Nat. s. Evlalie et s. Evstrati
XI.	P. s. Terentii
XII.	Nat. s. Daniel. Stvlita
XIII.	Nat. P. s. Evstrati, et Lucia
XIIII.	Nat. s. Spiridioni Epi.
XV.	P. s. Elevtherii Epi.
XVI.	P. s. Patermvthii
XVII.	S. Tres Pveris e *(sic)* Daniel
XVIII.	P. s. Ignati et Modesti
XVIIII.	P. s. Probi et Iliv
XX.	P. s. Ignati de Svria
XXI.	Nat. s. Thome Apos.
XXII.	Nat. s. Efrem et Abramiv
XXIII.	P. s. Dececritis. Icon.
XXIIII.	P. s. Scino. Evsvsio Aga.
XXV.	Nat. dni nri. Ihv. Xpi.
XXVI.	Nat. s. Stephani.
XXVII.	Nat. s. Ioh. Evang.
XXVIII.	P. Innocentorvm
XXVIIII.	Nat. s. Iacobi Apos.
XXX.	Nat. s. Antoni Epi.
XXXI.	Nat. s. Silvestri Pap.

IV.

VARIA

1. *Notitia quaedam de Iohanne et Marino ducibus, et de Theodora Iohannis ipsius uxore.* (Ex Perzii *Archiv.* etc. t. IX, p. 692.)

Interea regnantibus Constantino et Romano, magnificis imperatoribus christianorum, (945-960) et principatum ducatus totius Campaniae dominantibus Iohanne et Marino, excellentibus ducibus atque consulibus, quibus quaedam necessitas accidit transmittendi missum suum usque Constantinopolim ad eosdem prefatos imperatores. Et tunc miserunt illuc Leonem archipresbiterum valde fidelem, quo pergente in eandem Constantinopolitanam urbem, coepit inquirere libros ad legendum, inter quos invenit historiam continentem certamina et victorias Alexandri regis Macedoniae. Et nullam neglegentiam vel pigritiam habendo, sine mora scripsit et secum usque Neapolim deduxit ad suos predictos excellentissimos seniores, et ad praeclaram et beatissimam coniugem eius, Theodoram videlicet, senatricem

Romanorum, quae diu noctuque sacrae scripturae meditabatur. Viduarum namque et orfanorum atque diversorum advenarum protectrix indeficiens permanebat, quae invenili aetate cursum vitae finiens, infra tricesimum octavum annum migravit ad Dominum. Post cuius transitum praefatus Iohannes, excellentissimus consul et dux, vir eius et Deo amabilis, statuit mente sua ordinem scripturarum inquirere et praeclare ordinare. Primum vero libros, quos in sua dominatione invenit, renovavit atque meliores effectus (*L.* effecit), deinde anxie inquirens, sicut philosophus, quoscumque audire vel habere potuit, sive rogando seu precando, multos et diversos libros accumulavit et diligenter scribere iussit. Maxime aecclesiasticos libros, vetus scilicet atque novum testamentum funditus renovavit atque composuit. Inter quos historiographiam videlicet et chronographiam, Ioseppum vero et Titum Livium atque Dyonisium caelestium virtutum optimum predicatorem atque ceteros quam plurimos et diversos doctores, quos enumerare nobis longum esse videtur, instituit. Eodem namque tempore commemorans ille sagacissimus predictus Consul et dux prefatum Leonem archipresbiterum habere iam dictum librum, historiam scilicet Alexandri regis, vocavit eum ad se, et de Greco in latinum transferri precepit, quod et factum est, sicuti sequentia docent. Omnibus vero laborantibus, tam doctoribus quam scriptoribus bonum retribuens meritum pro salute animae, et memoria nominis sui.

2. *Notitia de Sarracenorum in Calabriam irruptione in a. 902 facta.*
(Ex M. C. H. *Scr. rer. Lang. et It.* p. 457).

Tempore Iustini minoris et Tyberii ann. Domini 568, ingressi sunt Longobardi in Italiam indic. prima, paschate in Kal. April. 27, an. usque Gregorius papa efficitur. Ex eo tempore quo Longobardi Italiam ceperunt usque quo Luduwinus Beneventum invasit sunt an. 300, et ex eo tempore, quo Longobardi Italiam ingressi sunt usque dum Greci Varium urbem ceperunt sunt an. 311. Et ab ingressu Longobardorum in Italiam usque quo Greci Amanteum castellum et sancte Severine castrum ceperunt sunt an. 318.— Anno igitur ab incarnatione Domini nongentesimo secundo indic. V. 3. Idus Octobris, regnantibus Leone et Alexandro augustis, residenteque quarto Benedicto Romano pontifice, Parthenopense duce Gregorio et Stephano tercio episcopo, factum est per totum mundum terribile miraculum in celo; a primo galli cantu usque ad solis ortum vise sunt quasi stelle densissime in modum aste longissime per aera discurrere, contra omnes pene cardines celi, ita ut omnium aspicientium hominum mentes terrerent, eo quod nullius meminit etas nec ulla prodit historia huiusmodi mirabile portentum. Hac etenim tempestate rex Africe cum innumerabili exercitu adveniens, totam Italiam invadere cupiebat: qui cum pervenisset in Siciliam, Tauriminensem civitatem optime munitam et in montis vertice positam statim apprehendit, ibique multos christianos, cum ad nequiciam sue fidei eos flectere nequisset, cum Procobio episcopo eiusque clero in una aecclesia recludens, crudeliter igne combussit, transfretansque ad Calabriam, Regium comprehendit. Cum autem eodem conamine obsideret Cosentiam Italiae urbem et apprehendere niteretur, eadem nocte, qua praedictum signum stellarum visum est, celesti gladio percussus, re-

pentina morte interiit. Exercitus vero illius metu ac pavore perterritus, ad Africam redire cupiens, pene omnis naufragio consumptus est, sicque Dei omnipotentis misericordia Italia in articulo mortis posita ab eius gladio liberata est. Unde quidam astruere voluerunt, ab illius morte signum esse factum stellarum. Sed quia non solum in Italia, sed in toto mundo visum est, magis credendum est, eguangelii (*sic*) completam esse sententiam dicentis: *Erunt signa in sole et luna, et stellis;* neque enim tale signum pro iniqui regis morte in universo orbe Deus ostenderat.

3. *Excerpta quaedam ex opusculis Auxilii et Vulgarii.*

(Ex DUEMLERI editione).

a) INCIPIT LIBELLUS IN DEFENSIONEM STEPHANI EPISCOPI ET PRAEFATAE ORDINATIONIS (PAPAE FORMOSI).

. . . .

C. I. Venerabilis Stephanus episcopus, qui nuper migravit ad Dominum, cuius sanctitatis fuerit cuiusque mansuetudinis non solum Campania, verum etiam omnes in circuitu positae regiones optime sciunt. Sed quia mali, ut dicere coeperam, semper odio habent bonos, quidam novi aemulatores eum contra canonum instituta inthronizatum fuisse confingunt. Quapropter audiant aemuli, quia reverentissimus Stephanus, sicut omnibus patet et neminem latet, non est de sede ad sedem nec de civitate ad civitatem translatus, sed de longo exilio longaque peregrinatione, quam per triginta fere annorum curricula passus est, non ad suam, sed aliorum utilitatem translatus atque inthronizatus est. Quod qualiter fuerit compendioso stilo prosequamur.

Denique cum Surrentinae praeesset ecclesiae ab impiis concivibus apprehensus est et flagellatus et Salernum in exilium asportatus, ibique per annorum spatia in custodia retentus est. Tandem aliquando Landolfus, gastaldeus, qui erat cognatus eius, vix apud Uaiferium principem optinere potuit, ut eum alendi gratia Suessulam deferret. In qua non paucis temporibus peregrinatus est cupiens quidem ad apostolorum limina properare, sed patefactis inimicorum insidiis iter arripere non ausus est. Destinatis tamen epistolis apostolicos patres interpellare curavit, sed nihil omnino proficere potuit, excepto quod pietatis intuitu elemosinas ei transmittebant; erat quippe rebus expoliatus. Nonne Surrentinae civitatis primates more bestiarum adeo feroces existunt, ut non solum apostolica interdicta pro nihilo ducant, verum etiam sua sponte ecclesiam ingredi parvipendant et idcirco ecclesiasticis privari officiis vel a communione suspendi, non magnopere curant? Quod ita sit, illorum episcopium testimonium praebet, quod ecce iam per annos triginta et eo amplius episcopali regimine destitutum, ac viduatum sordet.

C. II. Interea Saracenis non solum Campaniam sed omnes circumquaque regiones depopulantibus capta est Suessula simulque ignibus exusta. De qua nunc Domini antistes tamquam iustus Loth de incendio fugiens devenit Neapolim, scilicet ad natale solum. Quod audiens Petrus praefectus, qui eum una cum Paschale germano suo caesum, uti iam diximus, in exilium destinaverat, egit apud Athanasium pontificem, qui tunc Neapolitani ducatus gubernacula regebat, ut idem pater Stephanus procul in exilium mitte-

retur, alioquin ipse rebellis existeret. Quid multa? in tantum praevaluit iniquitas, ut vir Domini lacrimarum fonte rigatus parentes et notos patriamque relinquens ad Capuanam urbem in exilium destinaretur. Saracenorum quoque innumerabilis multitudo terra marique discurrens, villis pariterque oppidis captis simulque exustis et habitatoribus iugulatis, nihil omnino, quod ad vitae solatium pertinet, relinquebat. Quam ob rem longe lateque facta est valida fames, vir autem Domini Stephanus non parva inopia graviter affligebatur, ita ut clerici eius ostiatim elemosynas peterent, quibus eum sustentare possent; quas plerumque non invenientes pariter cum eo periclitabantur.

Interea dum haec agerentur, octavus papa Iohannes cum iam Saracenorum depraedationes ferre nequivisset, ad illorum castra exterminanda in Capuanam regionem profectus est. Qui, tamquam bonus pastor, hominem Dei Stephanum in custodia retentum audiens doluit ac perinde vix Capuano comiti, nomine Pandenolfo, imponere potuit, ut eum ad suam destinaret praesentiam. Qui veniens coram clementissimo papa longam exilii sui calamitatem longamque peregrinationem luctuosa voce per ordinem patefecit. Quibus auditis apostolicus pontifex misericordia motus dixit ad eum: *veni nobiscum Romam daboque tibi ecclesiam apostoli Pauli, ubi cum clericis tuis humanae vitae necessaria sufficienter habeas.* Et ille: *gratias, inquid, Deo, qui te direxit, ut oviculam dominici gregis, cuius pastor es, de luporum faucibus extrahas et a periculo famis miseratus eripias. Mihi enim vestris sacris adhaerere vestigiis valde iocundum atque optabile est.*

C. III. Quod animadvertens aemulus ille Petrus solitis machinationibus apud Athanasium episcopum decertavit, ut idem Stephanus potius retinendus esset, quam Romam proficisci laxaretur. Interveniente igitur Athanasio memoratus papa licentiam tribuit, ut idem Stephanus in urbe Neapolitana resideret, et formatam episcopio suo dirigeret, ita dumtaxat, ut vitae necessaria ex ipso episcopio ad eum per singulos annos destinarentur. Qui tandem Neapolim revocatus est, sed ex his, quae apostolicus pontifex misericorditer praeceperat, nihil adipisci potuit, quin potius perpessus est, quod ait apocalypsis: *Vae unum abiit et ecce veniunt adhuc duo vae.* Nam praefectus ille inventa occasione tantam illi violentiam incussit et ita eum vehementer angustavit, ut volens nolens episcopatum, de quo expulsus fuerat, se numquam quaesiturum et in eum numquam reversurum per apices propria manu roboratos sponderet. Et, quasi ista non sufficerent, in tantum exarsit crudelitas, ut eiusmodi sponsionem sacrosanctis appositis evangeliis iureiurando firmaret.

His ita peractis ab eodem Athanasio praesule invitatus pontificale officium, prout opus erat, devotus amministrare curabat, et omnis populus ab eo benedici et eius se orationibus commendare studebat. Et quia non panigyricum sed exilium eius commemorare coepi, taceo, quod Graeca Latinaque lingua tam in litteris, quam etiam in communi locutione pollebat, taceo quod ab ineunte aetate castissimus vixerit, quod sacris excubiis atque orationi deditus erat, quod dominicam hostiam iugiter immolabat, quod misericordiae visceribus affluebat. Defuncto igitur Athanasio episcopo, cuius saepe fecimus mentionem, pene tota Neapolis, tamquam leo rugiens, familias et colonos episcopii sui diripere et, ut ita dicam, morsibus devorare parata erat. Revera enim, qua ex causa hoc facere volue-

rit, omnibus notum est. Quocirca reverentissimo patri Stephano clerus et magnates vix suadere potuerunt, ut ad tuitionem famulorum huius episcopii se inthronizari acquiesceret. Auctoritate igitur quarti Benedicti papae necnon et cleri sanctae Romanae ecclesiae consensu atque subscriptione per duos episcopos ab apostolica sede destinatos, Romanum scilicet atque Cosmaten, Parthenopensi cathedrae inthronizatus est, non ad humanam gloriam, non ad gulae suavitatem, non ad vestimentorum decorem, sed, ut praefati sumus, ad sacri episcopii defensionem et pauperum consolationem, immo et ad pacificale remedium inter utrumque populum, Neapolitanum scilicet atque Capuanum. Haec autem omnia usque ad exitum vitae agere non cessavit.

C. IIII. Hocine est episcopum de sede ad sedem vel de civitate ad civitatem transferri? ô utinam adsint, qui proferant iudicium, sed utique non illi, qui sibi ipsi sunt testes et iudices pariterque causidici, quod non solum divinae sed etiam humanae prohibent leges et tunc apparebit, qui merito damnandi existant. Ergo quia desunt ad tempus, qui inter Sergium, qui nunc praesidet papa, et ordinationem praefati Benedicti, qui Stephanum episcopum, ut supra expressum est, inthronizavit, iudicare possint, eo quod idem Benedictus de ordinatione fuerit papae Formosi, — revera enim inter apostolicos viros nonnisi universale iudicat concilium — recurramus interim ad sanctos patres et eorum non solum scriptis, sed etiam factis innitamur, ...

C. V. Dehinc veniamus ad reliqua. Religiosi aemulatores illi adeo venerabilem Stephanum infamare non metuunt, ut dicant ordinationes illas, quas iam inthronizatus fecit, stare nequaquam posse, quod invasor fuerit ecclesiae, cuius clericos ordinare praesumpserit .

. . . .

Venerabilis itaque Stephanus, ut supra manifestius patet, nihil ex his maculis habuisse dinoscitur, sed, ut praefati sumus, ad aliorum consolationem Neapolitano episcopio incardinatus est, et propterea ordinationes, quas ibi fecit, ratae et legitimae sunt ac per hoc in sua stabilitate, velit, nolit lingua dolosa, firmiter permanebunt. . . . . . .

. . . .

C. VI. Praeterea nobis crimen audacter impingunt dicentes: papa Benedictus neminem inthronizare potuit, eo quod fuerit de ordinatione, quam papa Formosus instituit. Quibus capitula, quae paulo superius digesta sunt, sufficienter obviare posse non dubium est. Quod qui non stertit, advertit. Nonne si sanctissimis aemulatoribus illis, qui talia non solum dicere, sed etiam, ubi possunt, et facere non formidant, papa Formosus displicere videtur, quibus hoc imputari debet . . . .

Nonne quod plurimi sacerdotum post depositionem reconciliati sint, in primo libello, quem in defensionem sacrae ordinationis papae Formosi edidimus, sufficienter intimatum est . . . . . . Haec autem, ô prudens lector, non ideo praelibare studuimus, ut cuiquam sacerdotum de sede ad sedem vel de civitate ad civitatem mutari licitum esse dicamus, sed ut id quod in venerabili patre Stephano multimoda necessitate factum fuisse supra ostendimus, tolerandum esse et non infamandum, veridicis pateret testimoniis. (1)

(1) Sequuntur alia capita, que nihil ad rem nostram faciunt.

Rodelgrimus exiguus presbiter ac monachus monasterii sancti Modesti necnon et Guiselgardus ultimus Beneventanae sedis diaconus haec ad volantem famam rescribentes Neapolim transmittimus.

Verum est, quod sacri fatentur canones, quod episcopus alterius dioceseos invasor esse non debeat, nec ad aliam transire per ambitionem, quasi maiorem et meliorem, sua relicta, quasi exigua et minus utili. Sed talia capitula in causa domni Stephani minime conveniunt : ille enim nec suam cathedram despexit quasi paruam, nec alienam concupivit quasi potiorem honorificentioremque. Palam est quidem , quia plurimo tempore a sua sede fuit expulsus vi et nequitia plebis, quam ille relinquere noluit et ad quam redire saepissime voluit. Ad hoc etiam auctoritatem apostolicam incitavit, sed illa plebs austeris etiam ipsam apostolicam auctoritatem contempsit et excomunicationem. Ideo ille praesul tamquam peregrinus et exul Parthenope deguit per tempus prolixum. Defuncto autem Athanasio praesule nec ipsa ecclesia tunc habebat pastorem nec ille Stephanus episcopus habebat plebem, quam regere deberet sicut praesul ; erat enim utrumque vacuum. Accessit itaque voluntas et precatio populi et cleri Parthenopensis ad ipsum obnixe obsecrans, ut eis pastor et rector existeret ; quod ille ut vir bonus refugit, sed instantibus precibus illorum absque auctoritate apostolica tamen hoc assentire noluit. Praeterea qualiter per potestatem et largitatem apostolicam ibi intronizatus est, et ipsa Roma novit et recolit et pene cunctae Ausoniae clarissimum est. Ergo ille venerabilis praesul nec cupidus alienae cathedrae nec invasor iudicandus vel damnandus est vel suus ordo commovendus, ut quidam imperiti estimant, scire nolentes aut non valentes seriem et dispositionem ecclesiarum, quam sancti et vetusti patres observaverunt et exercuerunt. Etenim illi temerarii saltem registrum beati Gregorii legant ibique invenient, quomodo vacantes episcopos vacantibus cathedris saepius incardinaverit, legant et taceant , ut grex dominicus non concutiatur. Clerici enim laicos, non laici clericos examinare debent, sicut Constantinus imperator refugit iudex esse episcoporum dicens: *Uos dii estis, vos de nobis, non nos de vobis iudicare debemus.* Igitur quia ille praesul rite effectus est pastor, iure eius consecratio in cuncto ecclesiastico ordine inconcussa permanere debet et decet. Sic etiam sanctus Leo papa statuit, ut rata persistat ordinatio in clero etiam a pseudoepiscopis impertita quanto magis a rite constituto praesule inconcussa permaneat. Consecratio denique in uno gradu bis fieri nullatenus debet, quia sanctus baptismus repeti non debet , ita nec illa. Unde beatus Gregorius Iohanni episcopo Ravennae scripsit dicens : *Illud, quod dicitis, ut is, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est et ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo et ille iudicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit enim a fraternitate vestra sic sapere. Sicut autem baptizatus semel iterum baptizari non debet , ita consecratus semel in eodem ordine iterum non valet consecrari.* Proinde qui loqui nesciunt et tacere non possunt, discant, non doceant, subiaceant servis Dei, non concutiant nec conturbent ecclesiam Dei , qui in suo iusto iudicio retribuet unicuique iuxta opera sua.

b. *Ex Eugenii Vulgarii carminibus.* (1)

Ad Gregorium consulem.

ORamus, Deus, imperium cui est animarum,
GIgnendo causas nutris, disponis et ornas
GErmine vivifico, consul tibi vivat ut iste
USque tui iunctus laudet per secula secli. (2)

Ad Gregorium magistrum militum.

Omnipotens rerum factor bonitatis et auctor,
Gregorii vitam petimus; quo consulis amples,
Illustres, purges, pietate fovendo reformes,
Quatinus exemptus maculis post vincula carnis
Coniunctus superis reddat tibi debita laudis
Praesta, summe Deus, qui vivis in omnia saecla. (3)

Ad Iohannem levitam. (4)

Inter sacratos caelesti iure ierarchos
Ordine cospicuo rutilas, levita Iohannes.
Hausisti factum geminans de nomine factum
Alto praesagio scitus, quis sorte futurus.
Nus etenim nictans pollet tibi mentis in arce,
Nomen principium resonet charismatis utrum.
Eloim veretur positum spectabile doctum
Salve quocirca felix, mi gnosie, perpes. (5)

(1) Cf. quae de eodem Vulgario, et de cod. Bambergensi, ubi eiusdem epistolae et carmina habentur, erudite disseruit doctus vir DUEMLER in praef. *O. c.* p. 39 et ss.

(2) In cod. subsequitur: " *Interpretatio sermonum.* Orgia dicuntur omnia sacra; hinc orgigerus, hoc est omnia sacra gerens, quod enim Latini ceremoniam, Greci orgiam dicunt ".

(3) In eodem cod. Bambergensi inter illos Vulgarii f. 114.[b] sequuntur etiam decem versus *Boetii*: " Qui se volet esse potentem. . . . . potentia non est " ex libro *De consol. philos.* L. III, c. 5 adsciti. Inde additur: " Hos etenim versus Vulgarius Athanasio tertio sedis Neapolitanae episcopo direxit ". Praeterea f. 4-5 habetur etiam carmen: *Ad Athenolfum principem Beneventanae urbis*, et cit. f. 114[b]: *Metrum iambicum tetrametrum ad Petrum Salernae urbis episcopum;* quae carmina, utpote ad rem nostram minime facientia, et nihil vel novi vel nota digni praeferentia ego praetermisi.

(4) Verisimiliter hic est ille Iohannes Diaconus, de ecclesiastica Neapolitanorum historia optime meritus.

(5) Post carmen sequitur " Digestio sermonum Iera divinum, inde ierarchia, sacer principatus vel divinus; vel hierax dicitur sacer. Hausisti: haus graece profundum, hinc hausit et est poliphemus sermo modo accipit, modo vidit, modo audivit, plura significat. Nus dicitur superficies mentis. Nictans vel vigilans, pollet vel crescet. Gnosie, gnosius Graecus sermo est et nullo modo exprimi Latine potest iuxta litteram, significat quoque plus quam dilectum, et germanissimum et cetera ".

4. *De Iohanne* (III) *Neapolis duce et Pandulpho principe in infernum damnatis.*
(Ex S. Petri Damiani *Opusculis*, XIX, c. 9 et 10)

Porro dum styli hujus exaro dictator articulum . . . . Desiderius, religiosus Casinensis monasterii abbas, accedit. Qui nimirum, sicut b. Danieli cognatione iungitur nominis, sic eum ab illo non separat assertio veritatis. Hic mihi aliquid narrat, quod ipsa ratio persuadet, ut scribam. Servus, inquit, Dei Neapolitanae regionis in praerupta rupe iuxta viam publicam solitarius habitabat, qui nimirum dum nocturno tempore psalleret, et fenestram cellulae horarum explorator aperiret, ecce videt multos nigros homines, tanquam Aethiopes, iter carpere et longo tractu onustos foeno sagmarios comminare. Cumque eos curiosus inquireret, qui essent, cuiusve rei gratia haec iumentorum pabula devectarent? *Maligni*, inquiunt, *spiritus sumus et paramus non pabula pecoribus alendis, sed fomenta potius ignium hominibus comburendis* . . . .
. . . . Pergunt illi *Praestolamur enim in proximo Principem Capuae Pandulphum, qui iam decumbit, et Iohannem, Magistrum militum Neapolitanae civitatis, qui adhuc incolumis vivit.* Illico vir Dei praefatum Iohannem impiger adiit; quae viderat quaeque audierat, fideliter cuncta narravit. Per idem tempus imperator Otto secundus, adversus Saracenos praeliaturus, Calabriam festinabat. His igitur auditis, Iohannes ait: *Modo nos necesse est imperatori occurrere, et cum eo simul de huius terrae statu provida consideratione tractare. Porro post imperatoris abscessum spondeo, quia et saeculum deseram et monasticum habitum sumam.*

Ut autem probaret, utrum verum esset, quod ille narrabat, nuntium protinus ad moenia Capuana direxit, qui veniens Pandulphum iam mortuum reperit. Ipse quoque Magister militum Iohannes, antequam illas partes imperator attingeret, vix diebus quindecim supervixit. Quo mortuo mons Vesuvius, unde videlicet gehenna frequenter eructat, in flammas erupit; ut liquido probaretur, quia foenum, quod a daemonibus portabatur, nihil aliud fuit, nisi ignis trucis incendii, qui pravis ac reprobis hominibus debebatur. Nam quandocumque in illis partibus reprobus dives moritur, ignis erumpere de praedicto monte videtur, tantaque sulphureae resinae congeries ex ipso Vesuvio protinus fluit, ut torrentem faciat, atque decurrente impetu in mare descendat. Ubi scilicet corporaliter videri potest, quod in Apocalypsi Iohannis de reprobis dicitur: *Quia pars illorum erat in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.*

Enim vero, et Salernitanus Princeps, huius videlicet Guaimarii aeque Principis, qui ante non plures annos pro multis violentiis atque tyrannicis oppressionibus suorum gladiis interemptus est, avus, cum procul aspexisset quadam die de praedicto monte Vesuvio piceas atque sulphureas repente flammas erumpere, protinus ait: *Procul dubio sceleratus aliquis dives in proximo moriturus est, atque in infernum descensurus.* Sed o caeca mens reprobi hominis, immo terribile super nos iudicium conditoris! Superveniente siquidem proxima nocte, dum securus cum meretrice concuberet, expiravit, quem illa, ut postmodum refe-

rebat, quid contigisset, ignorans, diutius pertulit et vix tandem a se non hominem, sed cadaver exanime prostituta deiecit. . . . .

Quidam praeterea in Neapolitanis partibus presbyter volens certius, quod licebat, addiscere, illuc, ubi gehennale barathrum ferventius eructabat, praesumptoria decrevit audacia propinquare. Missarum igitur solemnia celebravit sicque, velut armatus, iter arripuit, sed dum ultra quam solebant homines temerarius accessit, redire non valens, postmodum non apparuit.

Alius vero presbyter matrem suam Beneventi reliquerat aegrotantem, cumque per Neapolitanos fines domino suo comitatum praeberet, exundantibus flammis intendens, clamorem lugentis audivit, quem suae matris esse procul dubio recognovit. Notavit horam, et tunc evidentissime comperit matrem fuisse defunctam.

5. *Neapolitanorum de Saracenis victoria a. 788 habita ficta narratio.*
(Ex *Script. Lang. et Ital.* p. 465)

Anno ab incarnatione Domini septingentis nonaginta octo, residente in cathedra beati Petri Adriano papa, in imperio vero Karlo Magno, in Italia Desiderio et Adelgisio filio suo, Longobardorum regibus, Sarraceni venientes de partibus Yspanie cum navali exercitu et multitudine gencium copiosa, descenderunt in litora Neapolitana (a), et circuadiacentem ubique regionem destruxerunt, Nolam, Acerras, Atellam, loca et civitates vicinas, ponentes in ore gladii christianos, quos consequi poterant, non parcentes sexui vel etati. Deinde obsedione strictissima cinxerunt civitatem Neapolim. Adveniente ergo die ultima Iunii, in qua colitur festum beati Pauli apostoli, ceperunt violenter civitatem eandem et intraverunt per portam, que dicitur de Dopno urso, et cum magna strage civium occupaverunt de civitate usque ad locum, qui tunc dicebatur Palatium imperatoris, ubi nunc est ecclesia sancti Pauli maioris. Erat autem tunc pro parte dicti Desiderii regis dux et rector Neapolitanus, vir sapientia et strenuitate providus, Theophilactus nomine, qui cum militibus, et populo Neapolitano ante predictum palatium ipsis Sarracenis occurrens viriliter, in primo eius adventu lancea transfusus occubuit. Nec minus audacter propterea Neapolitani resistebant bellando, eorum corpora pro muro Sarracenis opponentes. Cumque inter Neapolitanos et Sarracenos predicto die bellum esset durissimum et ex parte Sarracenorum quasi certa et indubita victoria, dictus Adelgisius, qui cum multitudine bellatorum in succursum Neapolitanorum advenerat, erat cum gente sua castrametatus in loco, ubi dicitur Campus de Carlo, misit Aymonem et Bernardum duces cum duobus milibus militum et decem milibus peditum, qui intraverunt civitatem eo die quando bellum erat durissimum, circa horam vespertinam. Igitur propter adventum eorum Neapolitanis admodum fessis crevit audatia et irruit pavor et disperatio Saracenis, qui non valentes resistere, devicti et conversi in fugam, receptaverunt se extra civitatem eandem in loco ubi dicitur Custoliola, et Malaczanum. Ibi moram traxerunt per menses sex

(a) *In cod.*: dessenderunt in litor. Neapolitan. WAITZ.

et dies viginti quinque, destruendo et depopulando tenimentum civitatis predicte. Mortui autem fuerunt die predicto in eodem bello de militibus Neapolitanis tringenti (*sic*) viginti septem, vulnerati sexaginta tres, de quibus mortui fuerunt decem et septem. De popularibus mortui fuerunt mille septingenti tredecim, vulnerati octingenti, de quibus mortui fuerunt septingenti septem, et de hominibus forensibus civitatis ipsius mortui fuerunt in bello predicto milites centum undecim, peditum tria milia quinque, et de gentibus regis Adelgisii milites 163, peditum 1011, de paganis vero ultra 20000, et vulneratorum non fuit numerus.

Cumque Sarraceni multimode opprimerent terram ipsam, Neapolitani diminuti gentibus et obsedione diuturna fatigati, dubitantes de potencia et multitudine Sarracenorum ipsorum miserunt ad predictos Desiderium et Adelgisium reges, ut succurrerent eis; qui venientes in eorum adiutorium cum vallida (*sic*) manu militum et peditum intraverunt civitatem Neapol. 16 sequentis mensis decembris et habito tractatu et concordia cum ipsis Neapolitanis, communiter et concorditer exiverunt ad bellum die 25 sequentis mensis Ianuarii in die Conversionis sancti Pauli, in ortu solis, et duravit bellum durissimum, et fuit anceps victoria usque ad nonam horam diei, qua hora Sarraceni ceperunt deficere et cristiani superari. Itaque finaliter Saraceni devicti et in ore gladii cesi, pauci de ipsis evaserunt. Capta et combusta fuerunt de vassellis eorum 47; reliqua cum paucis evaserunt. In hoc ultimo bello mortui fuerunt de baronibus ipsorum regum 37, de militibus 300 et ultra, de nobilibus et popularibus Neapol. ultra decem milia. Propter quod ordinatum fuit, ut, quicumque miles vel popularis extraneus vellet venire ad habitandum Neapolim, haberet bona et uxores mortuorum in bello et reciperentur in cives. Venerunt itaque de Capua, Nola, Acerris, Atella, Apulia, et Calabria multi nobiles et populares, qui accipientes uxores et bona predictorum mortuorum in bello, repleverunt civitatem eandem, et extunc contaminatus est sanguis Neapolitarum. In loco autem, ubi erat palacium imperatoris, ad memoriam tante rei et ad honorem beati Pauli, facta est solemnis ecclesia sancti Pauli maioris.

FINIS TOMI PRIMI


ADDENDA ET CORRIGENDA

P. 3	lin. 9.			*Cl. virum Bethmann secutus ego in cod. Parisiensi saeculi XII, in quo* ISIDORI Chronica mundi *legitur, etiam hoc Neapolitanorum ducum* Chronicon *extare dixi. At cum haec iam typis impressa fuissent, egregius iuvenis Daniel Giampietro a me rogatus ipsum cod. Parisiensem n. 1321 vidit, et certiorem me fecit nullum eiusdem Chronici exemplum, uti Bethmann suspicabatur. in eo post* ISIDORUM *haberi. Codex enim in a. 566 desinit.*
„ 6,	lin. 1.	*Post. verba:* Byzantinorum imperatorum	*adde*:	et ducum Neapolis.
„ 7,	lin. 4.	Ioanne	*l.*	Iohanne
„ „,	lin. 16.	an.	*l.*	anno
„ „,	lin. 6.			*In cod. bibliothecae Parisiensis, de quo supra memini, pro*: a. LXXVIII. *legitur*: a. LXXV.
„ 8,	lin. 13.	Iterum	*l.*	iterum
„ „,	lin. 17.	an. 29, menses sex.	*l.*	an. 29, m. sex.
„ „,	lin. 21.			*In* Chronici *cod., ut ex apographo, cuius exemplum in tab. II. expressum videre est, patet, post verba*: Hirinus ann., *lineola interposita, ab eadem manu adiectum legitur*: mens. sex. *Id nescio cur* PERTZIUS *in sua editione minime animadvertat.*
„ „,	lin. 22.	Antimus	*l*	Anthimus
„ „,	lin. 31.	Et 12	*l.*	Et XII
„ 9, not. 10,		Athenolfus	*l.*	Athenolphus
„ „, not. 11,		Landulphus	*l.*	Landolphus
„ 10, col. 2,	lin. 30.			*Nota*: Iste Leo *etc. ad marginem cod. Casin. scripta, inferius adponenda erat.*
„ 14,	lin. 16.	a. 612.	*l.*	a. 602.
„ 15, col. 1,	lin. 7.	et m. 5.	*l.*	et m. 10.
„ 15, col. 2,	lin. 39.	omelia	*l.*	homilia, *et sic deinceps*
„ 16, col. 1,	lin. 10.	quas	*l.*	quos
„ 16, „ „	lin. 21.	duos	*l.*	duas
„ 17, col. 1,	lin. 31.	a. 1. inceptum pro completo habito	*l.*	a. 1, inceptum pro completo habens
„ 18, col. 1,	lin. 13.		*adde*:	*Catal. Byz.* I, II, III, VI.
„ 18, „ „	lin. 15.	*Catal. Bvz.* V et VI	*l.*	*Catal. Byz.* IV et V


P. 22, not. 1, lin. 2.	Mabillon, *Anecdota*	*l.*	Mabillon, *Analecta*
„ 32, col. 2, lin. 7.	ind. IX	*l.*	ind. XI.
„ 32, „ „ lin. 19.	$\frac{6161}{6167}$ —	*l.*	$\frac{6161}{6168}$.
„ 33, col. 1, lin. 30.		*adde*:	*Catal. Byz.* II
„ 33, col. 1, lin. 25-26.	*Catal. Byz.* V et VI	*l.*	*Catal. Byz.* praeter III, omnes
„ 33, lin. 32.		*adde*:	et *Catal. Byz.* III, qui a. 16 adnotat.
„ 34, col. 2, lin. 3.	Annus quartus	*l.*	Annus quartusdecimus.
„ 34, not. 7,	Post v. dicitur	*adde*:	ex Paul Diac. VI. 27.
„ 35, col. 2, lin. 8.	*Catal. Byz.* IV.	*l.*	*Catal. Byz.* I, II, et IV.
„ 35, „ „ lin. 9.		*adde*:	Male *Catal. Byz.* III, adnotat a 3
„ 35, not. 3,			*Coniecturam, quam de* minoris *appellatione a quibusdam Iustiniano imp. data, ibi proposui, heic revoco. Nam* Iustinianus minor *idem valere debet ac si dictum sit*: Iustinianus II.
„ 40, col. 2, lin. 9.	Paul. Diac. VIII	*l.*	Paul. Diac. VI.
„ 41, col. 1, lin. 23.	laborabatur	*l.*	laborabat
„ 42, col. 1, lin. 32.		*adde*:	*Catal. Byz.* II, III et IV.
„ 42, col. 2, lin. 1-2.	*Catal. Byz.* VI.	*l.*	*Catal. Byz.* IV. et V.
„ 43, col. 1, lin. 16.		*adde*:	et *Catal. Byz.* omnes
„ 44, col. 1, lin. 29.	post. p. 216	*adde*:	*Catal. Byz.* III, IV, V, et VI.
„ 44, „ „ lin. 31.		*adde*:	*Catal. Byz.* II; I vero adnotat a. 3. m. 6.
„ 44, col. 2, lin. 36.	post. p. 67	*adde*:	*Catal. Byz.* I II, III, et IV.
„ 44, „ „ lin. ult.		*adde*:	*Catal. Byz.* IV et V.
„ 45, col. 2, lin. 22.	*Catal. Byz.* I.	*l.*	*Catal. Byz.* I et II.
„ 45, „ „ lin. 28.	*Catal. Byz.* II.	*l.*	*Catal. Byz.* III.
„ 46, col. 1, lin. 35.	et Leonis filii eius a. 18	*l.*	et L. f. e. a. 17
„ 46, col. 2, lin. 34.	appellatione	*l.*	nova appellatione
„ 47, col. 1, lin. 5.		*adde*:	*Catal. Byz.* IV, V et VI.
„ 47, „ „ lin. 8.		*adde*:	*Catal. Byz.* I.
„ 47, „ „ lin. 10.		*adde*:	*Catal. Byz.* III.
„ 47, col. 1, lin. 15.	Neapolis	*l.*	Neapolim
„ 57, col. 2. lin. 31.	(2)	*l.*	(6)
„ 59, col. 2, lin. 6-7.		*adde*:	et alii praeter I.
„ 60, col. 1, lin. 8.		*adde*:	*Catal. Byz.* II omittit dies; III, IV et V etiam menses
„ 60, „ „ lin. 10.		*adde*:	*Catal. Byz.* IV et V; I. vero habet. a. 19, cavos etiam pro plenis supputans; VI denique a. 16 tantum.
„ 60, not. 1, lin. 2.	que ipse	*l.*	quo ipse
„ 68, col. 1 in not., lin. 4.	tuis	*l.*	suis
„ 69, col. 1, lin. 19.			*In* Chronici *archetypo Hirenes habet a. 5 et m. 6, ut supra animadverti; qua vero ratione nescio. Reiice igitur quae Pertzium secutus ego heic Chronographo nostro tribui.* Catal. Byz. vero, *praeter II, qui habet a. 2, m. 6, omnes tantum a. 5, eidem adsignant.*
„ 70, col. 2, lin. 19.		*adde*:	*Catal. Byz.* II.
„ 70, „ „ lin. 21.		*adde*:	*Catal. Byz.*, praeter II, omnes.
„ 72, col. 2, lin. penul.	*Catal. Byz.* I et VI	*l.*	IV, V et VI
„ 72, „ „ lin. ult.	*Catal. Byz.* III.	*l.*	I et III. *Catal.* vero II menses et dies omittit
„ 77, col. 2, lin. 7.		*adde*:	*Catal. Byz.* I
„ 77, „ „ lin. 32.		*adde*:	*Catal.* I
„ 77, „ „ lin. 35.		*adde*:	I.
„ 78, col. 2, lin. 31.	a. 7.	*l.*	m. 7

P. 84, not. 1, lin. 2.	de quibus supra innui	*l.*	de quibus infra innuo
„ 85, not. a, lin. 5.	post laudatum Taglialatela	*l.*	post Muratorium et laudatum Taglialatela
„ 91, col. 1, lin. 30.	*Catal. Byz.* IV	*l.*	*Catal. Byz.* VI.
„ 91, col. 2, lin. 2.		*adde*:	vel a. 26, *Catal Byz.* IV aut a. 26 et m. 8 *Cal. Byz.* V.
„ 91, col. 1, lin. 17.	(a. 868)	*l.*	(a. 866)
„ 92, col. 2, lin. 2.		*adde*:	Idem habet *Chron. Vulturn*, ubi ipse dicitur: interfectus anno sui *mediante* vicesimo quinto.
„ 94, col. 2, lin. 13.	*Catal. Byz.* III, V et VI	*l.*	*Catal. Byz.* II, IV, V et VI.
„ 94, col. 2, lin. 13.		*adde*:	vel a. 20 (non expletis) *Catal. Byz.* III.
„ 96, not. 5,	*tollerent....* Cosin	*l.*	*tolleret....* Corsin
„ 98, col. 2, lin. 9-10.	captus et Romam	*l.*	captus est et Romam
„ 106, not. 1, lin. 2.	Di Meo, *O. c.* p. 222 et ss.	*l.*	Di Meo, *O. c.* V, 101 et ss.
„ 111, col. 1, lin. 5.	Gregorius filius eius	*l.*	Gregorius thius eius
„ 112, not. 2, lin. 1.		*dele*:	es·
„ 112, „ „ lin. 4.		*dele*:	habet
„ 156, not. 1, lin. 1.	In aliis Aspren	*l.*	Sic etiam in aliis.—*Aliquando hunc sanctum episcopum ego ex quadam incogitantia Asprenatem vocavi. Ubi occurrit, lectorem, ut Asprenem semper reponat, rogo.*
„ 179, not. 5,			AGNELLUS *etiam in Lib. Pont. Rav. in* Neone ep. n. 18 *memorat domum infra episcopium, quae vocatur ad quinque dagubitas sive a decubitus.*
„ 185, not. 2,			Consignatorium *a verbo consignare dictum, quod idem ac chrismate confirmari.* Cf. AGNELLI, *Lib. Pontif. in* Damiano ep. n. 37.
„ 185, col. 2, lin. 6.	(1024-11.?)	*l.*	(1094-11....?)
„ 188, not. 2, lin. ult.	in opusculo, qui	*l.*	in opusculo quod
„ 200, not. 5,			*Vox* Mascellaria *aptius et clarius explicari potest ex collatione aliae pene similis vocis, ad eandem rem significandam usurpatae.* AGNELLUS *enim tabulam exteriorem, qua Evangeliorum liber tunc temporis compactus erat,* Alapam *vocat. O. c. in* Petro ep. n. 17.
„ 216, not. 1, lin. 3.	ianua	*l.*	januam
„ 221, not. , lin. 6.		*adde*:	(Cf. Aa. Ss. *Bollandi* ad d. 24 octobr. t. X. p. 187.
„ 227, lin. 27.	a, 707	*l.*	a. 907.
„ 228, lin. 4.	Sergii III (955-963) ac Leonis, Alexandri, Romani, et Costantini.	*l.*	Sergii III (903-911) al Leonis etc. (a. 955-963)
„ 267, not. 3, lin. 3.	concessit	*l.*	congessit
„ 300, lin. 3.	6. *Acta translationis* etc.	*l.*	5 *Aota translationis* etc.


Cum litteris uncialibus




Cum littera langobarda Beneventana




2. *Subscriptiones in instrumento a. 865 a quibusdam Civitatis Neapoli confecto ex archivio Casinensi* Tab. II.




1. *Ectypum Chronici ducum et princ. Beneventi etc. et ducum Neapolis ex cod. bibl. Vindobonensis n° 580*






Imago Johannis III. consulis et ducis (928 968) ex cod. membran. Tab. III
Cavensi Legum Langobardicarum



Onofrio


... instrumenti a. 951 cum subscriptionibus Johannis ducis ac testium latino charactere exaratis. atque absolutione curialis

Tab. IV.




Conclusio instrumenti a. 991 cum subscriptionibus monachorum monasterii S. Salvatoris in insula maris tum graeca lingua. tum graeco tantum charactere exaratis nec non et testium ac absolutione curialis


Tab. V.



1. *Postremi versus diplomatis a. 998 a Sergio duce dati monasterio Ss. Severini et Sosii cum eiusdem subscriptione*




2. *Postremi versus diplomatis a. 999 et subscriptio Johannis ducis*




Onufrio

Initium et finis diplomatis a. 1036 dati ab Sergio duce Albuino abbati monasterii S. Salvatoris in insula maris, cum eiusdem Sergii subscriptione Tab. VII



Ultimus versus instrumenti a. 1064 cum subscriptionibus Sergii ducis Iohannis archiepiscopi, et canonicorum sanctae Neapolitanae Ecclesiae, nec non et testium, ac absolutione curialis — Tab. VIII



Onufrio

SOCIETÀ NAPOLETANA DI STORIA PATRIA

MONUMENTA AD NEAPOLITANI DUCATUS HISTORIAM PERTINENTIA

VOLUME I.

NAPOLI
PRESSO LA SOCIETÀ, PIAZZA DANTE, EDIFICIO CARAVAGGIO
Mdccclxxxj

R. STABILIMENTO TIPOGRAFICO
DEL
CAV. FRANCESCO GIANNINI
Cisterna dell' Olio, 4 a 7
NAPOLI

Prezzo L. 40